


PSALTERIUM EUCHARISTICUM

ET

CORONA QUINQUAGINTA CANTICORUM

SACRATISSIMI ROSARII.

PSALTERIUM EUCHARISTICUM

SECUNDUM

LEGIS GRATIÆ SUAVITATES EXPLICATUM

MAGNILOQUENTIAM PATRUM GESTAQUE SS.

IN CENTUM QUINQUAGINTA CANTICA PER ANNI MENSES

DISTRIBUTUM

Ex quibus hauriuntur praeparationes, gratiarum actiones in omnibus festis, et quamplurimis ferialibus diebus, pro accedentibus ad augustissimum MISSÆ sacrificium, et ad sacram COMMUNIONEM, servato ordine Missalis Romani, et Calendarii ecclesiastici an. 1846

SEPTIMUM AC POSTREMUM

HYACINTHI ANDRIANI

OPUSCULUM

Cui propter seditiosas et truculentas anni 1848 et 49 calamitates addita inopina fuit CORONA quinquaginta Canticorum; hoc est, sacratissimi Rosarii integrum, iucundum, ac suavissimum benignitatis Sertum, ac perpetua Mysteriorum paraphrasis, vitae, passionis, et gloriae D. N. JESU CHRISTI, Deiparaeque Virginis MARIAE; Psalterii huius Eucharistici Filiolus dulcis ac decorus.

Editio secunda

Ab ipso auctore naviter emendata; satis superque mystice et historice aucta; et ad psallendum rite accommodata, dum inimici homines atrociter premebant supra dorsum eiectae Jesu Christi vineae.

Ascendenti e convalle lacrymarum, et cantanti Canticum graduum dederat sagittas acutas.

Brev. in F. S. Augustini E.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO ANDREAE FESTA

ANNO DOMINI MDCCCLI.

MONITUM

Si qua forte inter legendum menda occurrerint, ea facilis lector facile condonabit, excusationis illius non immemor, quam ipse Auctor suo Psalterii Eucharistici Filiolo *praemissam voluit.* Animadvers. IV. pag. 333.

DEDICATIO

Domino meo JESU CHRISTO, qui est lux mundi, et dulcissimae MARIAE, quae mortalium est erectio, abyssus gratiae et mundi solatium, Domina, spes, et fortitudo mea, me ipsum, in quantum valeo, offero.

Ad maiorem nominis tui gloriam, Deus, hoc aggredior opus; illudque, infinitis Jesu Christi meritis coniunctum tibi offero et consacro.

Et quia tu o Maria Dei genitrix virgo sedes es sapientiae et sceptrum orthodoxae fidei, sto expectans ut mihi suggeras, quid de te, et de Filio cogitem tuo; et quid etiam gemitibus inenarrabilibus in luctu *viduitatis* et *orbitatis* meae (1) de me recogitem.

Mater Jesu, ideoque benigna mea Mater, doce quibus te invocem sermonibus, et quas tibi laudes gratesque rependam. Da voci meae vocem virtutis; et inspiratione amoris tui ardeat, quaeso, *Psalterium* istud tanquam facula; ut, quotiescumque tepidus fiam, ignem dilectionis tuae in mente accendat et in corde.

Jesu Mariae fili, bravium felicitatis, virtutum omnium pulchritudo, animarum sanctarum requies opulenta, fons ardentis-

(1) Dulcissima coniux, et mater etiam mea in senectute bona, morti occubuere anno 1816.

simae charitatis, et Verbum Dei in excelsis, in manu repono tua sermones meos, et operum scientiam, et disciplinam. Da mihi sedium tuarum inspirantem sapientiam, et noli me a pueris reprobari tuis; haec mecum laboret, ut sciam et dicam quid acceptum sit apud te, Deus. Docuisti me a iuventute mea, et usque ad senectam et senium mirabilia pronuntiabo tua. Ne derelinquas me, donec brachium annuntiem tuum omni quae ventura est generationi. Idcirco precibus omnibus oro te atque obtestor, ut labori animae meae requiem concedas, quia multis sese afflictat gemitibus; gressusque in viam sempiternae pacis illumines meos et firmes.

HYACINTHUS ANDRIANI

BENEVOLO LECTORI

ANTELOQUIUM

Laudate Dominum in Sanctis suis; *
laudate eum in psalterio et cithara.
Psal. CL.

I. Te in primis, benevole lector, monitum volo, quod perpauca meo excudi praelo in hoc pio libello. Specimen ex *Mense Eucharistico* (1) R. P. Xaverii Lercari inclytae Societatis Jesu desumens, pene omnia in eo contenta ex sanctis Scripturis, ex Breviario Romano, et Missali, et ex elegantioribus notionibus ac sententiis Patrum et Ecclesiae Doctorum (2), sparsa monimenta, quaeque sunt prisci sacra digna Cedro dogmata juris, florilegus selegi. Sed, ubi apposita defuerunt, non me defecerunt aut vires aut animus quo solerter eadem, Deo juvante, supplerem.

In omnibus Canticis laudationes, aspirationes, invocationes, supplicationesque semel, vel pluries ad Mariam converti: et dogmatica etiam de essentia Sacrificii et Sacramenti in perenni cordis admiratione fidei, spei, charitatis hac illac inserui. Et truculentos annorum 48 et 49 historicos casus, imprecativis, simulque deprecativis piis locutionibus, ad posterorum detestationem, magno incensus dolore et amore, tanquam in monumento aere perenniori energice sculpsi.

Facili proinde stylo, et in Ecclesia latina latino psallens rhythmo, ex iis, quae selegi aut condidi, *Enchiridion* tibi exhibeo collectilium, potius quam *Psalterium legis Gratiae*, quo titulo, pro lubito, preces istas Eucharisticas inscribere existimavi.

II. Ingenue deinceps fatear, me syntacticum tantulum et paraphrastam, Dei mei dilectione, absque praesumptionis temeritate, ad devotionis dulcedinem instaurandam, augendamque, canoram saepissime, florentemque varietatem in canticis singillatim accurasse. Amans cantillare amat, et eloqui numeris discrimina vocum, cum cantabi-

(1) Neap. ex typis Tramater.
(2) Perpauca ex A. Prudentio; ex *Paschali opere* Sedulii presbyteri; ex divo Paulino Episc. Nolano; ex Theophili Raynaudi Soc. Jesu *Marialibus*; ex A.C. Arvisanet.., ex *Coelesti Palmeto* N. Nakater S. I.; ex *Paradiso animae christianae* J. M. Horstii. . . . sed permulta collegi ex *Ephemeridibus Marianis* Arch. C. Majelli; nec non ex divis Bernardo, Thoma, Bonaventura. et magno Augustino.

les sint justificationes Dei nostri in terra aerumnosa peregrinationis nostrae.

Tendimus, viri fratres, ad coelestem requiem, ubi aeterna inest jubilatio. Idcirco mihi persuasissimum est, quod in nobis, qui ad videndum Deum Deorum in Sion per intellectum, magisque per affectum inhiamus (1), voce et spiritu, qualitercumque melos psallendo, multimodas amoris ascensiones ordinare oporteat ad eum, qui fons est immensi amoris. Sonet itaque vox super Angelos; et homo intenta Deum contempletur mente; et verbis quibus potest suas illi dicat laudes.

O mater Hierusalem! ad te suspirat, ad te cor ingemiscit meum; facta es plusquam speciosa et suavis in canticis tuis. In te Angelorum cohortes, et supernorum agmina civium

Novas semper harmonias voce meloda concrepant,
Et in jubilum prolata mulcent aures organis,
Digna, per quem sunt victores, Regi dant praeconia.

III. Eo fine *Psalterium* cecini istud sic concinnatum, ut meae praesertim succurrerem fragilitati: » optavi et datus est mihi sensus; » invocavi, et venit in me spiritus Sapientiae (2): »

Sed quia unicuique nostrum mandatum est de proximo nostro, scriptum est enim: « Recupera proximum tuum secundum virtutem » tuam, et attende tibi ne incidas (3): » ideo, quod cuicumque latinarum studioso litterarum benevertat, tibique etiam, benevole lector, ne librum hunc prae manibus habere graveris. Castissima eloquia sunt, dulciora super mel et mellis favum; et forsan hic libellus, quem curiosolus primitus assumpsisti, nunquam prae dulcedine de manibus amplius excidet tuis.

Sancti omnes divinarum scripturarum amoena ingressi sunt prata; viridissimas sententiarum herbas exarando carpserunt, legendo comederunt; frequentando ruminarunt, congregando in alta memoriae reposuerunt sede. Minus ita istius miserrimae vitae amaritudines graviter sensere; et coelestes affatim praegustarunt delicias.

Ideoque ecquis non cupiet indesinenter sacras legere paginas? lectas saepius mente revolvere; easque intelligendo exardescere, et exultare? « Deus aperit sensum, sed cui dederit Sapientiam, et Spiritum sanctum suum » de Altissimis miserit. » Et ei nos psallendo gratias, ut par est, agere studentes, consilium etiam in difficultatibus inveniemus, praesidium in periculis, et consolationem in adversis.

Nec aliter tibi, B. L. *Psalterium* istud, divinarum scripturarum Epitomen, et succum summorum Patrum legenti eveniet. Prae-

(1) Quamquam autem illa summa et incomparabilis essentia. . . a nemine conspici valeat in hac vita, quod solum praemium Sanctis reservatur in coelesti Patria; illud tamen credere, et intelligere, et sentire, et ardenter inhiare, quodammodo illud cernere est atque tenere. — *Div. August. Medit. XXVIII.*

(2) Sapient. VII. 7.

(3) Eccl. XXIX. 27.

terea Angelorum sociatus choris canens, pulsans ad misericordiae thronum, quaerens, timens, gemens, assidue dolens et supersperans, ipsum demum pro corde attinges Deum, semperque gaudens inhaerebis ei.

IV. Interea, dum meo labore et impensa quotidianas fere tibi conquisitissimas dapes e mensa Eucharistica opipare subnecto, immensa Dei pietas non sinet ut ego ad istas discumbens pinguissimas epulas, et laeta canens convivia, impastus evadam! . . . Quare dum debilitati vel ignorantiae tuae fulcrum, ac utilissimum contra animae tuae hostes clypeum praebeo, vivax stet apud te gratia facti, et officii exequere munus ad Deum pro me exorans misello.

V. Denique, si in hac altera elaborata editione omnia, ut validius optavi et curavi, apposita non evaserunt; et si quid absonum a Christianae fidei norma, hoc est, a catholicae et Romanae Ecclesiae dogmatibus ac disciplina in hoc pio libello praeter voluntatem exciderit, ne mihi laico, et propemodum senescenti viro vehementer succenseas, sed potius ut indictum illud velim humaniter habeas. Vale.

INDICATIONES RERUM

QUAE IN PSALTERIO EUCHARISTICO

OCCURRUNT NOTATU DIGNIORES

QUAEQUE AD NOS EMUNDANDOS MAGISQUE

ERUDIENDOS INSERVIRE POSSUNT



De SS. Missae sacrificio, et Eucharistiae Sacramento — Passim in singulis Canticis.

De beatissima Virgine Maria — Passim et pluries in singulis Canticis.

Preces iaculatoriae, gratulationes, gratiarum actiones, et Actus Fidei, Spei, Amoris et Doloris — Sparsim in omni Cantico.

SS. Trinitas unus Deus — XIV — XXIX — XXXIII — XXXIX — L — LXXI bis — LXXXI — LXXXII — CXLV — et in Rhythmo ad secundum Canticum *Coronae* Quinquaginta Canticorum.

Spiritus sancti gratia — XLI — XLII et XLIV in Corona Quinquaginta Canticorum.

De Jesu Christo speciatim, — II — XXIX — XXX — XXXIII — XXXIV XXXVI — XL — XLVI — XLVIII — L — LVIII — LIX — LX — LXII — LXVII — LXXII — LXXXVI — LXXXVII, bis.

Adorabile nomen eius — VI — VII — LIV — LVI — LXXXVIII — CXXIII — CXXXIV, bis — CXXXVI — CXLIII — CXLIV — CVLVI — CXLVII.

Opus supremum charitatis eius, humani generis Redemptio — II — III — VI — XIII — XV — XVI — XIX — XXIII — XXVII — XXXI — XXXV — XXXVII — XXXVIII — XLIII — XLIV — XLV — LXXIV — LXXV — LXXXVI — CXXXVIII — CXLI.

Christi crux sancta — XXXVII — XLV — LVIII — LX — CIX — CXXXVI.

Septem verba a Christo in cruce prolata pluries et in Cant. XXXIII Coronae Quinquaginta Canticorum.

De Gratia et Praedestinatione XVII.

Dei sapientia et iustitia — XXI — XXXII.

Infallibilitas catholicae Ecclesiae — XIV — XX.

Sancta sacerdotalis hierarchia — IV.

Zelus Domus Dei — XXVI.

Pater noster, etc. — XVIII — *Paraphrasis.*

Magnificat, etc. — XLVI — *Paraphrasis.*

De Profundis, etc. — LXVIII. — *Paraphrasis.*

Aerumnosa humana peregrinatio — IV — XVII — XXVIII — XXXII — XXXVI — XXXVII — LXXXV — C — CXX — CXXVIII — CXXX.

De stultis et impiis huius saeculi commotionibus — II — LIV — LXXXIX — XCVI — CVI — CVII in hymno — CXI — CXV — CXXVII — CXXX — CXXXI — CXXXVIII — CXXXIX bis.

Sors et electorum gaudium in altera vita — I — V — XXV — XXXVII — CXXIX — CXXX — CXXXIV — CXXXIX — CXLV.

Eximius animarum zelus Filiarum charitatis — LIII.

Juvenilis aetatis innocentiae accuratissima tutela — CII.

Haec omnia stylum vertens in libercula ad calcem, cuius titulus est: *Quinquaginta Cantica* etc., singillatim rememoravi.

INDEX

CANTICORUM PSALTERII EUCHARISTICI

ET CORONÆ

QUINQUAGINTA CANTICORUM.

Canticum
XLIII. Hebdomadae maior. Fer. IV.
XLIV. » » Fer. V.
XLV. In Parasceve. Fer. VI. Canticum tergeminum, idest ad matutinum, et ad audiendam Missam, quae concluditur ex praesanctificatis. Canticum secundum ad laudes. Canticum tertium ad vesperas.
XLVI. Sabbatum sanctum.
XLVII. Dom. Pasch. Resurrectionis.
XLVIII. Feria II. Paschatis.
XLIX. Feria III. Paschatis.
L. Dom. in Albis.
LI. Festum s. Vincentii Ferreri.
LII. Festum s. Marci Evangelistae.
LIII. Dom. II. p. Pasch. Fest. translationis corporis s. Vincentii a Paulo.

MAIUS

LIV. Festum Ss. Philippi et Iacobi Apost.
LV. Dom. III. post Pasch. Festum translationis s. Ianuarii Episc. et M. p. p. Civ. et Reg. Neap.
LVI. Festum s. Ioannis Apost. ante portam latinam.
LVII. Apparitio s. Michaëlis Archang.
LVIII. Dom. IV. p. Pasch. Festum Coronae D. N. Iesu Christi. (Iterum in cant. XIX. mensis februarii agitur de festo Coronae Spinarum D. N. Iesu Christi.)
LIX. Festum s. Francisci de Hieronymo S. I. et P. N.
LX. Inventio s. Crucis.
LXI. Dom. V. p. Pasch.
LXII. Ascensio D. N. Iesu Christi.
LXIII. Festum s. Paschalis Baylon.
LXIV. Dom. infra oct. Ascensionis D. N. Iesu Christi.
LXV. Festum s. Mariae Magdalenae de Pazzis.
LXVI. Festum s. Philippi Nerii.
LXVII. Festum Patrocinii s. Ioseph B. Mariae V. sponsi.
LXVIII. Dom. Pentecostes.

IUNIUS

LXIX. Dom. I. p. Pentecosten.
LXX. Festum B. Mariae V. de Bono Consilio.
LXXI. Festum Ss. et individuae Trinitatis.
LXXII. Solemnitas sacratissimi Corporis D. Nostri Iesu Christi.

Canticum
LXXIII. Festum s. Antonii de Padua.
LXXIV. Dom. infra octav. Corporis Christi, et secunda post Pentecosten.
LXXV. Oct. sacrat. Corporis Christi.
LXXVI. Festum Ss. Cordis Iesu.
LXXVII. Dom. III. p. Pent. Fest. s. Aloysii Gonzagae Conf. S. I. et P. N.
LXXVIII. Nativitas s. Ioannis Bapt.
LXXIX. Dom. IV. p. Pentecosten.
LXXX. Festum Ss. Apost. Petri et Pauli.

IULIUS

LXXXI. Visitatio B. Mariae V.
LXXXII. Dom. V. p. Pentecosten.
LXXXIII. Dom. VI. p. Pentec. Festum s. Mariae Magdalenae poen.
LXXXIV. Festum B. Mariae V. de monte Carmelo.
(Quod attinet ad Festum s. Vincentii a Paulo, vide cant. LIII. mensis aprilis, in die translationis corporis eius.)
LXXXV. Festum s. Camilli de Lellis.
LXXXVI. Dom. VII. p. Pentec. Festum SS. Redemptoris.
LXXXVII. Festum s. Iacobi maior.
LXXXVIII. Dom. VIII. p. Pent. Festum s. Annae, matris B. M. V.
LXXXIX. Festum s. Ignatii Loiolae fundator. incytae Societatis Iesu. C. et P. N.

AUGUSTUS

XC. Festum s. Petri ad Vincula.
XCI. Dom. IX. p. Pentec. Festum s. Alphonsi Mariae de Ligorio.
XCII. Festum s. Dominici C. et P. N.
XCIII. Transfiguratio D. N. I. C.
XCIV. Festum s. Caietani Tienel.
XCV. Dom. X. post Pent. Festum s. Philumenae V. et M.
XCVI. Assumptio B. Mariae V. in Coelum.
XCVII. Dom. XI. p. Pentec. Festum s. Ioachim Conf. Patris Genitricis Dei Mariae.
XCVIII. Festum s. Hyacinthi Conf.
XCIX. Fest. s. Bernardi Abb. Conf. et Eccles. Doct. Infra octav. Assumptionis Beatae Mariae Virg.

Canticum

C. Dom. XII. p. Pentecost. Festum sanctissimi cordis B. M. V.

CI. Festum s. Bartholomaei Apost. et juventio corporis s. Stephani Protomartyris.

CII. Festum s. Iosephi Calasantii.

CIII. Festum s. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doctor.

CIV. Festum decollationis s. Ioannis Baptistae.

CV. Dom. XIII. p. Pentecost. Festum s. Rosae de s. Maria virg. Limensis.

SEPTEMBER

CVI. Dom. XIV p. Pentecost. Festum s. Rosaliae V.

CVII. Nativitas B. Mariae V.

CVIII. Dom. XV. p. Pentecost. Festum SS. Nominis B. Mariae V.

CIX. Exaltatio SS. Crucis D. N. Iesu Christi.

CX. Impressio sacr. Stygmatum s. Francisci Assisii.

CXI. Festum s. Ianuarii Episc. et M. praec. Patron. Civitatis et Regni Neapolitani.

CXII. Dom. XVI. p. Pentec. Festum septem dolorum B. M. V.

CXIII. Festum s. Matthaei Ap. et Ev.

CXIV. Dom. XVII. p. Pentec.

CXV. Dedicatio s. Michaëlis Archang.

OCTOBER

CXVI. Festum SS. Angelorum, et solemnis Commemoratio septem Spirituum, qui adstant ante Altissimi thronum (Canticum geminum; pars prima et alt.)

CXVII. Dom. XVIII. p. Pentec. Festum B. Mariae V. sacratissimi Ros.

CXVIII. Festum maternitatis B. Mariae V. in Dom. XIX. p. Pentec.

CXIX. Festum puritatis B. Mariae V.

CXX. Festum s. Theresiae V.

CXXI. Dom. XX. post Pentec. Festum s. Lucae Evangelistae.

CXXII. Festum s. Petri de Alcantara.

CXXIII. Festum s. Francisci Assisii.

CXXIV. Festum s. Raphaëlis Archangeli.

CXXV. Dom. XXI. p. Pentec. Festum B. Mariae V. sub titulo *Auxiliatrix agonizantium.*

CXXVI. Festum ss. Simonis et Iudae App.

NOVEMBER

Canticum

CXXVII. Dom. XXII. p. Pent. Festum sanctorum omnium.

CXXVIII. Commemoratio defunctorum omnium.

CXXIX. Festum s. Caroli Borromaei.

CXXX. Dom. XXIII. p. Pent. Octava sanctorum omnium.

CXXXI. Festum s. Andreae Avellini.

CXXXII. Dom. XXIV. p. Pent. Festum Patrocinii B. Mariae V., et annualis commemorat. fundationis mei SS. Oratorii familiaris, sub tit. B. Mariae V. septem dolorum. (Geminum Canticum; pars prima et altera).

CXXXIII. Festum Praesentationis B. Mariae V.

CXXXIV. Dom. XXV. p. Pent.

CXXXV. Dom. I. Adventus Domini.

CXXXVI. Festum s. Andreae Apostoli.

DECEMBER

CXXXVII. Festum s. Francisci Xaverii, inclytae Soc. Iesu, et P.tN.

CXXXVIII. Dom. II. Adventus Domini, et solemnis Commemoratio Adventus Monopolim (die XVI decembris 1075) sacrae imaginis B. Mariae V. de Madia. (Geminum canticum; pars prima et alt.)

CXXXIX. Festum s. Nicolai Episc. et Conf., et Commemoratio s. Ambrosii Conf. et Ec. Doct.

CXL. Conceptio immac. B. M. V.

CXLI. Dom. III. Adventus Domini (*Gaudete*). Et Commemoratio almae Domus Lauretanae.

CXLII. Festum Patrocinii s. Ianuarii et Soc. Mm. p. Patr. Civ. et Regni Neap.

CXLIII. Expectatio s. Partus B. Mariae V.

CXLIV. Dom. IV. Adventus Domini, et recurrit infr. oct. Fest. s. Luciae V. et M.

CXLV. Festum s. Thomae Apost.

CLXVI. Vigilia nativ. D. N. I. C.

CLXVII. Nativitas D. N. I. Christi.

CXLVIII. Festum s. Stephani Protom.

CXLIX. Fest. s. Ioannis Ap. et Ev.

CL. Festum Ss. Innocent. et Mm.

INDEX QUINQUAGINTA CANTICORUM

PRECES AD LIBITUM

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, da pacem in diebus nostris; quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣ Fiat pax in virtute tua;

℟ Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Respice Domine Pater sancte de sanctuario tuo, et de excelso Coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiae mundi. Ecce vox sanguinis fratris nostri primogeniti Jesu clamat ad te de Cruce: exaudi Domine; placare Domine; attende, et fac ne moreris propter temetipsum Deus noster, quia nomen tuum invocatum est super domum, et civitatem istam, et universum populum tuum; et fac nobiscum secundum infinitam misericordiam tuam. Per eumdem Christum Dominum etc.

℣. Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris.

℟. Te rogamus, audi nos;

℣. Ut domum, et civitatem istam, et universum populum tuum, Domine, defendere, pacificare, custodire, conservare, et piissima misericordia tua respicere digneris.

℟. Te rogamus, audi nos.

℣. Per sacrosancta humanae redemptionis mysteria;

℟. Cito anticipent nos misericordiae tuae, et parce populo tuo.

℣. Per merita, et intercessionem beatissimae Genitricis tuae, et omnium Angelorum, atque Sanctorum;

℟. Cito anticipent nos misericordiae tuae, et parce populo tuo.

℣. Sancta Maria, sine labe originali concepta, et omnes Angeli et sancti Dei, intercedite pro nobis ad Dominum.

℟. Ut cito anticipent nos misericordiae Domini, et populo parcat suo; ut omnes cum ipso gaudere possimus in saeculorum saecula.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, fiat semper et in omnibus sanctissima voluntas tua, secundum infinitam et aeternam misericordiam tuam. Per Christum Dominum nostrum, etc.

Dio ti salvi, o Maria, giglio candidissimo della risplendente e sempre tranquilla santissima Trinità: Dio ti salvi, o rosa piucchè olezzante della celeste amenità, dalla quale volle nascere, e del cui latte volle pascersi il Re del Cielo; vi prego vogliate pascere le anime nostre delle divine sue grazie.

Ave Maria, gratia plena, etc. O santa Maria, Signora mia, come Iddio Padre colla sua potenza vi fece potentissima, così voi in vita, e nell'ora di mia morte usate meco della vostra potenza discacciando lungi da me ogni potenza infernale.

Ave Maria, gratia plena, etc. O santa Maria, come il Figliuol di Dio a voi communicò tanta chiarezza di cognizione e di sapienza, che ne illustraste tutto il Cielo; così voi in vita, e specialmente nell'ora di mia morte, datemi tanto lume, e fortificatemi con fede sì viva, che non cada in alcun inganno ed errore.

Ave Maria, gratia plena, etc. O santa Maria, Signora mia, come lo Spirito santo in voi infuse la pienezza dell'amor suo, così voi adesso, e specialmente nell'estremo di mia vita, istillatemi tanta dolcezza di amore, che resti temperata tutta l'amarezza dell'agonia.

Queste preghiere si sono tolte dalle Vite di S. Geltrude, e di S. Matilde, alle quali furono rivelate siccome efficaci a farci conseguire l'aiuto speciale di Maria in vita, ed immancabilmente in punto di morte.

PSALTERIUM EUCHARISTICUM

IDEST

CENTUM QUINQUAGINTA CANTICA

PER ANNI MENSES DISTRIBUTA.



In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Cant. LIV.



*Conditor Coeli et terrae, Rex regum, et Domi-
nus dominantium, qui me de nihilo fecisti
ad imaginem et similitudinem tuam, et me
tuo proprio sanguine redemisti, te supplicer
deprecor ut miserere mei, quia major est mi-
sericordia tua quam iniquitas mea: plus po-
tes dimittere quam ego committere: et plus par-
cere quam ego peccator peccare. Ne despicias
me Domine, quia famulus et servus tuus sum,
quamvis malus, quamvis indignus, et peccator.
Parce ergo mihi piissime Iesu et salvus ero. Amen*

A.P. Roma Via di S. Pantaleo N.° 14.

JANUARIUS

CANTICUM PRIMUM

CIRCUMCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

PRECES

(Quae cuique praeponuntur Cantico)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

— *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, et guberna.*

— Ave Maria, *etc.*; Pater noster — Gloria Patri *etc.* — *Credo in Deum etc.* —

— *Ave Joseph, Mariae Sponsus, protector meus in vita, et custos in morte :* —

— *Credo, Domine, quae docuisti; quia verax es: spero, Domine, quae promisisti; quia fidelis es — Amo te, Domine super omnia bona; quia bonus es. — Doleo, Domine, super omnia mala; quia tam amabilem, te offendi; et quia justus es. — O si nunquam te offendissem! utinam te semper amassem!...* —

— *Domine Deus, aspice de sede sancta tua, et cogita de me. — Inclina ad me aurem tuam, et exaudi me. — Aperi, Domine oculos tuos; vide et meae succurre tribulationi.* —

— *Salve Regina, mater misericordiae, vita dulcedo, etc.*

— *Memento, Domine mi Jesu Christe, et Domina mea Maria animarum NN. NN. si in Purgatorio adhuc detinentur carcere; ut, quam citissime ad lucem et requiem perveniant sempiternam.* —



onfitemini, viri Fratres, Deo Coelorum in Cithara et Psalterio,* confitemini Domino Dominorum.

In hymnis etiam nomen exaltemus eius; quia in afflictione nostra memor est nostri; * et nos redemit ab omnibus inimicis nostris.

— Christus amicus fidelis; * qui, a nobis desertus et irritatus, nunquam nos deserit.

Christus amicus, cui nulla est comparatio; * quia ex inimicis, sanguine nos reconciliavit suo, et amicissimos nos reddidit.

Habemus accessum ad Patrem, per Filium, in uno Spiritu; * genua ideo flectamus ad Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Ex quo omnis Paternitas nominatur in Coelis, * et in terra;

Ut det nobis secundum divitias glo-

riae suae, * virtute corroborari per Spiritum ejus in interiore homine.

Electi, secundum praescientiam Patris, in sanctificationem Spiritus; * in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi Domini nostri.

Laudemus, ergo, viri fratres, Jesum, fulgidas Coeli quod arces obtinet; * laudet eum terra quam redemit, et quam dextera potente sustinet.

Eum laudemus Tympanis, * laudemus etiam Fistulis et Sambucis.

— Porro et Mariam Cymbalis, * Barbitis laudemus et Napliis.

— Tintinnabulis et Organis Triadem laudemus augustam; * laetisque laeti voculis Canticis laudemus et Rhithmis.

Quidquid movetur denique, Mundique spirat ambitu, Dei, * Dei nostri laudes summique celebret gloriam. —

— Salus jucundissima nostra, pone nos ut signaculum super cor tuum ad amandum; * ut signaculum super brachium tuum ad fortiter operandum.

Ita videbimus Coelos, opera digitorum tuorum, Lunam et Stellas quae tu fundasti; * ibique, discurrentes, cantica in aeternum cantabimus tibi. —

— Circumcisio Domini nostri Jesu Christi, * purgamentum significat delictorum;

In *Circumcisione* primum adoramus, * Domini nostri Jesu Christi sanguinis effusionem.

Omnis legis veteris series, typus futuri fuit; * Spiritus operatus est charitatem in Patribus nostris; et Spiritus sancti gratia vivificat nos.

Conditor veteris, et novae legis, factus est sub lege; * ut nos, qui sub peccati lege eramus, lucri faceret.

Revera Christus est amicus noster fidelis et incomparabilis; * quia pretio nos emit magno, sanguine idest suo.

Clamorem validum — summus ab aethere
Languentis Geniti — si Pater audiit, —
Placare potius — sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Exultent omnes in te Jesu, quos vestimento induisti salutis; et indumento circumdedisti justitiae.

Nonne solus ego, dura cervice, et incircumciso corde et auribus, semper gratiae tuae incitationibus audacter obsisto?

Dextera tua facit virtutem, * dextera tua jacentes exaltat.

Tu adiutor meus; * ideo invoco te contra tribulationem, et cordis mei duritiem. —

— A te, Domine, factum est opus magnum salutis nostrae, * mirabile in aeternum permanet.

Converte animam meam sperantem in te, * tu bonorum meorum non eges, restitues haereditatem meam mihi.

Ipse tu haereditas, portio, et calix meus, * ne enim derelinquas meam Domine Deus.

Memento, Domine, quod convescens, te ipsum nobis in edulium dedisti; * moriens in pretium te ipsum erogasti;

Et regnans in Coelum, * te nobis in praemium dones.

Suavis, mitis, et multum misericors, * heu! quid est homo quod memor es eius?

Aut Filius hominis, quoniam visitas eum, * et ita magnificas eum.

Pulvis exiguus, cinis, nequitia, et vanitas! * opprobrium peccati et contemptus. —

— Tu, bonus Pastor, animam posuisti pro nobis; * indeque, pabulo vitae longe suavissimo, nos pascis!

Quam dulcia faucibus nostris eloquia tua, quibus, tam amanter nos invitas * *« venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. »*

Ad hoc convivium grande parasti nimis, * nobis ostendens in eo divitias et regni tui potentiam.

Ecce nos pauperes et miseri, * fidenti accedimus animo ad manducandum et bibendum;

Panem supersubstantialem comedemus tuum, idest corpus sacratissimum tuum; * et sanguinem bibemus tuum in vino quod miscuisti nobis.

Tu salus et redemptio nostra; spes, fortitudo; * conserva nos propter sanctum nomen tuum.

Tu, quia pius es, decus et gloria nostra, * propitius semper nobis esto.

Notum, Domine, fecisti salutare; * videant et plaudant Deo nostro omnes fines terrae.

Labor enim Ægypti, et Æthiopiae negotiatio et Sabaim, viri sublimes ad te transierunt; * te adorarunt; teque deprecati sunt.

Ubique nos nova tibi cantabimus Cantica; * et, ante conspectum omnium populorum et gentium, mirabilia psallemus quae tu fecisti.

Deus, Dominus dominantium et Principum, os aperi nostrum; * vocem da nobis laudis, ut tuas digne canamus miserationes.

Qui timet Deum, facit bona; * cibabit illum pane vitae et intellectus.

Et aqua salutaris sapientiae potabit illum; * quanquam puer et ignarus non confundetur; in medio Ecclesiae aperiet os suum.

Te laudamus, Domine Deus noster; * quia, ut genus salvum faceres nostrum, sicut pluvia in vellus descendisti.

Mirabile mysterium declaratur hodie, * innovantur naturae, Deus homo factus est.

Id quod fuit permansit; et quod non erat assumpsit, non commixtionem passus neque divisionem.

Magna sunt opera tua, Deus cordis mei, * et exquisitae in omnes voluntates tuas.

Memento nostri, Domine, in beneplacito tuo; * ut nostrarum miserearis iniquitatum.

Visita nos nunc in salutari tuo, * quia excelsus es, et humilia benigne respicis.

Ecce Agnus Dei; ecce venit ad nos qui mundi peccata tollit; * ut misereatur nostri.

POSTCOMMUNIO

— Omnes, qui timetis Deum, audite; * narrabo vobis quanta animae fecit meae. —

— Suscepi misericordiam tuam Deus; * sic et laus tua in fines terrae.

Impinguasti caput meum in oleo; * et, calix tuus inebrians, o quam praeclarus est!

Pater meus et mater mea dereliquerunt me; * tu autem, amanter, me assumpsisti.

Quid tibi retribuam pro omnibus quae a te accepi? * tu dives et super omnia potens; omnia sunt in dominatione tua et imperio.

Ego, egenus et miserrimus, me ipsum tibi offero; * Fac ut efficiar gratus et acceptabilis.

Immolans Sacrificium laudis, fidem exorno meam; * et, quanquam pauper et indigens, tibi Altissimo omnia vota persolvo mea.

Tibi pergrata est oblatio ista, * cum qua assidue memoriam recolimus beneficiorum redemptionis tuae.

Christus, amicus incomparabilis est noster; * quia suo nos pretioso redemit sanguine.

Vergente mundi vespere,
Uti sponsus de thalamo,
Egressus benignissima
Virginis matris claustra.
Cujus forti potentia
Genu curvantur omnia,
Coelestia, terrestria
Nutu fatentur subdita.
Aequali aeterno Patri
Carnis tropheo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Notum fecisti, Domine, Salutare tuum; * et, ante conspectum gentium, justitiam revelasti tuam.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, * erudiens nos.

Abnegemus, ergo, impietatem; * incredulitatem; saecularia desideria, et tepiditatem; *

Sobrie, pie, et juste, viventes, * in beata spe roborati, adventum expectabimus gloriae magni Dei. —

— Fundamenta civitatis Dei in montibus sanctis; * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

O felix jucunditas, o jucunda felicitas Deum possidere, * et cum suis consociari sanctis;

Et, in aeternum, canere, * *Sanctus sanctus sanctus Deus Sabaoth;*

Sanctus Dominus Deus omnipotens; * *qui erat, qui est, et qui venturus est;*

Dignus es, Domine Deus, omnem tibi debitam accipere gloriam, honorem et virtutem.

Magnitudini tuae non est finis; * *magnus es, excelsus es; immensus es, sanctus es, sanctus sanctus.*

— Jesu, Pater futuri saeculi; Jesu, pignus futurae gloriae, * miserere mei—

— O beata Maria, quis tibi valeat justa referre praeconia; * et gratiarum laudes?

Templum Dei factus est uterus tuus, nesciens virum; * non est pollutus ex te carnem accipiens.

Felix es Virgo, et omni dignissima laude; * quia, singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito.

Tibi Ecclesiam sanctam, et familiam commendo meam; * tibique Pontificem maximum; Regem nostrum; meosque parentes et proximos.

Pura, pudica, pia, *, nostros etiam, o Maria, adjuva defunctos.—

— Summae Parens clementiae,
Mundi qui regis machinam.
Unius et substantiae,
Trinis personis Deus;
Memento, quod sumus tui,
Licet caduci plasmatis;
Ne des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.

CANTICUM II.

DOMINICA. — OCTAVA SS. INNOCENTIUM MARTYRUM.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra pag. 1).

Benedictus Dominus Deus noster; * qui fecit mirabilia magna solus a saeculo.

Suscipiant montes pacem populo tuo; * et colles justitiam plebi tuae.

Sedes in excelso throno; * et, psallentes in unum, te multitudo beatorum adoret spirituum dicentium:

Ecce Dominus; ecce sanctus; * *ecce cuius imperium et nomen manet in aeternum.*

Domine Deus, tu qui inanes reples animas, * et esurientes reples bonis;

Qui sedentes in tenebris, et in umbra mortis educis ad Lucem; * et qui vincula et ferreas nostras vectes illico disrumpis;

Adiuva me pauperculum tuum; * me de luto erue faecis; et de inopia bonorum operum.

Videant iterum recti corde mirabilia tua in hac populorum commotione, et dierum tempestate, * omnis iniquitas oppilabit os suum.

Sancti et Sanctae Altissimi Dei nostri orent, * et tibi, pro nostra omniumque canant salute. —

Vos quoque beati parvuli, innocentes et martyres, concinite tubis et psalteriis; * et novo laudes canite cantico.

Quia, quantum in vos iniquitas saeviit, * tantum Deus noster benedictionis gratiae refudit vobis.

Candidatam plebem imbellis infantiae ei offerre meruisti, o Bethleem, * et primitias innocentiae sanguinis;

Nesciebant tacere, quia nondum formidare didicerant, * matres volebant abscondere, et ipsi se infantuli publicabant.

Miscebatur aeger matrum ploratus vagitibus puerorum, mortis comes et funeris atri, * et ad Coelum volitabat oblatio innocentium.

Quid profuit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus, tot inter funera
Impune Christus tollitur!

Inter coaevi sanguinis
Fluenta, solus integer,
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis!

Gaudet quidquid gentium est
Judaea, Roma, et Graecia,
Aegyptus, Trax, Persa, et Scytha,
Rex unus omnes possidet. —

— Nullum est consilium hominis contra Dei consilium; * Deus regnat, Deus imperat, vincit Deus.

Et nunc innocentes omnes et martyres, * mecum Altissimo, novum laudis agite hymnum.

— Domine Deus, inaestimabilis est tuae gloriae splendor, * ineffabilis est tuae charitatis benignitas.

Jaculis istis cor vulnerasti meum; * et ego desiderio tui vehementer flagro.

Benedictus es Domine Jesu, et benedicendus in saecula, * quia operatus es redemptionem nostram.

Dum tuae bonitatis et pietatis considero excelsum, * cor non sufficit meum; et prae amore deficio.

Deus et pulchritudo tua, virtus, magnificentia et plenitudo, * maiestas et dulcedo omnem excedit sensum.

Piissime, qui nos sic amasti, vivificasti et sublimasti, * quam dulcis est memoria mirabilium tuorum.

Potentissime, qui gladium confringis inimicorum tuorum; * et arma ad salutem convertis nostram.

Animas ad visionem pacis innocentium adducis, * gloria, ideoque eorum annuntiabitur in saecula » —

— Sanctissime, sta denuo vigilantibus oculis super custodiam meam; * et sancto tuo amoris affectu in loco peregrinationis meae.

Oculi tui lucidiores sunt super Solem, circumspicientes in profundum abyssi; * et hominum corda intuentes in absconditas partes.

Vae! qui profundo estis corde; * et a Domino consilium absconditis;

Istorum opera sunt in tenebris, et dicunt; * *quis videt nos? et quis nos novit?*

Perversa est haec cogitatio, quasi si lutum contra figulum conspiret; * et opus factori dicat suo, *non fecisti me;*

Et quasi si figmentum fictori dicat suo, * *non intelligis me.* —

Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et meditabitur in justitia; * et in sensu considerabit circumspectionem Dei nostri.

Sic, et non aliter, psallam semper spiritu; * psallam mente et ore te factorem et redemptorem meum.

Ita thesaurus incomparabilis meus,* tecum Polum penetrabo.

Et ubi tu es amabilis et optabilis,* ibi desiderio, cogitatione et aviditate adstabo et ego. —

— Panis vivus et vitalis, qui de Coelo descendisti, * miserere mei;

Quamquam indignus, candidam tibi et electam paravi aediculam (a), * ingredere, benedicte Domine, cur foris stas?

Benedicam tibi nunc et in saecula; * et benedicant te omnes, qui se Communionibus commendarunt meis.

Veni benignissimus aeterni Patris Filius; Agnus occisus ab origine mundi * veni, et parce, animas et corpora sanctifica nostra. —

POSTCOMMUNIO

Tibi, Domine, aeterna sit laus et gloria; * parasti in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me.

Panem Angelorum; caro, cibus, sanguis, potus; * panis filiorum in ea.

Cor, mens, et anima mea adoret te cum Angelis; * et Sanctorum agminibus.

Domine Jesu, gratiae fons, et bonorum omnium auctor, * me tibi in hoc offero Sacramento.

Ad te animam elevavi meam, Deus meus in te confido, non erubescam,* neque amplius inimici irrideant mei.

Confirma me; * ut mutationem sentiam dexterae Excelsi.

Repleatur, sicut adipe et pinguedine, anima mea, fortis et potens fiam.

De virtute in virtutem, ad opera ambulem, in hoc deserto, salutis

(a) *Vide november. Canticum CXXXII.*

aeternae, * usque ad montem sanctum tuum. —

— Deus, si tu pro nobis es, quis pugnabit contra nos? * omnia possumus in eo qui nos confortat.

Quamvis nos affligi permittis, * numquam tamen plebem repellis tuam.

Quis, praeter te, consurget adversus malignantes? * aut quis stabit nobiscum in insanabili saeculi huius insania? et contra multitudinem operantium iniquitatem?

Nisi hactenus animas adiuvisses nostras, * paulo minus habitassent in Inferno.

Factus es nobis in refugium; * et Deus noster in auxilium spei nostrae.

Si ambulaverimus in medio mortis umbrae, non timebimus mala, * quoniam tu nobiscum es.

Caro tua, vere est cibus fortium; * et sanguis tuus vere est exultantium potus.

Nullum certe efficacius remedium, adversus nequissimi Diaboli ignea tela, * cum quo quotidiana est pugna, et difficilis victoria.

Tentationes et cupiditates facile restinguntur aqua ab iis, * qui in gaudio eam de fontibus hauriunt tuis.

Omnibus, in hoc Sacramento, praesidium et auxilium aperis istud; * et in hoc propinas nobis vinum germinans virgines vigilantes.

Comedam adhuc, Domine, et bibam; * animam inebrians suavi dulcedine tua. —

— Et tu intacta es virgo, o Maria, Coeli et terrae parelion, et mundi Mater; * quia gestatrix fuisti vitae et laetitiae;

Ornamentum umani generis; * et universae creaturae decus;

Et propitiatorium, * ex quo Deus hominibus humana inhotuit forma.

Etiam et Angelorum Regina, et Domina mundi, * intercede pro nobis, nostram in tuis manibus suscipiens causam. —

Gloria Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saeculi. Amen. —

CANTICUM III.

EPIPHANIA DOMINI.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra pag. 1).

Manifesta mihi, Domina Maria, hoc amoris mysterium; * mentem illumina meam.

Epiphaniam celebranti Domini, mihi Fidem impetra perfectam, indulgentiam peccatorum, * perpetuam gubernationem consolationemque vitae.

Candelabrum aureum, clarum, et lucidum, septem lychnis sancti Spiritus ornatum, * in te operatus est Spiritus sanctus;

Suis plenam donis, * divinam humanamque Prolem, prius quam corpore, mente concepisti.

Domino meo Jesu, et tibi Domina serviens mea, ad vestram jugiter praesentiam etiam ego recipi merear.

A Patre Unigenitus
Ad nos venit per Virginem
Baptisma cruce consecrans,
Cunctos fideles generans.
Mane nobiscum, Domine;
Noctem obscuram remove;
Omne delictum ablue;
Piam medelam tribue.
Quem jam venisse novimus,
Redire eiusdem credimus.
Sub Sceptro tuo inclyto
Tuum defende Populum.

Viderunt Magi Stellam Domini in Oriente, * et venerunt cum muneribus, adorare Jesum jacentem in Praesepe.

Surge, Illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum; * et gloria Domini super te orta est.

Venit dominator Dominus, * regnum in manu eius est, potestas, et imperium.

Gentes de cunctis populis et linguis ambulant in conspectu eius; et Reges in splendore natalis eius.

Stella Domini sicut flamma coruscat; * et Regem Regum Deum demonstrat.

Magi Reges eam intellexerunt; ideoque Magno isti Regi munera obtulerunt.

Pretiosa munera, quae tibi, Rex magnus noster, obtulerunt; * habent in se divina mysteria.

Divinitatem humanitatemque; * mortem et passionem praesignificant tuam.

Quicumque Christum quaeritis,
Oculos in altum tollite;
Illic licebit visere
Signum perennis gloriae.
Haec Stella, quae Solis rotam,
Vincit decore et lumine,
Venisse terris nunciat
Cum carne terrestri Deum.
Hoc Sidus aeternum manet,
Haec Stella nunquam mergitur;
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis Cometa intercidat,
Et si quod astrum Sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce destructum cadat.
En Persici, ex Orbis sinu,
Sol unde sumit januam
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quod, ut refulsit, caeteri
Cessere signorum Globi;
Nec pulcher est ausus tuam
Conferre formam Lucifer.
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans?
Quem sic tremunt coelestia
Cui lux et aether serviunt?
Illustre quiddam cernimus
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius Coelo et Chao.
Hic ille Rex est gentium,
Populique Rex Judaici,
Promissus Abrahae Patri,
Eiusque in aevum semini.
Aequanda nam Stellis sua
Cognovit olim germina,
Primus Sator credentium
Nati immolater unici.
Jam flos subit davidicus,
Radice Jessaea editus,
Sceptrique per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
Exin, sequuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Claramque signabat viam.
Sed verticem Pueri supra,
Signum pependit imminens,
Pronaque submissum face
Caput sacratum prodidit
Videre postquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, Myrrham, et aurum Regium
Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et flagrans odor
Thuris Sabei; ac myrrheus
Pulvis, sepulchrum praedocet.
Agnosce clara insignia
Virtutis, ac regni tui
Puer, o cui triuam pater
Praedestinavit indolem.

Leva oculos tuos in circuitu; dilata cor tuum, sancta Sion, videns Filios et Filias affluentes in Ecclesia tua magna; * hymnumque canentes.

Beati sunt Populi, quos tu elegisti et assumpsisti; * tu, mirabilis in bonitate, reples eos gaudio largiens bona domus tuae.

Sanctum est Templum tuum; * singulare et admirabile in pietate et magnificentia.

Accinctus potentia tua, profundum conturbas maris; * edisque, et simul composcis, a summo usque ad imum, sonitum fluctuum ejus.

— Venit parvulus Infans dominator Dominus, * visitans Ecclesiam suam.

Regnum in manu eius est, parcere poenitentibus; infideles ad Fidem vocare; * gratiamque humilibus augere.

Visitans Ecclesiam suam benedictionibus inebriat eam; * et, irrigationes multiplicans, flumine lucis et gratiae clarificat eam.

A Sidere matutino in Oriente, usque ad illud quod vespere occulit, * multiplica, Domine, genimina ejus.

Converte ad eam Gentes omnes; * re-

vora pertinaces et aberrantes a catholica Fide.

Stillicidiis tuis locupleta frugibus eam; * sic, toto anni gyro, abundantiam benedicat benignitatis tuae.

Te, spes omnium finium terrae, magne Deus, manifestate Gentibus, * novus decet hymnus in Sion.

Et cum omnem solveris captivitatem Gentium, * tibi, laetantes, reddemus etiam vota in Hierusalem. —

— Attollite, fratres, manus vestras in sancta; * et voces laudis in communione Sanctorum.

Ecce quem quaerimus, venit dominator ad Templum sanctum suum; * Ipse est Testamenti Angelus, quem Patres expectaverunt nostri.

O sola, magnarum urbium,
Maior Bethlem, cui contigit,
Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere!
Altrice te Summo Patri.
Haeres creatur unicus:
Homo ex Tonantis Spiritu,
Idemque sua membris Deus.
Hunc, et Prophetis testibus,
Iisdem signatoribus.
Testatur, et Sator iubet
Adire regnum et cernere.
Regnum, quod ambit omnia
Dia, et marina, et terrea,
A Solis ortu ad exitum,
Et Tartara et Coelum supra.

— Pateant nunc misericordiae tuae; Pater omnipotens, * nostris precibus aures tuae;

Et quae tibi accepta sunt fac nos postulare; * et petentibus postulata concede

Ut a nobis submoveas, exoramus, noxia cuncta, * et omnia concedas quae sunt profutura;

Et, propter gloriam nominis tui, Religionis nobis infunde augmentum; * ut nutrias quae tibi placent; et, nutrita, custodias. —

— Tu, Christe, ipse es Rex gloriae; * et Deus qui salutem mandas Iacob.

Abundantia pietatis tuae, merita excedis suppiicum et vota, * misericordiam super nos effundens tuam.

Dimitte quae nostra metuit conscientia; * et adde quod nostra non praesumit oratio.

Te ipsum adde Anima Corpore et Sanguine; * ex Divinitate in nobis dulciter hospitantem. —

— Nostrum accendat spiritum Deiparens sancta; * veneranda, omnibus laudanda laudibus.

Domina rerum; exemplar virtutum, * deliciarum hortus, et exhortatio laborantium.

POSTCOMMUNIO

Magi te infantem venerati sunt in cunabulis; * ego te, in Sacramento et in Coelis, adoro, laudo, invoco.

In te inimicos animae meae cornu ventilabo; * et, in nomine tuo, spernam insurgentes in me; quia mecum es, et in visceribus meis.

Dilectus meus mihi, et ego dilecto meo, * et ad me conversio eius.

Noverim te, dilecte mi, noverim me; * me ut studeam esse quod debeam; et, quod corrigendum est, ut cito corrigam:

Noverim te ut semper te amem, et cogitem quod de nihilo me creasti; * et, quod omnia quae habeo dona tua sunt.

Insuper quod Filium dedisti nobis in pretium redemptionis; Spiritum sanctum tuum in privilegium amoris; * et te totum servas in haereditatem adoptionis.

Dilige, anima mea, illum qui tam vehementer te dilexit; * quaere quaerentem te;

Sollicita sis cum sollicito; vacans cum vacante; * munda cum mundo; sancta cum sancto.

In eo finem invenies supereminentem; in eo meritum et praemium; in eo gloria et felicitatis cumulum. —

— Quis nostrum, viri fratres, scit si convertatur Deus et ignoscat? * et quis scit si revertatur a furore irae suae, et non peribimus?

Reddere enim unicuique statuit se-

cundum opera ejus; * iis quidem, qui boni sunt, retribuet gloriam, honorem et incorruptionem:

Iis autem, qui in contentione sunt, et veritati non acquiescunt, * iram rependit et indignationem.

Ideoque omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, * ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. —

— Domine Jesu, infans amabilis, propitius esto mihi peccatori; * ut, in benedictionibus tuis, discedam justificatus.

Viam iniquitatis amove a me; * et confirma me in exequendis mandatis tuis.

Noli me confundere; exaudi me per Matrem te lactantem; * ut in tuo vivens timore, lacte nutriar dulcedinis tuae. —

— Salve, vitae principium; * et per currum eburneum, e terra ad Coelum trajiciens populos,

Salve immaculatum, atque incontaminatum Dei Verbi habitaculum; * quemadmodum ipse complacuit sibi;

Salve Coeli splendens facula; * quae Gratiarum lucem Fidelibus affers;

Singulare decus; gloria israel; Jesu Christi dextera ad lapsos extensa erigendos omnes, * salus et nobilitas electorum omnium

O beata Maria, salve; * et nostras admitte preces intra sanctuarium exauditionis tuae

Nobisque, proximisque nostris; * antitodum reporta reconciliationis tuae.—

— Jesu tibi sit gloria
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

—

Andriani 2

CANTICUM IV.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Ad te, Domine, animam elevavi meam, Deus meus, in te confido, * exaudiendo fac ut non erubescam;

Neve irrideant me inimici mei de mea fiducia; * etenim, universi qui adventum expectant tuum, non confundentur in die judicii.

Nec unquam iniquorum permittas perversitatibus me frangi; * vel in tenebrosis illaqueari dolis.

Tibi pauper derelictus est tutandus, et orphano tu es adiutor; * tu laborem consideras et dolorem meum; et, pius, desiderium exaudi meum.

Domine Deus meus es tu, interrogans justum, et scrutans impium; * justum quidem ut suscipias; et rectum ut exaudias votum eius;

Et ut liberes eum a laqueis in umbra retextis iniquae mortis.

Qui mane junctum vesperi
Diem vocari praecipis:
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.

Ne mens, gravata crimine,
Vitae sit exul munere;
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Coelorum pulset intimum,
Vitale tollat praemium:
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

Ipse, viri fratres, nostrorum auctor est munerum; * ipse, misericors, susceptor noster est.

Coelesti suo lumine nos semper et ubique praevenit; * ut puro terrena omnia cernamus intuitu; et digno coelestia percipiamus affectu.

Cooperuit Coelos gloria tua; tu, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et

immortalis; * Ita Dominationes te salutant et Potestates.

Adiuva nos, abyssus etenim vocem dedit suam, * plaudens tibi et obediens;

Nos omnes gaudemus in te; * et exultamus in Deo Jesu nostro. —

— Domine Deus formidabilis, iudicasti in nationibus; * Imperium Filio dedisti tuo, et cornu Christi tui in aeternum sublimasti.

Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis
Dies diem illuminans.

Te mane laudem carmine.
Te deprecamur vespere;
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet saecula. —

— Tu es Sacerdos in aeternum; * Sacerdotale tuum ministerium et lumen in Ecclesia accendis magna.

Deus, singulari honoris privilegio, sibi de populo Sacerdotes eligit, ut ministrent coram Ipso.

Ut pote amici, et intimi Consiliarii, mensae discumbunt suae; * cibum capiunt, indeque fidelibus dispensant.

Officium prorsus admirandum et tremendum; * vereque divinum!

Istis, certe, concessum est, quod Angelis negatum, * videlicet, ore consecrare sacro Dominum maiestatis!

O veneranda Sacerdotum novae legis potestas! * e throno gloriae tuae evocant te altissimum Dominum;

Et, in altare incruenti Sacrificii * praesentem sistere faciunt.

Ita, realiter, sponte Deus, et libenter obedit voci hominis; * et sinit sese illius contrectari manibus et dispensari.

Magna omnino dignitas est nostra, frumentum accipiendo electorum;* maior sed est Sacerdotis consecrando, et dispensando. —

— Domine Jesu, per sanctum et aeternum Sacerdotium tuum; et, per divinam Sacramentornm omnium institutionem, ministrantes sanctifica tuos; * nec non universum populum suscipientem tuum;

Et concede cum servis tuis, sancta confoederanda concordia, * in hoc et in futuro consecrari saeculo. —

— Vovete, et reddite Domino Deo nostro, * omnes qui in circuitu eius affertis munera.

Et Mariae jugiter etiam vovete; * aula est coelestium Sacramentorum, et Iris propitiationis totius mundi.

Aurora est Solis praevia; et dies noctis nescia, * auctrix meriti, sicut Heva peccati.

Ipsa, nostra fortissima protectio, * refugium et firmamentum,

Ipsa, Deo charissima, animarum nostrarum contra infensos extat custodia hostes, * et trophoeum.

Mater misericordiarum, pro nostra ergo intercede omniumque salute * Christum salutis accipientibus auctorem.

POSTCOMMUNIO

Domine, qui ad spirituales delicias nos semper invitas, * adauge paratae dulcedinis desiderium.

Fac ut, tuae vocationi fideliter obsequentes, * posthabitis omnibus, ad coenae tuae accurramus convivium.

O anima, ama amatorem tuum, * qui te praevenit amore.

Insignitam Dei imagine, * redemit te pretioso Sanguine suo.

Desponsatam Fidei, Spei, et Charitati, virtutibus ornavit te; * deputavitque congaudere cum Angelis.

Suavis, mitis, dulcis, utilis, humilis et misericors, eduxit te de lacu miseriae: * et de luto faecis.

In similitudinem hominis tibi apparuit in Terra; * ut confidenter diligeretur a te. —

— Cum deposuero senescentem istam sarcinam, et subtracta omnia mihi erunt, * solus ipse mihi servabit Fidem.

In die sepulturae meae, omnes recedent, * ipse me non derelinquet!

Immo a rugientibus tuebitur para-

tis ad escam; * et, per ignotas regiones, animam perducens meam collocabit eam ante faciem maiestatis suae. —

Auxilientur mihi, Domine, * ad istam consequendam gloriam tua sumpta mysteria.

Anima, hospes, comesque corporis, dilige Jesum, dilectione dignissimum: * cordium et aeternitatis lumen. —

— Aspiciamus, viri Fratres, in auctorem Fidei, et consummatorem Jesum; * quia, proposito sibi gaudio, crucem pro nobis sustinuit, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.

Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, adversus semetipsum contradictionem; * ne non fatigemur animis deficientes nostris.

Pacem sectemur cum omnibus, et sanctimoniam; * sine qua nemo videbit Deum. —

— Sit Trinitati gloria;
Quae sacra per mysteria
Orantibus dat gratiam,
Qua consequuntur gloriam. —

CANTICUM V.

FESTUM S. ANTONII ABBATIS.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Munera tibi Domine, sacris superposita altaribus, * in salutem nobis verti deposcimus.

Intercedente Beato Antonio Abbate, * nobis in vita intende, nobis et in morte.

Deprecatio eius, apud te, deprecationes commendet nostras; * ut tuae claritatis percipiamus suffragia.

Non sitis linguae poterunt referre
Cordis ardores, quibus ipse terram
Respuens, summo cupiebat aestu.
Praemia Coeli.

Ipse doctrina, meritisque clarus
Praedicans verbo, simul atque factis,
Duxit errantes ad ovile Christi,
Miraque gessit .

Domine Jesu, tu semper desiderium animae exaudisti eius; et in solitudine ei multa benigne tribuisti.

Et deprecationi indulgens labiorum eius, in filiis suis anachoretis et Coenobitis, * viventem adhuc, ei post mortem non fraudasti eum. —

— Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio spem; * spes vero non confundit.

Ideoque in perpetuam fulgebunt iusti aeternitatem; * et, tamquam scintillae in arundineto discurrent.

Judicabunt Nationes, quando ignis orbem inflammabit Terrae, et populis dominabuntur * quoniam donum et pax Dei nostri in Electis suis. —

— In magnis saeculi huius tempestatibus, patientiam, Domine, nobis dona, probationem; solitudinem, et spem exauditionis in morte. —

— Quis est homo, qui vivet et mortem non videbit, * experientia novi neminem esse qui semper vivat.

Moritur homo, etiamsi Princeps fuerit, Abbas, et Pontifex; * morietur, sicut et caeteri, qui praecesserunt Pontifices Abbates et Principes,

Et quidem, in die qua non putat; hora, qua nescit, * et quo ignorat modo.

Ego jam video illam, quae insidet equo; cui nomen *pallida mors*, et uno distat a me gradu; * et jam, terribili clamat voce: *finis super te — finis super te.*

In die internecionis, unicuique divitiae et deliciae, honores, et dignitates, * vacuae omnino apparebunt et inanes.

Longissimae vitae dies videbuntur declinasse, * tanquam velocissima umbra;

Tunc peccata, sicut exercitus grandis nimis, exurgent, * super victimam irruent mortis, formidine exterritam et pavore.

Tunc, super justitias quoque turbabitur homo, * et expavescet multum,

nesciens utrum amore an odio dignus sit.

Et quid ei videbitur de commessationum excessu? de vanitate indumentorum? * de luxu supellectilium? et de otio dierum?

Quid de concupiscentia carnis et oculorum? quid de superbia vitae? quidque de libertate et delirio saeculi Philosophiae?

Quid de defectu orationum? de eleemosynarum parsimonia? * de ambitione desideriorum? de aversionibus et inimicitiis.

Quid de defectu Confessionum? * et de negligentiis in sacra Communione?

O mors, bonum est judicium tuum; sicuti tunc sentirem, volo nunc me ludicare; * sicut tunc agerem, volo nunc me emendare.

Vivens domui disponam meae, ne non possim moriens; * et consiliarius meus sapientissimus es tu, o bona mors.—

— In veritate, viri Fratres, comperi, quia non est acceptator personarum Deus; * sed in omni Gente, qui timet eum, et justitiam operatur, acceptus est illi.

Qui non accipit personas Principum; nec cognoscit Tyrannum cum disceptat contra pauperem; * opera enim manuum ejus sunt universi.

Non subtrahet personam cuiusquam Deus; nec magnitudinem verebitur potentium et potentatuum; * quoniam pusillum et magnum ipse fecit; et aequaliter est ei cura de omnibus.

Tu, Domine Deus noster, faciens misericordias in millia his qui te diligunt, * et praecepta custodiunt tua.

Adiuva nunc Fidem meam; * et peccata propitiaberis mea, quia pauper sum ego.

Dum nomen invoco tuum, contremiscat Satanas cum satellitibus suis; * atque in aeternae mortis chaos immaniter diffugiat.

Expedit moriatur anima mea morte iustorum, * et ita, Domine, in pietate tua dispone, ut in aeternum non moriar.

Adjuva, Domine, ad operandum bonum; in nomine seminabo tuo, in nomine metam tuo; * et thesauros in Coelo congregabo.

Et, cum veneris ad rationem villicationis poscendam meae, servus apparebo tibi fidelis manipulos portans meos.

Fac ut quotidie, per cogitationem moriar; * ut tecum gaudeam, quando liberabis me de corpore mortis huius.

Quotidie adstans missae sacrificio, in sacrosancto Corpore et Sanguine tuo, mortis renovabo commemorationem, * et mortuorum;

Et animo reputans, quod jam pro me campana pulset, funus annuntians meum, dicam tibi, Domine, * « in pace tecum dormiam et tandem requiescam. » —

— Sancte Joseph Mariae Virginis Sponse, * curam gere mei finis.

Maria Virgo Josephi sponsa et agonizantium advocata, * in tuis animam manibus commendo meam.

Salve spiritualis Scala, e terris ad Coelum pertingens; * lucis janua, et fidelium gloria;

Ad tua semper confugio praesidia; * suffragia implorans pietatis tuae et auxilia;

Vitae meae refociliatrix, a te Viatorum cibus, et immortalitatis baculus, omnibus emanavit; * ideoque tuis manibus in cordibus nostris, hunc purum aperi amoris fontem.

Christus nobis sit cibus;
Potusque noster sit Fides;
Laeti bibamus sobriam
Per fusionem Spiritus.

POSTCOMMUNIO

Deus meus, aeternae lucis candor;. Deus veritas, via, et resurrectio nostra.

Deus Hostia sancta, et Calix benedictionis inebrians, te adoro; * te laudo, tibique gratias refero.

Meo es in pectore, mea et in anima, ne discesseris a me; * benedic substantiae, et amore moriar in osculo pacis tuae.

Refectus participatione Hostiae immaculatae, * cuius exsequutus sum cultum, sentiam et effectum.

Fortitudo mea es' tu, Deus absconditus, et Salvator meus; * fiducialiter agam et mortem non timebo.

Quis me separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? * an periculum, vel persecutio, aut gladius?

In his superspero omnibus, * propter eum qui diligit me

Haurient omnes simul mecum aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; * ut sit in medio omnium magnus sanctus Israel.

Aufer tenebras mentium,
Expelle somnolentiam;
Fuga catervas Daemonum,
Ne pigritantes obruant. —

— Ave Regina Coelorum, ave Domina Angelorum; * salve advocata; salve Mater et Regina nostra Maria.

Te trina Deitas, unaque poscimus;
Sic nos tu visita, sicut te colimus;
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad Lucem, quam inhabitas. — Amen.

CANTICUM VI.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM — FESTUM SS. NOMINIS JESU.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Misit Dominus Verbum suum ; sanavit nos, * in nomine sancto suo eripuit nos de interitu.

Æterna Coeli gloria,
Beata spes mortalium,
Summi tonantis unice,
Castaeque Proles Virginis.

Da dexteram surgentibus;
Exurgat et mens sobria
Flagrans, et in laudem Dei,
Grates rependat debitas.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas
Et intus fervet charitas,

Jesus, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium;
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesu, flos matris virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis.

— Domine Deus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa Terra.

In nomine Jesu omne genuflectatur Coelestium, * terrestrium et Infernorum.

Non est aliud nomen, * in quo nos salvos oportet fieri.

Confiteatur omnis caro; * nomen benedicat tuum; * sub hoc titulo glorietur in gloria tua.

O bone Jesu, oleum effusum est nomen tuum , * sub hoc titulo aeternae praedestinationis , nomen scribe nostrum in libro vitae. —

— In hoc Sacrificio et Sacramento, memoriam facis, dulcis Jesu, amoris; * et nominis tui.

Hic te rursus invenio infantem pannis involutum ; * hic te Sacerdotibus, ceu Parentibus, subditum video, Deum absconditum et Salvatorem.

Hic te peregrinantem; et, ex cathedra veritatis verba aeternae docentem vitae; * et omnium sanantem languores.

Hic cruci affixum; et reconditum in sepulchro; * et hic, gloriosum et triumphantem , denuo ad Coelum ascendentem.

Victima pro peccatis meis, * centies, sacrificium, et millies in altari renovas;

Captivus noster claudi vis; * in tabernaculo custodiri, et observari.

Offerri vis; consecrari; immolari; * et manducari.

Victima placationis , impetrationis et laudis victima amoris, Patri nos reconcilia tuo; * et ipsi, pro nobis, debita sanguine rependis omnia.

Sacramentum pietatis; vinculum charitatis, ita obsignas et coniungis; * ut in nobis tu sis, et nos, in te facti concorporei et consanguinei, hymnum laetantes tibi canimus.

— Exultent gentes, quae in universa habitant terra; * gustent, et videant quam suavis est Deus noster.

Obstupescite Coeli; admiramini Cherubim, * nobiscum collaudent Angeli nomen Jesu Regis gloriae.

Nomen Jesu, fons amoris; nomen Jesu dulce et delectabile; * Deus pacis et amator noster.

Mel in ore nomen tuum; in aure melos, * et in corde iubilum.

Sperent in te, qui nomen noverunt tuum; * quoniam non dereliquisti quaerentes te.

Confiteantur utique nomini magno tuo; * quoniam terribile est et sanctum.

Jesu, pater pauperum; Jesu, merces nostra; * o bone Jesu, nomen tuum Corona est sanctorum omnium.

Illud in frontibus scribe nostris; * et, aere perennius, sculptum in cordibus maneat nostris.

— Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, * in domum Domini ibimus.

Fiat nunc mihi pax in fortitudine sua; * et abundantia in turribus suis.

Sublevo oculos meos in montem sanctum Dei, * unde auxilium expecto in nomine Domini mei.

Nomen eius custodivit me ab omni malo; protectio mea est; * et exitum custodiat meum ex hoc nunc et usque in saeculum.

Abundantiam, humiliter, expecto gratiarum, * nomen invocans sanctum tuum, Domine,

Et in magnam erigor spem perveniendi quo ascendant Tribus Tribus societatis nominis Jesu, * ad confitendum tibi.

Sanctum et terribile est nomen tuum; * benedictum et benedicendum ex hoc nunc et usque in saeculum.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium;
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper saecula. — Amen.

POST COMMUNIO

— O, bone Jesu, quanta in tuo convivio est dulcedo; * immensus amoris fructus animae singulariter impensus meae.

Quam jucundum recepi hospitem, quam fidelem acceptavi amicum! * quam speciosum et nobilem amplector sponsum!

Gratias, tibi Domine, * qui pauperem tuum et exulem, dignatus es pretioso Corpore et Sanguine reficere tuo.

Nihil gratias reddere queo, * quam ut tibi cor meum coniunctum semper sit,

Lumbis, jecurque morbidum
Flammis adure congruis,
Accincti ut artus excubent
Luxu remoto pessimo. —

— Rogo te, suscipe me in servulum; * et etiam in sacrificium, ac perpetuae laudis obsequium.

Jubilationes Sanctorum omnium, spirituales affectus, mentales excessus, * tibi pro mea exhibeo tepiditate;

Tibique supernales illuminationes, et coelestium visiones, * pro mea offero insufficientia.

Vota, Dominè Jesu, accipe mea; haec tibi reddere valeo; * et, per singulos dies et temporum momenta, reddere cupio.

Omnia bona mea pauca sunt et imperfecta; * age mecum, secundum bonitatem tuam; emenda, dita, et sanctifica.

Misericordiam imploro, ut me totaliter emundes; * comburas et transmutes.

Intuere quoque, Domine, tuo pietatis oculo fratres, sorores, amicos; * omnesque caros meos.

Auxilium Gratiae; consolationis spem; * protectionem a periculis;

liberationem a paenis Gentes a te expectant omnes.

In nomine sancto tuo, qui tempestates sedas auxilium inveniemus omnes; * ut, laetantes confiteamur tibi; et in aeternum gloriemur in laudibus tuis.

Ambulantes in lumine vultus tui, exultabimus in nomine sancto tuo Jesu, * in saeculum saeculi.

Fili, flos Mariae virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis.

In hoc beatae pacis Regno tribus ascendent Domini; * testimonium Israel ad confitendum nomini tuo Domine.

Millia millium ministrant tibi; * et decies centena millia assistunt tibi.

Numquid est numerus militum ejus? * et super quem non splendet lumen nominis ejus?

Inclyta virgo Maria, ab omni adversitate; usque ad diem exitus nostri, * nos protege et defende.

Pugna fortiter pro nobis, ne succumbamus in ea; * sed potius illaesi transeamus.

Foeditatem terge nostram, * tu quae semper coelesti rutilas luce, et puritate Dei.

Accedente favore tuo inter tot corruptibilis vitae discrimina, *ad Patriam perveniemus perpetuae claritatis.

— Laus sit aeternum Triadi per aevum
Alta quae Coeli super astra regnat;
Quae mari, et terris, variisque Mundi
Imperat oris.—

CANTICUM VII.

DESPONSATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS CUM S. JOSEPH. — INFRA OCTAVA SS. NOMINIS JESU.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Potentissime Deus in laudem et gloriam supremae maiestatis tuae, sanctissimi Corporis et Sanguinis Filii tui mysteria recolere, * et sumere hodie cupio.

Vere, Domine, in te solo totum adest, quod satiare potest cordis mei desiderium; * et exsaturare famem.

Quid enim mihi est in Coelo, et a te quid volui super Terram? * nonne te Deus cordis mei, Deus merces in aeternum mea?

Nonne est memoriam recolere sanctissimae passionis, mortis; * et redemptionis tuae?

Et haec recolo in hoc pietatis Sacramento; * gratiarum aldens actiones pro omnibus donis et beneficiis tuis Ecclesiae tuae et mihi concessis indigno.

Recolo in propitiationem pro innumeris peccatis meis; pro salute fratrum, sororum et proximorum meorum; * nec non pro defunctorum suffragio.

— Domine Deus Filii Dei vivi, tu vivus es panis, et vitalis, * tu fons aeternae vitae.

Tu omnia ex quibus recti vivunt corde; * et qui te summopere diligunt.

Vae animae, quae Christum non amat, * anima infelix ista mortua est.

Summa et aeterna Sapientia, ad humani generis te inclinasti salutem; * et in tuam transtulisti gloriam.

Nec formam servi, formam violavit Dei, * quia, quod eras, esse non desiisti; nostra suscipiens et propria non amittens.

Qui te non diligit, mundum diligit; * et servituti subjicitur peccati.

Nunquam securus; nunquam quietus; * insuper sibi, in die iudicii, infernum thesaurizat.

Confugiat mens mea sub umbra alarum tuarum, * ab aestibus cogitationum perversi saeculi huius.

Famuletur tibi semper, et tibi soli peregrinatio suspiret mea, * in tuo ardens amore.

Da, quotidie, mihi lasso, et morti proximo Eucharisticam mensam; * indeque, dissipatam colliget, captivam

libera animam meam; scissam redintegra.

En ad ostium stat tuum, et pulsat; iube aperiri misellae pulsanti; * et, super mensam tuam, de pane reficiari coelesti.

Jesu, Deus fortis, Jesu admirabilis;* Jesu Fili Mariae Virginis, veni; et succurre. —

— O Maria, mater Domini mei et mea mater, * o Maria, coeli clavigera, aperi mihi.

Dominus possedit te ab initio viarum tuarum, * a primo instanti creationis tuae.

Tu, quasi umbrosus Terebinthus, ramos extendisti tuos; * rami tui honoris, puritatis et gratiae.

Spiritus tuus super mel dulcis, et haereditas tua super mel et favum.

Beati qui a te audiunt Disciplinam;* et qui quotidie, recti et sancti, ad postes vigilant ostii tui.

Qui te invenit, invenit vitam; * et haurit salutem a Domino.

Et qui te elucidant, * laetitiae coronam habebunt aeternam.

Hodie, pulcherrima ista inter filias; hodie beata ista Maria, nobilissima ex Davidica progenie, * castissimo est desponsata viro Josepho.

Salve sancta Parens — enixa puerpera Regem; * — qui Coelum terramque regit in saeculorum saecula.

Benedicta es tu, Virgo virginum; * quae, sine tactu pudoris, inventa es mater Salvatoris.

Per quam salus credentibus apparuit mundi, * gloriosa, cujus vita lucem dat in saeculum.

Dei Genitrix dulcissima, * quem totus non capit orbis, in tuis se clausit visceribus factus homo.

Benedicta est memoria tua in generationes omnium gentium; * quia, ex te ortus est Sol justitiae Christus Deus noster.

Vere beata es Maria, et laudabilis nimis; * genuisti qui te fecit immaculatum, et in aeternum permanes Virgo,

Et, qui ex te natus est, sacravit te ante in solemniis desponsationis cum divo Joseph; * et virginis matris suae integritatem minui non sivit.

Per tua merita, et sponsi tui, accepta haec nostra fiat oblatio in conspectu Filii tui; * ut, pro laetitia desponsationis tuae, a piaculis non exuat.

Cui laudem os loquetur meum? * hymnum certe mecum omnis caro, pro gratiarum actione, nomini canet sancto tuo Jesu.

Lauda Sion Salvatoris
Jesu nomen, et amoris
Toto cordis iubilo.

Nomen sanctum nos amare
Docet semper et laudare
Absque mentis nubilo.

Jesu nomen, potestatis,
Atque aeternae maiestatis,
Summi Patris brachium.

Coelos fecit, terrae molem
Jesus nomen, atque Solem,
Et coeleste gaudium.

Angelorum ingens coetus
Protoplasterque perfectus
Fuit Jesu nomen.

Et aquarum magni fontes
Sunt immissi super montes
Juxta rerum ordinem.

In Ægypto fecit signa
Jesu nomen, et maligna
Perdidit prodigia.

Scisso pelago transvexit
Israelem, et demersit
Hostium insignia.

Huius nominis virtute
Superborum sunt destructae
Daemonum potentiae.

Simulacra idolorum
Sunt eversa; tyrannorum
Fractae violentiae.

Jesu nomen figuratum,
Vehementer expectatum,
Patrum desiderio,

Revelatum nobis quidem
Dedit spem, amorem, Fidem
Maximo mysterio

Nomen ergo hoc amandum
Toto corde, et adorandum
Omni reverentia.

In adversis nomen sanctum
Invocatur, Jesu tantum
Aderit praesentia.

Praesentia Deitatis,
Et totius bonitatis
Dulcis Jesus aderit.

Fugat morbos et livores,
Sed et animi languores
Jesus ubi venerit.

Veni ergo Jesu bone;
Et te cordi nostro pone
Nobile signaculum. — Amen.

POSTCOMMUNIO

Satietas animarum sanctarum; * solummodo in te, Domine Jesu, est libertas et quies.

O dives bonorum omnium, o supernae satietatis largitor Deus, * o viscera misericordiarum plena.

Triste fit mihi quod in hoc video mundo; * grave est quod de transitoriis audio.

Apprehenderunt me moerores animi, sicut dolores mortis; * et torrentes iniquitatis conturbant me.

Invoco te, Deum meum; Domine ad te clamo, * ab increpatione tua, et ab inspiratione Spiritus tui, longe a vita mea evadant ista.

Quoniam omnia judicia tua semper sunt in conspectu meo; * et justitias tuas a me non repuli.

Nam tu, Domine, cum pio et pacifico, benignus es; * humiles salvas; incredulos et superbos humilias.

Et aliquando gressus dilatasti meos, viam, subtus me expandens planam; * et, per te non sunt infirmata, neque viribus vestigia defecerunt mea.

Salva etiam nunc me de inimicis meis; absconde me in abscondito tabernaculi tui; * ne faciem aspiciam amplius peccantium in te.

Educ me, misericors et miserator de angustiis et tribulationibus; * animamque repone meam in latitudine consolationis, et bonae spei.

Oculos claude meos et aures meas; * ut solum in excessu contempler mentis meae;

Laudes cantem tuas in jubilatione sancta; * et haec sit in exilio requies mea.

O quando dabitur lugentibus corona pro cinere; oleum gaudii pro luctu; * pallium laudis pro spiritu moeroris. —

— Si Fidem, viri fratres, quis vestrum dicat se habere; opera autem non habeat, mortuus est in semetipso, * et non satiabitur in gloria.

Videte, quod ex operibus iustificatur homo, non ex Fide tantum; * ita et non aliter coronabitur. —

— Hostia sancta, viaticum viatorum, pignus futurae gloriae, * adoro te cum Angelis et Sanctis.

Sanctissimae Dominicae passionis commemoratio, ingens sacrificium, mysterium Fidei, * adoro te cum Thronis, et cum omni coelesti cohorte.

In cruce latebat sola Deitas,
Et hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor;
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere. —

— Debitum, Domine, servitutis meae tibi reddidi; * Hostiam immolans tibi laudis.

Et simul recolens sanctissimi nominis Jesu, et venerandam beati Joseph commemorationem, * sponsi genitricis Filii tui Jesu Christi,

Desponsationem beatae Mariae Virginis, cum iucunditate celebrantes, *

Christo Jesu, in hac solemnitate praecelsae Genitricis suae, gloriam canimus.

Domina mea, quis similis est tibi? quae gratia et gloria superemines universos.

Sicut exaltantur Coeli a terra, * sic tu praecelsior cunctis, ulnis exaltata es a Deo nostro.

Fiducialiter ergo exoramus, ut ejus muniti suffragiis, in nobis tua tuearis munera, * coronam accipientes aeternae gloriae. —

— Sancte sit Triadi laus pia jugiter;
Cujus perpetuo numine machina
Triplex haec regitur, cujus in omnia
Regnat gloria saecula. —

CANTICUM VIII.

DOMINICA III. POST EPIPH. — CONVERSIO S. PAULI APOSTOLI

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. etc. (ut supra pag. 1.)

Domine, si vis potes me mundare; * et mundatus ero.

Lux tibi, beate Paule, refulsit de Coelo, et vocem audisti Domini nostri Jesu Christi, dicentem tibi, Saule Saule, quid me persequeris?

» Durum est contra stimulum calcitrare, * et tu tremens, respondisti, doce me quid vis ut faciam.

— Verba tua, Domine, sunt quasi ignis comburens; * et quasi malleus conterens petram.

Tu occidis, et vivere facis, tu percutis et sanas; * et non est qui de manu possit eruere tua.

Scio cui credidi, * certus quia potens es servare depositum in illam diem iustus iudex.

Praedicator veritatis, et Gentium doctor in fide et veritate, sancte Paule apostole, tu es vas electionis, * vere digne glorificandus.

Euge, Euge serve bone et fidelis, qui optabas anathema esse a Christo pro fratribus tuis;

Per te Gentes Dei cognoverunt Gratiam; * intercede pro nobis apud eum, qui te elegit.

Tuam hodie conversionem celebrantes, * tuo nos guberna patrocinio;

Tuis precibus a peccatorum liberemur nexibus; * ut Dei nostri indulgentiae sumamus largitatem.

Da etiam, Domine, auxilium de tribulatione; * quia vanum est in hominibus confidere.

Fidem non invenimus ubi esse putamus; * et invenimus ubi adesse praesumimus.

Vanum est, ergo, spem in hominibus reponere; * salus nostra in te Deus.

— Quis est, qui ita caute et circumspecte se custodire valeat, * ut aliquando in aliquam non incidat deceptionem?

Quis omnia praevidet? * quis futura sufficit praecavere mala?

Et praevisa saepe etiam laedunt; * dum improvisa gravius feriunt.

Sed, qui in te confidit, et simplici te quaerit corde, non tam facile labitur; * tibique resistere execrabile reputat;

Vel in aliqua implicitus tribulatione, citius per te eruitur; atque a te solamine afficitur; * quia non deseres, in te sperantem, in finem.

Tu, Domine, tu solus es fidelibus amicus, et potens nos in omnibus salvare; * praeter te non est alius talis. —

— Verbum verum et stabile in os immitte meum; * et linguam, Domine, callidam longe fac a me.

Bonum et pacificum est de aliis silere; * et non omni verborum vento circumferri.

Praetereaque cautum est seipsum panis revelare; * quia multum nocuit virtus scita, et praepropere laudata.

In hac fragili vita, quae continua tentatio est et militia, Christi Gratia nobis silentio custoditur; * ita mens nostra fundatur in ea et solidatur.

Dispone, Domine, ne amplius ei-

latus sum et blatero in lingua mea, * nec, e contra, negligens et remissus in operibus meis,

Ordina statum meum; et quod a me requiris, tribue ut sciam, dicam et faciam; * praeterea que da exequi sicut oportet et expedit.—

Gratia Christi sum id quod sum, * ipse faciet quod in vacuum non credam.

Crux Christi verax, benigna, et misericors me defendat; * et ab omui liberet malo.—

—Oro, Domine, ut ad me veniens, intellectum illumines meum, voluntatem inflammes; * corpus emendes; et animam sanctifices.

Requiescat super me Spiritus Sapientiae et Intellectus; Spiritus Consilii et fortitudinis; Spiritus Scientiae et Pietatis.

Domine Jesu, passus in cruce, et nobiscum in altari semper vivens, * imago es invisibilis Dei.

Primogenitus es, Jesu Deus noster omnis creaturae, caput corporis Ecclesiae; * in omnibus primatum tenens; Rex Regum, et Princeps dominantium.

POSTCOMMUNIO

Gratias tibi ago, Domine Jesu, de hoc honorifico Sacramento; * gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Adoro te supplex latens Deitas;
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit;
Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus, in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur;
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nihil hoc veritatis verbo verius.—

Accipe, clementissime Deus, per me laudes, et gratiarum actiones, * quas Filius tuus in assumpta humanitate ab instanti incarnationis, toto vitae suae decursu tibi persolvit,

Et illas, praecipue, quas, elevatis oculis in Coelum ad te Patrem omnipotentem; omnium nostrum nomine tibi egit; * et clemens assidue agit.

Illas etiam suscipe, quas tibi obtulit nostra mater Maria, quando Jesum filium tuum castissimis concepit visceribus suis; * gestavit et peperit.

Ipsa est, viri fratres, saeculorum negotium; Providentiae promptuarium; * et Alabastrum unguenti sanctificationis.

Ipsa, totius Trinitatis, nobile triclinium; * Turris Libani cum propugnaculis in nostram defensionem.

Salve mater, quae omnium peperisti vitam; * et quae antiquas Prophetarum praedictiones ad finem perduxisti.

Paradisus, salve, deliciarum, ad te semper confugimus, o benignissima; * te enim solam firmam et securam anchoram in adversis habemus.

Nostri gaudii apex; hortus refugii, insanabilium vulnerum medicina; * nostrorum gemituum cessatio et consolatio, intercede pro nobis ad Dominum.—

— Benedicant tibi quoque pro me Domine, et omnes laudent Angeli; * qui throno majestatis tuae jugiter assistunt;

Ipsi, trementes, incessanter procinunt, * sanctus, sanctus, sanctus;

Meam ipsi compensent tepiditatem, dum alacriter canentes, revelata facie Panem contemplantur vitae; * et torrente potantur voluptatis tuae.—

.— Participem fac, Domine, omnium timentium te; * et mandata custodientium tua.

Unquam non sedeam cum improborum coetu; * neque cum iniqua gerentibus introeam.

Conventum adivi malignantium; * versor cum innocentibus; et, cum illis altare circumdo tuum.

Semper decorem domus dilexi tuae; * et locum habitationis gloriae tuae

Donum pretiosissimum existimavi

legem oris tui mihi, * super millia auri et argenti.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum nimis, * sicut in omnibus divitiis

Nomen tuum ADONAI;* Deus zelotes et aemulator a saeculo tu es; et ante aevum.

Redime me in tempore opportuno ab aerumnis, quibus nunc premor; * miserere mei; et, in frequentibus hominum consessibus, nomini benedicam tuo.

Viscera misericordiae tuae omnibus patent, * pro omnibus in cruce mortem subiisti

Ideo oro, ut, istud celebrantibus Sacrificium, sanctitatem adaugeas et intelligentiam, * innocentiam adsistentibus et pietatem.

Virginibus castitatem largire; * sanctimoniam coniugatis; viduis protectionem et pupillis

Sustentationem pauperibus; lugentibus consolationem; * reditum peregrinantibus.

Omnibus mihi benefacientibus omnia retribue bona; * peccati solvens debita

Iustis perseverantiam dona; * mihi et omnibus veniam; bonae mortis gratiam et vitam aeternam.

Dominator, misericors, et clemens;* patiens multae miserationis, Domine Deus, et verax, exaudi me.

Non tardat, viri fratres, Dominus promissiones suas, * sicut quidam existimant.

Potius patienter agit propter nos, nolens aliquem perire, * sed omnes ad poenitentiam reverti.

Sustinet, longanimis et patiens, vasa irae apta ad interitum; * quoniam ipse figmentum cognovit nostrum; et praesumptionem vidit cordium nostrorum. —

Beatus Paulus, antea Lupus rapax, vestitur molli vellere agni; * et ad-empto lumine, qui Saulus fuerat, fit Paulus.

Mox recepit visum, et fit Apostolus et populorum doctor, * et ore potens Corvos mutare Columbis.

Beate Paule, qui ter virgis caesus fuisti; semel lapidatus, ter naufragium pertulisti; * et, pro Dei gloria usque ad mortem dimicasti.

Intercede pro nobis, et nostros instrue mores, * nostraque etiam pectora tecum in Coelum trahe;

Velata dum meridiem cernat Fides;* et, Solis instar, sola regnet charitas.

Deus, qui universum, beati Pauli praedicatione, docuisti mundum; * et ad Fidem traxisti;

Nobis etiam, qui eius hodie conversionem colimus, * benignus respice;

Ita per ejus ad te gradiamur exempla; * et ad portum nunquam finiendi perveniamus gaudii. —

Per Christum genitum, summe Pater, tuum
In qua visibilis stat tibi gloria;
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de Patrio corde paraclitum.

Per quem splendor, honor, laus, sapientia
Maiestas, bonitas, et pietas tua,
Regnum continuat, numine triplici
Texens perpetuis saecula saeculis.

CANTICUM IX.

FESTUM S. FRANCISCI SALESII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Qui captivos nos duxerunt, * cupiunt audire verba, et melodiam Canticorum nostrorum;

« Cantate nobis, dicunt, * aliqua de dulcibus Canticis Sion ».

Cupiunt frustra; * suspendimus jam organa nostra in Salicibus;

Exules filii Hevae, quomodo in aliena terra, tempore peregrinationis nostrae, *jucundum cantabimus Canticum?

Adhaeret faucibus nostris lingua nostra in fletibus, et inenarrabilibus gemitibus, * dum recordamur deliciarum tuarum, coelestis mater Hierusalem.

Solummodo nobis contribulatus remanet spiritus; * et, quomodocumque, compunctionis fletus.

Ita silentes, Corporis tui Sacramentum, et Sanguinis, tibi Domine in exilio offerimus; * unde culpas et supplicia remittas, et des praemia.

Tacitus, ego praesertim, et confusus, ex intimo doleo corde, quod te, Deum meum summum bonum, reficientem, improbus offenderim;

O scrutator animarum, tu nosti et dissimulasti, * non me in aeternum damnans.

Miserere, Domine, gemituum; miserere lacrymarum; * cogita de me in tua habentem misericordia fiduciam; et ad tuae sacramentum reconciliationis venientem admitte.

Oro, ut arceas a me quod stridet in flammis; * et quod in tormentis cruciat.

Ecce nunc, in amaritudine animae meae, dolens confiteor; * et utinam nunquam te offendissem.

Sed tu Unigenitum tuum nobis dedisti, ut a sordibus in suo lavaret sanguine, * cor non despicies contritum.

Domine Deus, nos populus tuus sumus, * et oves pascuae tuae.

Omnes fines terrae in tuis sunt manibus; * et, uno intuitu ima tu conspicis, et montium altitudines.

Adoramus te; coram te plorantes in confessione procidimus peccatorum; * sic tandem et in Canticis jubilabimus tibi.

Rex magne, Deus misericors, * pro immensa pietate tua, confitentium tibi peccata relaxa.

Nec magis nobis noceat conscientiae reatus ad poenam; * quam, propitiationis tuae indulgentia, prosit ad veniam. —

— Exaltare, Domine in virtute tua; * et in dulcedinis benedictione nos praeveni.

Per Regem nostrum Jesum Christum, Gratiam perseverantiae tribue; * ut *Coronam* de lapide pretioso intextam, nostro reponas capite. —

— Et, per eam, quae coadiutrix Christi in passione extitit et Redemptione; * nobis parce;

Et quae, vivum Deum, quem in visceribus portavit suis, Coelis ipsis amplior laudatur, * nobis beatae aeternitatis januas benignus reseras.

Tenebricosae animae nostrae splendidissima lampas; * dubitationis nostrae directio; debilitatis nostrae potentia;

Dolorum relevatio; nostrorum, et vinculorum nostrorum solutio, * salve, atque iterum salve o Maria. —

— Non opes, vel sanitatem, * non dierum longitudinem et dignitates, a te Pater expectamus omnipotens.

Nil horum ardenter exposcimus; * sed Salvatorem Jesum Christum, cordium desiderium nostrorum.

Magna est gloria eius; * et, quotidie, sua dulcedine, animas attrahendo nostras, magnum super humerum suum imponit decorem.

Nos fratres eius sumus, et filii ancillae suae; * propterea vivificabit nos.

Expectantes in fiducia altissimi nominis Jesu, non commovebimur; * imo vehementer exultabimus.

Quomodo, si cui blandiatur mater, ita et tu Deus consolaberis nos, * animas reficiens nostras.

Videbimus te facie ad faciem; et anima congaudebit nostra; * et ossa, quasi herbae, germinabunt nostra.

Aeterna super caput nostrum erit laetitia; * gaudio cum fruemur dolor fugiet et gemitus. —

— Virgo potens, benedicta in mulieribus; * omnia tibi, pari modo per gratiam possibilia sunt.

Intercede pro nobis, * ad istam consequendam laetitiam magnam nimis. —

— Deus, qui beatum Franciscum Salesium ad animarum salutem omnia omnibus factum esse voluisti, * ut omnibus ineffabilis dulcedinis esset exemplar;

Concede etiam nobis tuae charitatis

dulcedine perfundi, * ut ejus dirigentibus meritis, ac meritis suffragantibus, aeterna consequamur gaudia.

Replevit eum Dominus spiritu intelligentiae, * et sapientiae;

Inclytum filiarum monialium instituit coetum; * salutaribus imbuit disciplinis;

Et multimodis, plenissima putei sui fluenta ministravit in populis; * charitatem in cordibus diffundens Dei.

Iste nil labis trahit a maligno
Urbis afflatu; pudor hunc tuetur;
Moribus castis, etiam silendo,
Arguit Aulam.

Fronte non asper; facilis benignus;
Voce non sola docet, ipsa vultu
Blanda maiestas, pietatis almum
Afflat amorem.

Pulchra mellito fluit ore virtus,
Cuius ad nomen scelus intremiscit;
Nec valet tanti sacra sustinere
Iudicis ora.

Huius ad vultum furor arma ponit;
Huius ad vocem, patiens doceri
Pertinax error cedit, et magistro
Cedit amori.

Advolat sacris plus ultor armis
Per nives altas, per acuta saxa;
Qua potest, gressu, manibusque reptans
Invia transit.

Magna dant magnos animos pericla:
Cui timent omnes, sibi nil timebat;
Charitas nullos renuebat, audax,
Ferre labores.

Vicit horrorem pietas, et ultro
Saxa subsidunt, elementa parent,
Unda duratur, stupefactus omnis
Portat euntem.

Quot rudes lustrans Populos docebat!
Quot solo versas reparabat aras,
Et cruces; dirae quibus expiabat
Crimina Terrae.

Panis supersubstantialis, * Verbum caro factum, adveni viatoribus, et istam refice miserrimam animam meam.

Qui edunt te adhuc esuriunt; * et qui te bibunt adhuc sitiunt.

POSTCOMMUNIO.

— O bone Jesu, credo firmiter, et ore confiteor, quia verus es Deus et homo; * secundum Divinitatem aequalis Deo Patri in Gloria et Potestate.

Credo te, vere et realiter, praesentem esse in hoc Sacramento; * missum de Coelo quaerere, et salvum facere, qui perierat.

Credo, quod natus es de virgine Maria; * passus vere; crucifixus et mortuus;

Et, in memoriam amoris tui, Corpus et Sanguinem tuum nobis reliquisti, * cum Deitate tua coniunctum. —

— Mater Christi; mater purissima; * omnium viventium mater, honorificata, laudata, glorificata; intercede pro nobis.

Tabernaculum Dei non manufactum, et Ecclesiae et Apostolorum; Sapientia * et fortitudo martyrum Confessorum.

Sceptrum orthodoxae Fidei; universae haereticae pravitatis interemptrix, * protege nos. —

— Jesu, esto mihi Jesus, fiducialiter ad te clamo, exaudi sperantem in te; * quia per sanctam crucem tuam redemisti nos.

Tua me Sapientia dirige, Justitia contine; * clementia solare; et patientia, protege.

Praeteritas defleam iniquitates, * et futuras repellam tentationes;

Vitiosas corrigam propensiones; devias dirigam inclinationes; * et idoneas excolam virtutes, ut exornatus ad te perveniam.

Salve, e Patris sinu * Verbum supernum prodiens;

« Nonne tu dixisti, * Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum » ?

« Volo ut videant claritatem meam; et omnes unum sint; * et ipsi in no-

bis unum sint, sicut tu Pater in me; et ego in te? »

Memorare ergo, promissionis tuae, Salvator meus; * et, per hanc immortalem, incorruptibilem, sanctam, puram et immaculatam Hostiam, semper tuae adhaeream Deitati —

— Diligamus, viri fratres, nos ad invicem; * qui fratrem diligit suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est;

Qui autem Fratrem odit suum, in tenebris ambulat; * et nescit ubi est, quia tenebrae oculos excaecant eius.

Manifesta sunt opera carnis, idest contentiones, aemulationes, dissentiones, invidiae, et his similia; * et, qui talia agunt, regnum non consequuntur Dei.

Infunde nunc, piissime,
Donum perennis Gratiae,
Fraudis novae ne casibus
Nos error atterat vetus.
Lucem Fides adaugeat;
Sic luminis jubar ferat;
Haec vana cuncta proterat,
Hanc falsa nulla comprimant. —

— Accensus exemplis, atque doctrina, zelo et lenitate in solemnitate Salesii, laetificatus, claritatem videbo tuam, * et Gloriae congaudebo tuae.

Stabilitate, et utilitate sermonum Dei praeditus, innumeros qui suis concrediti erant veris, praedicatione edificavit; * doctrinis inflammavit; bonis foecundavit operibus.

Sapientia, discretione et suavitate mirabilis, * tamen variis, vexatus fuit, calumniis et insidiis.

Saepe etiam ab haereticis ad necem conquisitus; * et perfracte vexatus.

Sed, bonitate, longanimitate, mansuetudine, Fide, modestia repleverat eum Dominus; * continentia et castitate.

Omne datum bonum, et omne donum perfectum de sursum accepit, descendens a Patre luminum; * apud quem non est transmulatio; nec vicissitudinis obumbratio.

Da nobis etiam, Domine, beato intercedente Francisco, hoc datum bonum; * res est tua benignitate digna.

Da lucem, qua nil pretiosius; * lucem, qua reliqua tua cernimus munera.

Pontifex terris rapitur Salesius,
Festa dum Coeli fremit aula plausu,
Nos, simul junctis, celebremus hymnis
Astra petentem.

Non abit totus, sua post superstes
Fata, se natis Pater ecce reddit:
Nos adhuc scriptis docet; et magister,
Fingit alumnos.

Insidens castis amor in libellis
Igneis figit pia corda telis;
Hic Dei purum bibit ore puro
Lector amorem.

Gliscit in mentem meditantis illa,
Quae beat Divos, eadem voluptas;
Hinc inardescunt liquefacta blandis
Pectora flammis.

Quo Ducem terris, Pater, aestuabat,
Igne fac nostrum quoque pectus urat;
Et nihil quaerat, nihil atque spirat
Praeter amorem.

Summa laus Patri, simul aequa Nato,
Et tibi compar, utriusque vinctum
Spiritus custos, et origo, sancti
Fons et amoris.



FEBRUARIUS

CANTICUM X.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum debentur, huic, et aliis qui leguntur in capite cujusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc.

Ecce veniet, dicit Dominus exercituum, * et quis poterit cogitare diem adventus ejus?

Quis stabit ad videndum eum?* ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.

Prodigia annuntiabunt in Firmamento adventus eius; * et videbimus eum cum maiestate magna.

Nubes et caligo in circuitu eius; signum in Sole, in Luna et Stellis; * Justitia et Judicium sunt bases Sedis eius.

Ignis ante ipsum praecedet; * et inflammabit in circuitu inimicos eius.

Fulgura eius orbi illuxerunt Terrae;* viderunt, et prae pavore Populi commoti sunt.

Montes, sicut cera, fluxerunt a facie eius, * et liquata est omnis terra!

Confundentur qui in simulacris gloriantur suis, * et qui adorant, tanquam Deos, opera sculptilia.

Adoramus eum Angelis eius, et cum iis qui faciunt Verbum eius; * laetata est Sion propter iudicia sua.

Per te, Domine, Lux orta est iusto; * et, rectis corde iucunditatis advenit dies.

Tu solus Altissimus, * tu sanctus animas custodis Sanctorum, ex manu Diaboli liberas eas.

Libera etiam me miserum a labiis iniquis; * incurvatus sum, et non possum nisi deorsum aspicere.

Custodi animam meam; erige me, * ut sursum aliquando videam et intendam.

Iniquitates meae caput supergressae sunt meum,* obvolverunt me, et sicut onus grave oppresserunt me.

Doce me quaerere te; ostende te quaerenti; * quia sine te nec quaerere possum, nec te inveuire quaerendo.

Ad te videndum, amandum, et possidendum plasmasti me; * sed nondum feci istud propter quod factus sum.

Beatitudinem perdidi ad quam me creasti, et refecisti, * et miseriam inveni, ad quam factus non eram.

Abscessit a me Deus, sine quo nemo felix; * peccatum remansit, quod per se nonnisi miseria est, spiritus afflictio, et corporis tritura.

Manducabam tunc Panem Angelorum, quem nunc esurio;* manduco nunc panem doloris, quem tunc nesciebam.



Luigi Banzo inc

Silvnorum Fundat. adstitit a dextris Altaris
Regina cœli, et ait: Visne, Filii Silvester Corpus
Filii mei?......

Amaricatum est cor meum desolatione sua; * tua indulge miseratione.

Restitue te mihi, et omne a me recedat malum; * ut Regnum in me adveniat tuum.

Dele, Domine, ut nubem, iniquitates meas; * et, ut nebulam, peccata dissipa mea.

Appare mihi, et, claritate tua, caecitatem illumina meam; * si ostenderis te mihi, faciem pronus adorabo tuam.

Respirem, tandem, sperando in te; * ne desperem suspirando sine te. —

— Esuriens coepi quaerere te; obsecro, Domine, ne ieiunus deserar a te; * vinculo perfectae charitatis tuae abstrae me.

Pauper enim et famelicus veni ad divitem Patrem meum; miser ad misericordiam; * ne recedam vacuus a Patre meo, impastus et contemptus.

Ecce eulm Justitia et Pax osculatae sunt, honor et gloria; * gratia et virtus mihi erit, si pacis dones mihi osculum,

Convivificasti me, Domine, Sacramento Christi tui; * ut essem ipse nova creatura, novumque figmentum.

Ecce nunc benedicite Christum eius Sacerdotes, qui statis in domo Domini; * et vos Populi, qui statis in atriis ipsius domus Dei nostri, benedicite Christum eius.

— Astitit a dextris Dei Regina nostra Maria, * in fimbris aureis, circumamicta varietate.

Sydus inclytum, illustrans omne saeculum; * per quod dies et tempora assumunt vitae lumina.

AveVirgo victoriam praebens; * quae omnium adversariorum elationem fortiter confringis.

Fragrans Myrrha humilitatis, gutta charitatis tuae, et Cassia castitatis, * e domo procedis eburnea in decore tuo, circumdata filiabus Regis tui.

Casta virgo, te fluvius
Voluptatis irrigavit
Paradisi, dum filius
Dei, corpus habitavit
Tuum; terra tunc donavit
Nostra fructum uberius;
Et naturam reformavit
Nostram Deus in melius.
In Paradiso posuit
Deus hominem Filium
Suum; custodem voluit
Tuum corpus egregium.
Per Gabrielem nuntium
Dum annuntiare placuit
Redemptorem eximium,
Nobis eum exhibuit.

Andriani

Audi, immaculata nostra, ad nostras preces, tuas inclina aures; * vultum tuum deprecantur familiae Gentium.

Patientia, qua emines, debilitates sustine et fragilitates corrige nostras;

Et infinita qua polles Potentia, Regem fac salvum nostrum; * et omnes Terrae potestates;

Dies super dies * gratias super gratias Filius eis adjiciet tuus.

Protege Fratres, etiam, meos; * Familiam, et proximos, amicos, vel inimicos;

In omni die, qua pro eis invocavero te, * exaudi me;

Fidelis est, viri fratres, Dominus qui in haereditate nos vocavit sancta; * qui confirmavit nos, et ab omni nos custodiet malo.

Si negaverimus eum, et ille negabit nos, * si nos credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

Extollamus manus nostras in sancta Sanctorum; * et Regina Sanctorum omnium benedicat nobis ex Sion.

Afferat ipsa in laetitia et exultatione, qui memores sunt nominis eius in omni generatione et generationem, * et eos retineat in templo regis sui.

Et nunc Jesum, benedictum filium tuum, nobis tuis praebe manibus, * o clemens, o dulcis, o pia beata nostra mater Maria. —

POSTCOMMUNIO

— Quis est iste Rex gloriae? * Dominus est noster Jesus Christus, quem jam suscepimus;

Qui sanguine et aqua, ex latere manante suo, * pretium effudit salutis nostrae;

Qui nos ex adipe cibavit frumenti; * et de petra, melle saturavit nos.

Pinguis est panis Christi, et medullatus, * delicias praebet Regibus;

Christus, dominus fortis et potens, qui Orbem super Maria fundavit terrae, * et super flumina praeparaviteam.

Ipse dominus virtutum et potestatum; * qui peccatum vicit et mortem, misericordiam nobis offert et benedictionem.

Attollite, ergo, Principes portas aeternales; * ut, cum suis fidelibus, intret rex gloriae.

Vexilla Regis prodeunt
Fulget Crucis mysterium;
Qua Vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura;
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere. —

O Crucis victoria, o admirabile signum; * in coelesti aera fac nos captare triumphum.

Tuam, Domine adorantes crucem, et osculantes tuam recolimus gloriosam passionem; * et, nostri Regis, salutis vexillum.

Per lignum servi facti sumus; * et, per istud liberati sumus crucis lignum;

Fructus arboris seduxit nos; * filius Dei redemit nos.

Fons benedictionum omnium est Crux Christi, * omniumque gratiarum causa.

O crux, da nobis virtutem de infirmitate; gloriam de opprobrio; * vitam de morte.

O crux, nostrum refugium, in tempore peregrinationis nostrae; * et nostra, in die tremendi judicii, resurrectio.

O magnum pietatis opus! * mors mortua tunc est in ligno, quando mortua uit.

Æterne Rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Cui, mors perempta, detulit
Summum triumphunm Gloriae.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manans Olympo praemium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te, precantes, quaesumus,
Ignosce nostris omnibus,
Et cordis sursum sublima
Ad te, superna Gratia.

Ut, cum repente coeperis
Clarere nube Judicis,
Poenas repellas meritas
Reddas Coronas debitas.

Hoc Christe nobis, hoc Pater,
Hoc sancte dona Spiritus;
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne saeculum.

CANTICUM XI.

FESTUM PURIFICATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Audi, benignissime Deus; * clementissima exaudi Maria nostras preces eiulatus.

Misereminі et nobis parcite; peccavimus, sed nos peccasse poenitet.

Tibi Christe, splendor Patris,
Vita; virtus cordium,
In conspectu Angelorum,
Votis, voce psallimus;
Alternando, concrepando
Melos damus vocibus. —

— Eripe nos de inimicis nostris, o Domina mundi, * Regina pietatis, in occursum exurge nostrum.

Aurum obrizum in ornamentis tuis; * Sardius et Topatius in diademate tuo.

Jaspis et Amethistus in dextera tua; * Berillus et Chrysolitus in sinistra tua.

Hyacinthus et Acates in pectore tuo; *

Carbunculi scintillantes in monilibus tuis.

Myrrha, Thus, et Balsamum in manibus tuis, * saphirus et smaragdus in digitis tuis.

Ave mater, ave coelum, ave puella, * ave thesaurus et spes nostra;

Salve Mater, altissimi thronum, * Ecclesiae decus, gloria et firmamentum. —

— Fiduciam in te, Domine Jesu, reponimus nostram, * ne amplius confidamus in homine.

Vanum foret in Principibus sperare terrae; * tu salus et adiutor noster.

Dextera tua facit virtutem; dextera tua exaltat nos; * vox exultationis in Tabernaculis resonet justorum.

Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, ipse factus est in caput anguli; * gloriam Christi canamus et concrepemus vocibus.

Proinde non timebimus, quid nostri nobis facient inimici; * et despiciemus eos.

Exardescant ipsi sicut apis in Solis ardore, * et sicut ignis in spinis aridis.

Castigans castigavit nos Deus; * sed sanavit me, et morti non tradidit.

Itaque non moriar, * sicut iniqui sperabant tentatores mei;

Imo in aeternum vivam; * et tua narrabo magnalia Domine. —

— Jesus regnat, Jesus vincit, Jesus imperat, * ideo terra exultat nostra, et insulae laetantur multae.

Super aquas refectionis, Jesus et Maria enutriunt nos; * et errantes congregabunt animas nostras. —

— Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, secundum Moysis legem, * tulerunt te Jesu ut sisterent coram Domino in templo suo.

Par turturum pro te obtulerunt infante; * aut duos Columbarum pullos.

— Adorna thalamum tuum Sion; * et suscipe Christum Regem.

Amplectere etiam Mariam; * quae, Templi Dei, janua est.

Arca pudoris et honestatis, et pietatis, * ipsa portat Regem novi gloriam luminis.

Subsistit Virgo, manibus filium adducens suum, * mediatrix mediatorem.

Quem in ulnas accipiens suas Simeon senex, populis praedicavit eum esse Dominum vitae et mortis, * puer autem senem regebat.

Ipse senex, coelitus jucundatus, benedicens Deum, solemnia cecinit affectuosa verba; * quae adhuc cum eo generationes cecinerunt omnes.

« Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum Verbum tuum, in pace; * quia viderunt oculi mei salutare tuum. »

« Quod parasti ante faciem omnium populorum; * lumen ad revelationem gentibus; et gloriam plebis tuae Israel. » —

— O ter, quaterque beate, quem tu erudieris, Domine; * et de lege docueris tua.

Omnipotens Deus, Unigenitus tuus hodierna die, * cum nostrae substantia carnis, in templo est praesentatus.

Propter hoc nostras, quaesumus, purifica mentes; * ut nos etiam tibi repraesentari mereamus. —

POSTCOMMUNIO

Suscepimus, Domine, misericordiam tuam in medio templi tui, * secundum promissionem tuam.

Dextera tua plena est justitia; * et laus tua in fines terrae.

Venit, plus Deus, pro pietate et bonitate sua, * venit quaerere et salvare quod perierat.

Oves quaesivit perditas; quaesivit et invenit; * humeris ad gregis caulas reportavit suis, vere multum mitis Pastor!

Vivus panis et vitalis,
Via, veritas, et vita,
Est hic panis immortalis
Et bonitas infinita.

Quo refulget praemunita
Nova sponsa spiritalis,
Synagoga definita
Perit, et umbra legalis.

Manna cessat, et coelitus
Nobis panis promittitur;
Panis verus, vivificus
Nobis de Coelo mittitur.

Christianis conceditur
Solis panis hic mysticus,
Quibus communis traditur
Verus panis angelicus. —

O immensa pietas! oh admirabilis charitas! * ut liberares servum, filium tradidisti.

Deus factus est homo; * ut perditus homo de Daemonum erueret potestate!

In similitudinem venit carnis peccati, * ut sua, peccatum, morte deleret.

Verus agnus immolatus, qui mundi peccata abstulit; * qui mortem moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.

Si omnia nostra membra verterentur in linguis, * certe nunquam ad debitas, tibi Domine, rependendas sufficerent laudes;

Tibi, cui laus, hymnus, et gloria Canticum, * ab omni in saeculum debetur creatura.

Charitas, quam nobis ostendisti indignis, tua inaestimabilis charitas, * ista potestatem, vires, et hominum superat scientiam et Angelorum.

In te, ergo, spes nostra tuta, omnisque fiducia est, * quia, caro et sanguis tuus, portio est cuiusque nostrum.

Atque ideo, ubi tu es, * ibi et nos speramus esse et confidimus.

Non enim tam immitis es, Deus, ut creaturarum non memineris tuarum; * ipsarum quarum voluisti assumere naturam.

Nec tam implacabilis es, suavissime mi; * ut, cuius susceperis causa, tua non me requiras pietate.

Domine Jesu misericors valde et benigne, membra et caro sumus tua, * carnem dilige tuam et viscera in ipso Deo.

Credo, Domine, quod summopere me diligis, * mysterium magnum est in Christo et Ecclesia.

Te, igitur labiis confitemur, de corde; * de totis concupiscimus visceribus.

Tua adiuvante Gratia, tibi fidem servabimus soli, * tibique nos tota committimus devotione.

Et nostra, quia caro tua, fac ut justis obtemperet tuis; * nullis approximet malis;

Bonis repleri gaudeat, * et mortis ictum nesciat aeternae.

Mentis perustae vulnera,
Munda virore Gratiae,
Ut facta fletu diluat,
Motusque pravos atterat. —

— Et tu, o Maria, tu peccatorum aditus es ad thronum Gratiae, et Justorum gaudium.

Tu, quae, ab omnibus, misericordiae vocaris mater; et quam, vere, misericordia Dei misericordem facit; * nobis impetra Gratiam.

Nonne miseri subditi sunt misericordiae; * nonne miserorum haereditas est unica misericordia?

Hoc Reges, et Reginae habent magnificum, * miseris prodesse.

Et quia Regina es tu misericordiarum; * ideo nos miseri, jure tibi subditi sumus.

Creator omnium, tuam gloriam existimat utpote propriam,* ideoque nil potentiae voluntatis tuae obsistere potest.

Et Jesus Christus, Dominus noster, omnes petitiones implens tuas, et te exaltans; * quasi filii persolvit debitum.

Ergo, mater Dei mei, et mea mater, fiducialiter me tibi committens, * non confundar in aeternum.

Visita me interim, o sancta sanctorum, * mentem purifica et corpus meum;

Me rege, et guberna; * quia plena es pietatis unctione.

Maria, viri fratres, nostram cogitemus matrem; * Mariam laudemus; oleum effusum est Mariae nomen.

Jesum et Mariam in confusione invocamus mentis, in conscientiae per-

turbatione; * in timore Judicii, in abysso etiam desperationis.

Decus Parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo,
Natoque Patris unico;
Et inclyto Paraclito;
Cui laus potestas Gloria,
Æterna sit in saecula.

CANTICUM XII.

FESTUM S. ROMUALDI ABBATIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra pag. 1.—)

Domine Jesu, abyssus miseriae meae,* abyssum invocat misericordiarum tuarum.

Gemitus audi meos; * et cordis mei clamor ad tuas perveniat aures;

Prope ades his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu; * paratus salvare nos, audi paulis, per querelas nostras.

Tu quidem calamum non conteris quassatum; * nec fumigans extinguis Linum;

Merito, vero, exardescere deberet indignatio tua contra nos; * quia obliti sumus tui, et inique egimus.

Sed memento, quod nos ad imaginem condidisti et similitudinem tuam;* quod Satanae mancipia, sanguine redemisti tuo, ut tibi serviremus soli.

Veruntamen, nos ingrati et perversi homines, servire te in peccatis fecimus nostris; * et laborem in iniquitatibus tibi praebuimus nostris.

Patrem, qui nos genuit dereliquimus; * obliti sumus Dei creatoris nostri.

Tu nos enutristi et exaltasti; * et nos te deseruimus?

Te sprevimus insuper, * et in nostra conculcavimus dementia!

Ubi est honor tuus? * Gloria, ubi? ubi tuus timor?

In domo Patris nostri croceis potuissemus vestiri duplicibus, * conquisitissimis enutriri escis;

Et, tamen, stulti abire maluimus in longinquas regiones, * alienigenis adhaerere; stercora amplexari; et, nudi, tabescere fame et frigore.

Quare omnium dereliquimus divitiarum fodinas, * et dulcium aquarum fontes, propter quisquilias et dissipatas cisternas?

Vere nunc intelligimus, quod stulte et inique egimus; * et nihil coram te deferre possumus ad nos excusandos.

Si justificare nos cupimus, veritas nos condemnabit, * si innocentes nos asserimus pravos nos comprobabis et mendaces:

Tecum si contendere volumus; * non possumus unum pro mille respondere tibi.

Peccavimus; * quid faciemus tibi, o custos hominum?

Iniquitatem cognoscimus nostram, et nobis metipsis facti sumus fastidiosi et odiosi.

Cur iniquitates non tollis nostras? grave, sicut onus gravaiae sunt supra dorsum nostrum.

Iram, non indulgentiam, meremus tuam, * si nos ejicis, juste facis;

Et si, miseros et indignos, inter mercenarios recipis tuos, * misericorditer facis.

Sed tua, pia Samaritana, nos spernis, et praeteris in via derelictionis, quis alius miserebitur nostri? aut quis vulnera alligabit nostra?

Aspice benignissime, exules et peregrinos; * a consuetudine justorum incidimus in Latrones;

Tunica spoliati immortali, et multis acceptis plagis, * semivivi relict sumus in terra.

Si tu non infundis consolationis vinum, et misericordiae oleum, * quis nobis idoneam conficiet medelam?

Et si denarium, idest salutis pretium pro nobis non persolveris, * quis ad hoc sufficiet?

O bone Jesu, cito misericordia tua in nobis superexaltat judicium; * quia ipsa est super omnia opera tua. —

— Et tu, o Maria, non accurris? tu mater pietatis, tu plena misericordiae unctione et charitatis oleo?

Nonne tu unxisti Deus oleo laetitiae prae consortibus suis? * ut spem in nobis jucundissimam infunderes, et tutissimam?

Lex clementiae in lingua tua, * omnes de te loquuntur, te exaltant, te invocant creaturae.

Divinae pietatis abyssum, tu aperis cui vis, * et quomodo vis.

Ecce coram filio tuo in hoc vivifico sacramento, et coram te, * unus, quamquam indignus de cultoribus tuis;

Qui exul et peregrinus in terra laboris, et aerumnarum, in latrones incidit.

Ecce, qui tunica spoliatus immortali, et undequaque perfossus, * humi semivivus procumbit relictus.

Si meas aspicis plagas, * non potest tua miseratio tuum retardare juvamen,

Omnia tibi pari modo possibilia sunt; * quia, coronata perenniter, Regiam tenes potestatem.

Veni, Domina, propera mea mater; * et, balsamum pii tui et dilecti Samaritani, mihi administra. —

Ave Jesu, divina charitas, * miserere mei, et me exaudi sperantem in te.

Benedictus Dominus in donis suis, * et sanctus in omnibus operibus eius.

O salutaris hostia
Quae Coeli pandis hostiam;
Bella tremunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Tribue mihi, bone Jesu, amorem tui, odium mei, * zelum proximi; contemptum saeculi.

Assidue invigilem naturae domandae; Gratiae fovendae; * legi servandae; saluti acquirendae;

Discam a te quam tenue sit, quod terrenum est; quam grande, quod Divinum; * quam breve quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, ut morti me disponam; iudicium pertimescam; * Infernum effugiam; Paradisum obtineam.

O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus; * qui errant, carpis; in quibus peccant, admones.

Et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te Domine; * angorem pellant; et pietatem supersperant.

Humiliamini, viri fratres, in conspectu Domini; * humilium et mansuetorum semper illi placet deprecatio.

Quid superbit homo terra et cinis? * cum moriens serpentes haereditabit, bestias, et vermes.

Discam a te, potentissime Domine, quam mitis es et humilis corde; * et requiem, bone Jesu, in humilitate animae inveniam meae. —

— Qui diligit, viri fratres, disciplinam, diligit scientiam; * et insipiens est qui increpationes odit.

Stabiles estote et abundantes in omni opera Domini semper; * scientes, quod labor noster in Domino non est vanus.

Bonum facientes non deficiamus; * tempore enim suo indeficienter metemus.

Ergo, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes; * maxime vero ad domesticos fidei. —

— O bone Jesu, tu pax es nostra, * qui fuisti utraque unum;

Qui duos ex adverso venientes parietes coniunxisti in beatitudine tuae permanentis felicitatis. —

— O Regina, quae in Coelis regnas, adiutorium sis nostrum in virtute nominis tui; * et, per te, omnia ad Deum nostrum dirigantur opera.

Nisi tu, Domina nostra eras in nobis, * invenissent nos pericula multa.

Ostende nobis, Domina, misericordiam tuam; et cuncti in Coelo benedicant tibi, et super terram.

Benedicta sis undique in aere et in mari, * in omnibus etiam abyssis.

Foecunditas benedicta sit tua; * benedicta sit virginitas et munditia tua.

Laetati sumus in te, o Regina Coe-

li, * quia te Duce in domum Domini ibimus.

O Hierusalem, aeterna Dei domus, * erimus sicut Angeli, qui habitant in te.

O Hierusalem, post Christi dilectionem, esto tu laetitia; * et meorum consolatio desideriorum.

Dulcis memoria, et spes beati tui nominis relevatio sit moeroris, * taediorumque meorum.

Faucibus meis lingua adhaereat mea si non meminero tui; * et si te non posuero in principio omnis jucunditatis meae.

Te, Jesu, splendor et virtus Patris, * te, fiducialiter invocabo vita cordium.

Expelle noctem cordium,
Absterge sordes mentium;
Resolve culpae vinculum;
Averte moles criminum.

Repelle quod cupidinis,
Ciente vi, nos impetit;
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.

Da gratiarum munera,
Da gaudiorum proemia,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis foedera. —

O felices sancti Dei omnes; qui jam huius transivistis mortalitatis pelagus, * Regiam adipiscentes micantem Coeli;

Felices et tranquilli, semperque festivi, atque gaudentes; * qui ad portum perpetuae quietis et securitatis pervenire meruistis.

Per vestram obsecro charitatem, et severitatem, de omnibus, mecum ad bonum cooperantibus, solliciti estote, * de fratribus, etiam, nepotibus et proximis meis.

In aeterna constituti immarcescibili gloria, * solliciti estote de multiplici miseria nostra.

Vos rogo, et te praesertim, beate Romualde, per ipsum, qui te elegit; * qui talem te fecit;

De cuius jam satiaris plenitudine; * et de cuius visione jam immortalis factus es.

Memor jugiter esto, et nobis subveni miseris, * qui adhuc inter fluctus vitae huius, aestuantibus agitamur procellis.

Impetra nobis, sine labe, mores; et vitae tutum, sine clade, cursum; * impetra perennitatem, sine fine, vitae.—

— Tu Trinitas et Unitas;
Quae praecipis mari, et tacet
Illo rogante, naufragos
Ad lidus adduc patriae.

CANTICUM XIII.

DOMINICA SEPTUAGESIMA, FESTUM ORATIONIS D. N. JESU CHRISTI IN MONTE OLIVETI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Aspice ut Verbum Patris a supernis
Sedibus, clemens, et amore flagrans,
Perditis culpa genitis mederi
Pergit Adami.

Flebilem mundi miserans ruinam;
Et volens nostros reparare casus,
Orat, et prona, veniam precatur,
Fronte Magister.

Fluctuat secum, tot acerba volvens,
» Hunc, ait supplex, Calicem doloris,
» Mi Pater, transfer; tua sed voluntas,
» Non mea fiat. »

Dum premit tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus; per artus
Sanguinis sudor fluit, atque guttis,
Terra madescit.

Et celer summo veniens Olimpo
Angelus, Jesum recreat jacentem;
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.

Tribulatio et angustia invenerunt me, * fiant aures tuae auscultantes, ut orationem audias meam.

Intret in conspectu tuo supplicatio mea, * quia malis anima repleta est mea; et vita inferno appropinquavit mea.

Sustinui, qui simul contristaretur,

et non fuit, * qui consolaretur me, et non inveni.

Pater mi, * si possibile est, transeat a me calix iste;

Pater mi, si non potest hic transire calix, nisi bibam illum, non mea sed tua fiat voluntas.

Illumina faciem tuam super servum tuum, * et in misericordia salva tua.

Judica me secundum bonitatem tuam, ne confundar; * quoniam nomen invocavi tuum.

Nec in finem oblivio erit fidelis orantis, * patientia supplicantium, et pauperum non perit in aeternum. —

— Domine Jesu, tu tristis videbaris, et tristis eras in Gethsemani; * factus in agonia non pro tua passione sed pro nostra dispersione.

Illa divina oratione tua turbatus confirmasti, * trepidis animam addidisti:

Dormientes excitasti; * proditorem osculi, dignatione suscepisti; et morti te obtulisti!

Pro persecutoribus tuis, praecipue, tristis eras; quos sciebas immanis sacrilegii poenas daturos, * et tu nec malos perdere volebas! —

— Aspice, piissime Pater, piissimum Filium, * pro me tam impia passum.

Recole totius salutis dispensator, quod hic est ille filius tuus innocens, impollutus, incontaminatus; * quem meae infirmitatis participem esse voluisti.

Candet nudatum pectus, rubet cruentum corpus, decora languent lumina; * rigat beati unda sanguinis flexa genua!

Hic, quem, propter peccata mea, percussisti, * licet sit ille dilectus in quo tibi bene placuisti!

In illa humili, intensa, et prolixa filii tui oratione; * qui, e sacratissimo corpore, sanguinem effundebat pro sudore, eum pro nobis exaudisti.

Exaudisti pro sua reverentia, * quia sine peccato.

Agnus sine macula, taedium et moerorem passus es, * propter nimiam erga nos homines charitatem.

Ecce Satanas expetit, ut nos, quomodo triticum vexet; * ideo denuo et semper illius tibi orationem in horto offerimus, ne fides deficiat nostra.

Oratio humilitatis et infinitae charitatis suae nubes penetrat; * et, donec non appropinquet ad nos, non relevabimur;

Ideoque Jesus semper pro nobis apud te interpellat, * exaudi, clementissime Pater.

Et ita non nostra, * sed tua in nobis complebitur voluntas.

Adeo nunc doce nos tibi subiectos esse; * ut non quod volumus, sed placitum scimus tibi esse, eligamus.

Muneribus nostris, precibusque susceptis, coelestibus nos munda mysteriis, et misericorditer exaudi. —

POSTCOMMUNIO

Exurge nunc, pie Jesu, et exaudi nos, * ut, pro huius sacramenti, et sacrificii virtute, a cunctis nos mentis tuearis hostibus, et corporis.

Obediens fuisti Patri, Rex Regum; obediens Principibus Terrae; parentibus; Sacerdotibus; * Doctoribus etiam Mosaicae legis et inimicis.

Sponte te ipsum perversae eorum tradidisti voluntati ad illudendum, * flagellandum crucifigendum.

Obediens ministris tuis, et ad vocis eorum nutum in altare descendis; * et, speciebus involutum panis et vini, totum te ipsum ad manducandum praebes.

Ipsi offerunt Hostiam sanctam, sacratissimi corporis tui et sanguinis; * dividunt; gustant; porrigunt et consummant.

Non resistis, sanctissime Dei Agnus; non repugnas;

Adhuc et semper obediens, quolibet loco et tempore, et a quibuscumque manducaris; * a sacrilegis etiam et scelestis.

Domine Jesu, miserere mei saepis-

sime sumentis; et, forsan, indigne; * miserere mei; quia gemitus, lachrymae, et sanguinis tui sudor orabat pro me.

Et ego amore non lachrymor tui? non ingemisco? non agonizo? * o cordis tui charitas! o duritia cordis mei!

Ignosce quidquid contra tuam deliquerim voluntatem; * et accipe modo quod tibi promitto, promissionesque confirma meas.

Ego, Domine, qui in altitudinem veni maris, ita ut tempestas demerserit me, * in manus tuas sortes iacto meas;

Tuaeque voluntati obedientiam polliceor perpetuam, * verba percipiens oris tui, et mandata custodiens.

Promitto obedire me deinceps tibi ad mortem usque, * omni voluntatis meae submissione, et mei intellectus.

Placebo tibi in infirmitatibus meis, in necessitatibus, * in contumeliis, persecutionibus et angustiis.

Juxta es tu iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu; * auxiliaris et salvas.

Hoc pro certo habet omnis qui te colit; * quod, vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur;

Si autem in tribulatione, liberabitur; * et si in corruptione ad tuam licebit venire misericordiam.

Non enim in perditionibus delectaris nostris, * quia, post tempestates, tranquillum facis;

Et, post lachrymationem et fletum, * exultationem infundis. —

— O Domina et advocata nostra Maria, etiam tibi voluntatem et intellectum resigno meum, * et tuo, nos, per quem meruisti gratiam, Filio commenda.

O Genitrix egregia
Dum Judaeos in furia
Christum videres capere,
Cor tuum coepit tremere.

Alta ducens suspiria
Tu sequebaris anxia;
In fletibus exuberans,
Ad Templum usque properans.

Tabernaculum Dei, in quo, veniens, requievit; * et de quo, ut sponsus, de thalamo processit.

Flagrabas, o Virgo, immensa aestuante charitate, * pro nostra salute, simul cum Filio, profundere vitam.

Rosae Martyrum te circumdant, o Maria, * et lilia Virginum thronum ambiunt tuum

Rosa decens, Rosa munda,
Rosa recens sine spina,
Rosa florens et foecunda
Rosa Gratia divina.

O benedicta, qui, te interveniente, dignatus est particeps fieri infirmitatis et miseriae nostrae; * compassionis consortes et gloriae nos faciat tuae.

Non nobis, Domina, sed nomini da gloriam excelsi Dei tui nos salvans;* et mecum omnes qui meis sese commendarunt orationibus,

— Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

CANTICUM XIV.

CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI, ROMAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

« Benedictus Deus et Pater D. N. Jesu Christi, * qui, secundum magnam misericordiam suam, regeneravit nos in spem vivam »

« Regeneravit per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in haereditatem incorruptibilem; * incontaminatam, immarcescibilem »

« Conservatam in Coelis in nobis; * qui, in virtute Dei, custodimur per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. »

« In quo exaltabimur; * modicum si nunc oportet contristari in variis tentationibus. »

« Probatio nostrae fidei multo pretiosior est auro, * quod per ignem probatur. »

« Inveniétur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi Domini nostri. »

Haec didicimus ex divo Petro, cui, a Domino Jesu, collatum fuit summi Pontificatus munus, * ipsi, et successoribus suis.

Ita, super hanc primam petram, fundata est Ecclesia magna Dei firmiter in saeculum saeculi; * nec unquam portae Inferi praevalebunt adversus eam.

Unus Deus; una Fides; una Ecclesia; * unus Pastor; unum ovile;

Et una est cathedra infallibilis unitatis et sapientiae; * quae procedit et diffunditur ab ore Dei.

Ex uno Verbo omnia, et unum loquitur omnia,* et hoc principium quod infallibiliter nobis loquitur.

— Non est aliunde inculpanda scientia, * aut quae libet simplex rei notio, quae bona potest esse considerata et ordinata.

Litteras nobis tradunt; * sed tu, Domine sensum aperis;

Mysteria proferunt, * sed tu signatorum reseras intellectum. —

— Sed non ita superbia superbientium; * et non captivantium intellectum ad indefectibile fidei lumen;

Belle, pulchre, et sapienter eorum dicunt verba; * sonant et aures mulcent; sed, te tacente, ad cor non accedunt.

Omnis sapientia a Deo est; * et vere sapiens est, qui magnam humilitatem habet et caritatem.

O veritas Deus, fac me tecum unum in charitate perpetua; * quam nosse gaudium est, supremaque salus;

Et, ne mihi sit ad judicium Verbum a te traditum; * auditum, et a me non factum;

Verbum, a me cognitum, sed non amatum,* creditum, sed non servatum.

Loqui dignare, Domine, ad cor meum et ad intellectum;

Loquere, quia servus audit tuus; * verba enim aeternae vitae in ore custodis tuo.

Mihi loquere ad qualemcumque animae meae consolationem; * et ad totius vitae meae emendationem;

Et tibi laudem referam et gloriam,* hymnumque in tuum perpetuum concinam honorem.

Jesu labentes respice;
Et nos videndo corrige;
Si respicis, labes cadunt,
Fietuque culpa solvitur.

Tu lux, refulge sensibus,
Mentisque somnum discute,
Te nostra vox primum sonet
Et vota solvamus tibi. —

— Sanctificatis, Domine, salulari mysterio, nobis, sancti Petri, Apostolorum Principis, non desit oratio, * cuius nos docuisti patrocinio gubernari.

Exaltemus eum in Ecclesia magna;* et in cathedra Sanctorum laudemus eum.

Jam, bone Pastor Petre, clemens accipe
Vota precantium; et peccati vincula
Resolve; tibi potestate tradita,
Qua, cunctis Coelum claudis, et clausum aperis. —

— Confiteantur Domino misericordiae eius; * et mirabilia eius filiis hominum.

Gratia nobis, et pax multiplicetur in sanctificationem spiritus; * in obedientiam sanctae apostolicae sedis; et in aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi. —

POSTCOMMUNIO

Sic Deus dilexit mundum,* ut suum nobis daret Unigenitum.

Et sic Maria dilexit nos, * ut filium nobis daret suum.

Nulla, post eam, creatura ita pro nobis exardescit amore, * quae Unigenitum suum, quem multo plus quam se amavit, pro nobis obtulit.

O quanta pro nobis est tibi cura, o Maria, * tu maiora optas dare, quam nos petere possimus! et prius accurris, quam invocaris.

Facile inveniris ab his, qui te diligunt; * quia diligis diligentes te;

Imo, tibi servientes, beneficiis cumulas; * semperque, cum amantibus, amantior es.

Virgo fidelis, et sapientiae sedes, intelligentiam resera meam; * ut Deum verum, et Dominum nostrum Iesum Christum, cognoscam et amem.

Quem confiteor ex Patre genitum, ante omnia saecula; * Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.

Non factum, * sed genitum consubstantialem Patri.

Quem firmiter credo, et ore confiteor, propter Redemptionem nostram,* tota operante Trinitate, incarnatum;

Et ex Maria, perpetua virgine, Spiritus sancti cooperatione, conceptum,* verum hominem factum, ex anima rationali, et humana constantem carne.

Virgo fidelis, et sapientiae sedes, iterum rogo ut me doceas, et cognoscam Deum vivum, et verum, * Patrem, Filium et Spiritum sanctum.

Trinum quidem in personis, * sed unum in essentia;

Quem adoro, et toto glorifico corde Deum solum; * sanctum; immortalem; imperscrutabilem;

Qui consilia dissipat gentium, * cogitationes populorum reprobat et Principum;

Cuius Scientia, Sapientia, et Fides in aeternum stat, * et cogitationes cordis et mentis eius in generatione et generationem.

Non est sapientia, non est potentia et consilium, * contra sapientiam, potentiam, et consilium Dei nostri.

Magnus et incomprehensibilis in cogitationibus suis; * cuius oculi aperti sunt super omnes.

Unicuique reddit secundum vias suas; * et iuxta fructum adinventionum suarum.

Magnus in fortitudine, iudicio et iustitia, * nemo narrare poterit potentiam eius.

Praecedentemque Sapientiam quis investigavit? * et multiplicationem ingressus eius quis intellexit?

Domine Deus meus, sensum nemini aperis tuum, nisi cui tu dederis sapientiam; * et Spiritum sanctum tuum nisi de altissimis miseris.

Tu primus et tu novissimus, * tu bonus, et nemo bonus nisi tu solus Deus.

Adonai, Domine, magnus es tu; * solus praestans; solus iustus; solus in virtute praeclarus, quem nemo superare potest.

Unus Coeli et Terrae Creator; * per quem omnia vivunt; subsistunt; gubernantur; et vivificantur;

Unum Lumen; unus Sol; unus Panis; una Vita; * una Veritas; una Ecclesia; et una sempiterna Gloria.

Videmus nunc te in ista Ecclesia magna per speculum et in enigmate; * tunc, vero, in Coelesti Patria facie ad faciem.

Nunc te cognoscimus ex parte * tunc autem te cognoscemus sicut et cogniti sumus.

Cum apparuerit nobis gloria tua, similes tibi erimus; * et te amabimus et videbimus sicuti tu es.

Scimus, quod oculi tui super iustos diriguntur, et aures tuae ad preces eorum.

Ed quod absconditorum cognitor es, signa et monstra noscens antequam fiant; * nec non temporum eventus et saeculorum.

Et sic Providentia regimur, infallibili et perpetua, tua, * ut tandem nobis dones pacem;

Et, ut donare digneris, oramus, quomodocumque, et qualitercumque ingruunt, et nos valide agitant tempestates. . .

Sic etiam cognoscimus te, Domine

Deus noster, per fidem tuam, quam Ecclesiae inspirasti tuae, * adoramus et supersperamus :

Tu, Domine, gaudium laetificans, * in maiestate et potentia tua, juventutem, et senectutem sustenta nostram.

Confirma nos in fide, * et fidei operibus

Lux nostra ; oculorum nostrorum lumen, Deus qui nos redemisti, * confirma in Fide, et Fidei operibus propinquos, et proximos nostros.

Deus omnium finium, unica nostra et vera spes, intercedente beato Petro; et beatissima Fidei depositaria Maria, * converte ad hanc Fidem gentes et populos omnes;

Omnibusque pacem dones et gaudium ; * ut mundus tibi in aeternum benedicat universus. —

— Laus tibi sit aeternae pie Trinitati,
Cui, super Coelis, parilis potestas;
Quidquid est, quidquid viget, ac movetur
Omne gubernat.

CANTICUM XV.

DOMINICA SEXAGESIMAE — FESTUM PASSIONIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Solemnem commemorationem passionis Domini nostri Jesu Christi celebremus ; * ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis meramur consortia. —

— Astiterunt Reges Terrae, et Principes convenerunt in unum, * adversus Dominum, et adversus Christum eius,

Factus in agonia, prolixius orabat;* et sudor eius factus est sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

O vos omnes, qui transitis per viam, * attendite et videte si est dolor sicut dolor eius.

Omnia, propter nos, passus est ludibria, sputa, contumelias, verbera, spinas, clavos, lanceam ; * crucem, mortem et sepulchrum !

Oblatus est, quia ipse voluit; * Disciplina pacis nostrae super humeros eius ; et livore eius sanati sumus.

Pro nobis traditus, bone Jesu ; * comprehensus, et ligatus pro nobis, negatus fuisti!

Colaphis coesus, pugnis contusus ; stultitiae stola indutus; * ecce quomodo nos amasti!

Madidus adhuc sudore et sanguine, surgis, pro tuis ad Patrem orans traditoribus;*et ultro te illis obviam prodis !

Amice oscularis perfidum Judam ; zelum humaniter obiurgas Petri; militi abscissam restituis auriculam ; * prostratos ad sonitum relevas verborum tuorum.

Te ligandum tradis, utpote mansuetum agnum; ad Pontifices, ad Praesides traheris, et ad Reges; * . . . ecce, pie Jesu, quomodo nos amasti !

Sed praesertim in cruce, in throno scilicet dilectionis tuae; * ubi tam crudelia pro nobis patiebaris.

Moerentes oculi spargite lacrymas;
Et luctu résonent intima cordium,
Illatas refero Numini ab impiis
Poenas, et fera vulnera.

Accincta, heu! gladiis turba satellitum,
Arreptum Dominum fustibus impetit ;
Nunc coedit colaphis, nunc quatit horri-
Divinum caput ictibus! (dis

Haud finis sceleri; traditur improbo
Christus carnifici; nec mora, barbarus,
In Regem superum non timet, impio
Ausu, vertere dexteram !

Audite, o Populi, Numen amabile,
Manante ex humeris undique Sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens!

Quis non illacrymet ? Iam nova condidit
Tormenta indomitae gentis iniquitas ;
Infigit cerebro, proh dolor efferis
Sertum vepribus asperum !

Heu crimen! trahitur funibus improbis,
Funesti, Dominus, supplicii ad locum:
Hic oppetiit funere, Spiritum
Patri restituens suo. —

—Passo pro miseris tam fera vulnera,
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue nomen in aethera
Humanum genus efferat.—

—Ita, Dominus noster in statera Crucis, * pretium nostrae appendit salutis!

Et una morte, universum Mundum, * sicut omnium Conditor, ita omnium Reparator absolvit.—

— Passionis gladius, Virgo carens crimine, tuam etiam pertransivit animam, * omni cum gravamine.

Castae Parentis viscera
Poena torquentur aspera,
Dum illud quod conceperat
Verbum, perversi verberant.

In cruce dum extenditur,
Videt Mater, quod moritur;
Nullus dolor amarior,
Nam nulla Proles carior.

Sancta Maria, dolorosa Mater, * per gladium, qui tuam pertransivit animam, nobis miseris Hevae filiis, fructum impetra Jesu Christi sanguinis.

Benedictus Deus, et Pater omnium, * qui saluti providens hominum, mundo Mariam virginem in dulcissimam dedit matrem.

Eiusque suffragantibus meritis fac Sacramentis muniri; * purgato corpore et corde;

Fac fine consummari beato; * et misericorditer aeterno repraesentari Iudici.

POSTCOMMUNIO

Oblatum tibi, Domine, Sacrificium, vivificet me, * semper et muniat.

Ut, quem tuis reficis Sacramentis; * tibi placitis servire concedas moribus.

Gressus perfice meos in semitis tuis, * ut mea non dimoveantur vestigia.

Aurem inclina tuam, * et preces exandi meas.

Misericordias mirifica tuas, * tu qui salvos facis sperantes in te.

Adhaesit in terra venter meus, * exurge, Domine, adiuva me, et libera me.

Commovisti Terram in morte tua, * et conturbata est;

Sana nunc contritiones eius; * ut a facie tua fugiat Orcus, et Electi liberentur tui.

Detestata est scelus hominum natura rerum; * ideoque acriter commota est!

Et quem rebellis creatura non cognovit mundi Dominum, tremens testatur Terra; * et Coeli Regem, Sol obscuratus confitetur!

Tota te die recogitabo, dulcissime Jesu, quia corpus tuum percutientibus pro me dedisti; * genas vellentibus;

Et faciem non avertisti tuam a foeditate sputorum; * ut omnia susciperes mala nostra, et bona tribueres.

Solus hic, pro me, et pro omnibus, pia cecidisti victima, * ut nos liberares omnes.

Delictum tu solus non habebas; * et recte miserationis foenus pro debitoribus erogasti.

Quis hominum consilium poterit scire; * aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

Difficilia existimamus quae in Terris sunt; * et, quae in prospectu sunt, invenimus cum labore.

Quae autem in Coelis sunt, quis investigabit? * Consilium Redemptionis eius abyssus magna!

Nunc intelligimus, quantum facturam tuam in Heden amare, ante culpam, dignatus es, * quam sic post ruinam dilexisti.

Sapientia tua, pro nobis, Terram fundasti, Coelos prudentia stabilisti tua, * et impletum est Universum in possessione tua.

Omnia in mensura, et numero, et pondere pro nobis disposuisti; * erupperunt sapientia tua abyssi; et nubes rore concreverunt.

In te omnia constant, et ordinatione tua perseverat dies.

Sed miserationes tuae super omnia opera tua; * Universae viae tuae misericordia et veritas.

Deus erat in Christo, Mundum reconcilians sibi, * quem, inde, sacratissimus perunxit cruor Christi Jesu fusus corpore.

Et elegit nos in ipso, ante Mundi constitutionem, * quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.

Et quid est homo, * quia tanta magnificasti dignatione?

Inter redemptum et Redemptorem infinita intercessit dispensatio, * et non compensatio.

Oro nunc, Domine mi dulcissime, ut cognoscam quantum coram te valeam; * quantumque tibi refectori debeam meo;

Et dum tantam redemptionis tuae prospicio dignitatem et pietatem, * peccandi pudorem ipse mihi indicam.

Sic tuam merear consequi Gratiam, * ut vita capitis sit Corona membri. —

— Cor Jesu, opprobriis saturatum, * propter nostra attritum scelera, usque ad mortem obediens factum,

Cor Jesu, lancea peccatorum confossum meorum, * divina, qua ardes, Charitate, nostra tandem transfige corda. —

— Gratias interim, Deo agamus Patri, * qui dignos nos fecit participes sortis sanctorum in lumine;

Qui nos de potestate eripuit tenebrarum; * et in Regnum transtulit Filii dilectionis suae.

Patri sit, ac Paraclyto
Natoque Patris gloria,
Nostrae, qui dedit prodigus
Pretium salutis Sanguinem.

CANTICUM XVI.

DOMINICA QUINQUAGESIMAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Ubi abundavit delictum; * Gratia, per Jesum Christum, superabundavit.

Ubi regnavit peccatum in mortem; * ita et Gratia, per Jesum Christum, regnat per iustitiam in vitam aeternam.

Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, * in morte ipsius baptizati sumus.

Et, per Baptismum, * in mortem cum illo consepulti sumus.

Vetus homo noster crucifixus fuit * ut peccati corpus destruatur;

Et, ut ultra peccato non serviamus, * Christi Crux mortis est equuleus.

Et, quomodo Jesus a mortuis surrexit per gloriam Patris, * ita et nos, in novitate vitae, oportet ut resurgamus et ambulemus.

Et, certe, si enim, complanctati, facti sumus similitudini morti eius, * simul etiam oportet ut resurgamus.

Et, cum eo, vitam degentes inculpabilem, * vitam inde vivamus aeternam.

Hinc est sanctae fraternitatis suae effectus, * et unguenti charitatis perfusio, ut unum cum eo efficiamur.

Hinc Dominus Jesus benedictiones spargit; * et vitam vivificat usque in saeculum. —

Accingere, ergo, gladio super femur tuum potentissime, victor mortis et peccati; * Regnum tuum veritas est, mansuetudo et justitia.

Converte planctum nostrum in gaudium nobis; * per mortem, passionem, et resurrectionem tuam.

Conscidisti saccum nostrum; * ut nobis gaudii laetitiam praeberes tui.

Eja, Domine, exurge; quare obdormis? * exurge, ne repellas nos in finem.

Quare faciem avertis tuam, * et tribulationem obliivisceris nostram?

Sciant Gentes, quoniam nomen tibi Deus, * et quod tu solus Altissimus in universum mundum.

Temetipsum exinanisti servi formam accipiens; * humiliasti temetipsum factus obediens usque ad mortem.

Exurge, quia pro nobis passus es; * peccata ablue nostra in Aqua et Sanguine lateris transfixi tui.

O gloriosa Lancea
Timor, tremorque Daemonum,
Regna pandis siderea,
Per sanctae necis meritum.

In corde Christi mergitur
Mucro leone saevior;
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.

Non casu, igitur, et simpliciter, etiamsi immaniter, hi aperti sunt fontes, * et scaturierunt.

Sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est tua, * per aquam regeneramur; per sanguinem nutrimur.

Quaesumus nunc, Domine, ut dum adorandum accedimus, et admirandum calicem sacratissimi sanguinis et aquae, * credamus ex ipso haurire latere tuo.

O Christe, nostrum gaudium
De vulnerato latere,
Da lac et vinum depluum
Ardente corde suggere.

POSTCOMMUNIO

— Deus meus, Domine Jesu, es tu, * sed Deus vere amans, et amans ut vere Deus.

Amans ab aeternitate; libere amans, magnifice, infinite; * amans ut Deus.

Tu summus, perfectus, immensus, omnipotens, et incomprehensibilis, ad nos de throno descendisti Maiestatis tuae, * et nobis parvis et valde et aptasti exiguis.

Naturam nostram tuae, tam stricto, tam suavi, et inviolabili coniunxisti vinculo; * ut, quamdiu Deus est Deus, tamdiu Deus sit homo, et homo sit Deus !

Ex quo enim infallibili modo factus es homo, * factus es sanguis et caro nostra, intercessor et protector noster;

Noster doctor, custos, et sodalis; * noster frater, cibus, potus, et Paradisus.

Liceat, ergo, nos exclamare * «Deus, Deus noster, et omnia»;

Deus Deus, quia consubstantialis Patri; * *noster*, quia nobis consubstantialis.

Et quid aliud amplius quaerimus extra Jesum? * cum nihil sit extra illum, quod sit aliquid?

Si virtutes quaerimus, in eo omnem inveniemus mansuetudinem, * puritatem, scientiam, justitiam, et charitatem.

In eo sunt thesauri Sapientiae et Scientiae Dei; * in eo omnes Coeli et Terrae deliciae. —

Tu, et mater tua Maria, fontes indeficientis amoris, in hoc cognoscamus si nos diligitis; * nempe si efficietis, ut nos, pro vobis moriamur amore.

Amari vultis? concedite ut ardentissime vos amemus; * et in amoris moriamur excessu.

Fideiussio pignoratitia divinarum reconciliationum, * fiducia nostra erga Deum.

Fons inexaustus incorruptionis viventis aquae, * intercede pro nobis ad Dominum.

Domina, in adiutorium intende nostrum; * et, de luce misericordiae tuae, nostras illustra mentes.

Super inimicos nostros potentiam ostende tuam, * ut, benedicta, sanctificeris in linguis et Nationibus.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem personent,
Flammescat igne Charitas,
Accendat ardor proximos,

Honor, decus, laus iugiter
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclyto
In saeculorum saecula. Amen. —

CANTICUM XVII.

FESTUM S. MATHIAE APOSTOLI.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Apostoli statuerunt duos, * qui in locum sufficerent Judae.

Qui dux fuit eorum qui comprehenderunt Jesu ; * et inde, suspensus, crepuit medius.

Hi duo erant, Joseph, qui vocabatur Barnabas, * qui cognominatus est *Justus;* et Mathias.

Orantes, proinde, dixerunt « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris, ex his duobus, unum.

Accipere locum ministerii huius et apostolatus ; * de quo praevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.

Apostoli dederunt eis sortes, et sors cecidit super Mathiam ; * et Apostolorum Collegio sociatus fuit.

— Sortes omnium, viri fratres, mittuntur in sinum, sed temperantur a Domino

Jacto, ergo, curam meam in te Domine, * et in expectatione non confundar mea.

Desiderium animae eius tribuisti ei, * et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis ; et Coronam de lapide pretioso in capite posuisti eius. —

— Multi sunt vocati, pauci vero electi, * non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.

Quos praescivit hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit ; * quos autem justificavit, illos et etiam glorificavit.

Crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam, * suprema capturi gaudia.

Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum ; * iis, qui, secundum promissionem vocati sunt Sancti.

An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem ; * aliud vero in contumeliam ?

Scimus, etiam, quod Deus vult omnes salvos fieri, * et ad agnitionem venire Veritatis.

A fine attingit usque in finem, et disponit omnia suaviter, * et cura est illi de omnibus :

Et universae viae eius, * misericordia et Veritas.

Cum iratus fuerit, misericordiae recordabitur; * superexaltat autem misericordia Judicium.

Quoniam ira est in indignatione eius ; * et vita in voluntate eius.

Ad vesperum demorabitur fletus; * et ad matutinum laetitia.

Non repellit nos Dominus in Sempiternum ; * omnium miseretur, quia potest omnia.

Sed quia non profert cito sententiam contra malos, * filii hominum, absque timore ullo, perpetrant mala !

Propter nomen sanctum tuum, Domine, longe fac a nobis furorem tuum;* et contritiones sana nostras. —

— Nimis honorati sunt amici tui Deus, * nimis Principatus eorum confortatus est.

Constituisti eos Principes super Terram omnem, * memores erunt nominis tui in omni generatione et progenie !

Hostias tibi, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, sancti Mathiae, Apostoli tui, prosequatur oratio, * per quam expiari nos facias, et defendi.

Te, Domine, exoramus, gregem tuum, Pastor aeterne, non deseras ; * sed, per beatos apostolos tuos, continua protectione custodi.

Ut iisdem gubernetur Rectoribus, quos operis tui Vicarios eidem contulisti praeesse Pastores. —

— Domine Jesu, animae meae gaudium amo te, et te non video ; * diligo te, et mihi faciem abscondis tuam.

Utinam possem te in ulnis gestare, ut beatus Simeon ; * paulisper, ut divus Joannes, super pectus requiescere tuum ;

Utinam, et etiam, te semel deosculari, * ut beatissima Maria.

Saltem hoc quidem tempore Sacratissimi Sacrificii missae, * tuo possim conspectu frui, ut Petrus et Jacobus;

Possim, et te loquentem audire, ut Discipuli, * vel fimbriam vestimenti tui attingere ut Cananaea.

Sed, quid dico? oculos attollens meos, ubique te in creaturis praesentem video; * in proximo meo, in me ipso.

Habeo vetus novumque Testamentum; habeo et Evangelia, quae te mihi ostendunt; * et ita audio te docentem; omnia recolo verba; attendo ad doctrinam:

Consilia praecepta perpendo et dicta; * nam, quod loquutus es Apostolis, olim, et Discipulis, et hoc, in praesens, loqueris nobis etiam.

Video, in Evangelio, te infantem positum in Praesepe; * modo puerulum inter matris tuae brachia, ubera de Coelo plena sugentem.

Modo orantem video; * agentem; et, propter me defessum, multa et gravia sustinentem.

Quam pulcher es, dilecte mi, quam pulcher et aspectu decorus! * sequar te quocumque ieris, et nunquam a facie declinabo tua.

Me Pastoribus comitem dabo; adorabo te cum Magis; * cum Samaritana verba degustabo oris melliflui tui.

Accedam cum puerilis ad te; et, in simplicitate, coram te animam effundam meam; * et cum Magdalena, pedibus advolutus tuis, semper adstabo.

Pedes autem tuos, lacrymis rigabo meis; * largire tu mihi donum lacrymarum.

Pulcherrime et piissime Jesu, * ne me nuquam de Sanctis tuis projicias pedibus, .

Id mihi, si propter nimiam meam acciderit indignitatem, ad Mariae cito confugiam pedes.

A matris tuae facie omnis aufugit doloris sensus, * et gemituum vox,

Quae tentatio, aut turbatio, aut tua indignatio, * superare meam poterit confidentiam in patrocinio Matris tuae?

Vel etiam de loco me detrahere, * ubi tui stant pedes et ejus?

Arca Sanctificationis, * finis Testamentorum, quae fecit nobis Deus.

Fidejussio divinae reconciliationis, * ne me indignum de Sanctis projicias tuis pedibus.

Nunc, ergo, magna cum fiducia, anima dic mea, * « Exultabo in Maria et laetabor »;

Quia, quidquid de me judicabitur, pendet ex sententia fratris mei Jesu; * et dulcis matris meae.

Veni ad me, mater mea, fratrem adducens dulcissimum meum, * ad perpetuam languentis animae refocillationem.

POSTCOMMUNIO.

— Dum mente pervolvebam ista, certe aliquid mihi omnino deerat, * quod oculi desiderant prospicere mei.

Aures audire; manus contrectare, * et lingua gustare.

Nam, non imaginem dilecti tantum, * non sui amoris vestigia,

Non ejus vitae historiam in sancto Evangelio, * sed ipsum Jesum videre et possidere inardescens optabam.

Ecce nunc, dilectus meus, in Encharistia; mihi ille; et ego illi; * teneo eum nec amplius dimittam.

Vere intime, realiter ipse praesentem, bone Jesu, habeo te; * tu vero nobiscum eris ad consummationem saeculi usque.

Te habeo a dexteris in Templo sancto tuo, * in pectore habeo meo, et custodem et hospitem.

Ego te video, te tango; * et dulcedinem gusto tuam.

Et ita, te dilectum, constringo, * ut, non solum tuus ego conviva, sed tu cibus meus, et potus et totus factus sis meus. —

— Vivit Dominus meus, * in conspectu cujus sto.

Vivit Deus meus in creaturis, quas omnipotentia creat, omniscientia cognoscit, * bonitate conservat.

Et quas essentia replet; * et providentia sanctissime regit.

In proximo vivit, quemadmodum in me vivit; * qui opus sum manuum ejus, ejus imago;

Templum amoris ejus; * frater, et cohaeres ejus.

Comedi vivens, comedam etiam et in obitu Panem super substantialem tuum; * et Vinum bibam germinans Virgines quod miscuisti mihi.

Deus refectio; Deus refugium et spes omnium finium terrae; * tibi adstabo in conscientia bene actae vitae:

In labore adstabo; * in poena, pondere et vulnere aerumnarum peregrinationis meae.

Usque ad extremum adstabo vitae terminum, * ut, tandem, ad tuam ipsam consocier sine termine vitam.

Excita, interim, tuis stimulis torporem meum, * et fac, quaeso, me strenue, in Canticis tuis, die perseverare ac nocte.

Ut concaleat, tribue, intra me cor meum; * et, in meditatione mea exardescat amoris tui ignis.

Trahe me post te, ubi sempiterna est vita, et sempiternaliter beata; * perfectus amor, nullusque timor.

Vita, ubi est sine labe, sine anxietate, vel corruptione; * vita sancta, tristitiae nescia, et mortis ignara;

Ubi dies aeternus, * et unus omnium spiritus;

Ubi de facie te videbimus, ad faciem; * et ubi, hoc vitae cibo, anima, sine defectu, satiabitur nostra.

— Oculus, viri fratres, non vidit adhuc; nec auris audivit; nec in cor ascendit hominis, * quae Dominus.

—

CANTICUM XVIII.

DIES CINERUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Defecimus, Domino, in justa ira tua, a perfectione, * et ab immortalitate.

Decrevisti in furore tuo mortem hominis, * ut in praesentiarum, timor mortis conturbat nos.

Mille anni, ante oculos tuos,* sunt tanquam dies hesterna, quae praeteriit.

Et anni nostri sunt tanquam nocturnae excubiae, * quae pro nihil absolvuntur.

In uno mane, a pueritia ad juventutem; * a juventute in viriiem aetatem, tanquam flos transimus.

Vespere, autem, senescendo, decidimus, * tormentum nos tangit mortis, et in pulvere arescimus.

Vitae mala, et mortis semper perdurabunt; * vita brevis est, et raro quis ad centum pervenit annos.

Amplius si vitae elongetur cursum,* dolor est et labor.

Sed ex brevitate vitae, ejusque aerumnis, humilitas nobis supervenit et mansuetudo; * Corripimur ut recte vivamus.

Propterea laetabimur pro peccatis, quibus, quibus tu, Domine, donas, et nos sustines diebus; * nec non pro annis, quibus vidimus mala.

O quando lugentibus Corona dabitur pro cinere; * et gaudii oleum pro luctu?

Militia nostra est vita super Terram, * non Coronabitur nisi qui legitime certaverit.

Filii Sanctorum sumus, * et vitam illam expectamus, quam daturus est his, qui nunquam fidem ab eo mutant suam.

Populus autem tuus, Domine, omnes justi, * in perpetuum haereditabunt Terram;

Germen plantationis tuae, opus est manuum, * et excelsae Sapientiae tuae ad glorificandum.

Expergescimini, viri Fratres; * quia segnibus et incredulis, et excaecatis pars ulla non est in Coelis.

Isti, et fornicatores; et idolis servientes, et qui amant et mendacium faciunt, * in stagni detruduntur igne et sulphure ardens.

Flectamus iram vindicem
Ploremus ante Judicem,
Clamemus ore supplici,
Dicamus omnes cernui.

« Nostris malis offendimus
Tuam, Deus, clementiam.
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam. »

« Memento, quod sumus tui,
Licet caduci plasmatis,
Ne des honorem nominis
Tui, precamur alteri »,

« Laxa malum, quod fecimus;
Auge bonum, quod poscimus;
Placare, quo tandem tibi
Possimus hic, et perpetim. —

— Inter Vestibulum et altare, Sacerdotes ministri tui, Domine, plorant, et dicunt, * « Parce populo tuo » ne ora te canentium, claudas, et invocantium. —

— Immutemur habitu et nos, in Cinere et Cilicio jejunamus, et ploramus ante Dominum; * viri fratres, multum ipse misericors est dimittere peccata nostra.

Emendamus in melius, quae ignoranter peccavimus; * ne subito praeoccupati die mortis, spatium poenitentiae quaeramus, et invenire non possimus.

Audi nos Deus salutaris noster; * et propter gloriam nominis tui libera nos in morte.

Rectorum custodi salutem; * et omnes protege, Domine, qui ambulant simpliciter, et justitiae servant semitas.

Splendor, tandem, aeternae tuae lucis nobis illucescat; * nos dirigens in requiem, quam animabus promisisti nostris,

Et, in praesenti, sancta inchoando jejunia, * nobis sancta concede christianae militiae praesidia;

Ut, contra spirituales pugnaturi nequitias, * continentiae muniamur auxiliis.

Iti Cineres, salubre, omnibus nomen invocantibus tuum, sint remedium; * ac semetipsos pro conscientia peccatorum suorum humiliter accusantibus;

Et quicumque iis aspersi fuerint, * veniam consequantur.

Corporisque sanitatem; * et animae accipiant tutelam.

Ninivitis tu, in Cinere poenitentibus et Cilicio intelligentiam praestitisti; * nos, etiam, spiritus reple compunctionis.

Ita, quomadmodo in habitu imitamur eos; * iis etiam in veniae assimilemur acceptatione. —

— Beatissima intercedente Maria, Sanctis et omnibus, a cunctis nos redde perversitatibus expiatos, * et adversitatibus expeditos.

Ad te currimus, piissima Virgo; * ad te venimus, coram te gementes peccatores adstamus;

Noli, mater Verbi, verba despicere nostra, * sed audi potius clementer et exaudi.

Salve munimen fidelium; * dissolutio maledictionum, et Spes universorum.

Salve Agna, genitrix Agni Dei, totius Mundi peccata tollentis; * et miserere nostri.

Miserere servorum tuorum, super quos nomen invocatum est tuum; * et ne in tentationibus sinas angustiari nostris.

Ecce Panis dulcissimus;
Ecce Panis complectendus;
Ecce panis pinguissimus,
Ecce panis recolendus;
Ecce panis praeoptimus
Cibus cunctis praeferendus
Et prae cunctis gratissimus,

POSTCOMMUNIO

Pater noster, qui es in Coelis, Judicium Filio dedisti tuo; * et misericordiae officium Matri dicasti suae.

Pater, nomen sanctificetur tuum; et in nobis regnum adveniat tuum; * Regnum hoc in Potestate est, et in Misericordia.

Potestatem Filio reservasti tuo; * misericordiam Matri concessisti ejus.

Tua in Coelo, Pater sancte, fiat voluntas, * tua et in Terra

Ibique regnum Jesus Justitiae tenet; * clementiae et Maria.

Idem et Jesus frater noster est, * eadem et Maria nostra Mater est.

Quanto altior et sanctior es, o benedicta, * tanto clementior, tantoque, circa Poenitentes, dulcior.

Nemo Peccator perit, * cui Regina Sanctorum omnium patrocinii suffragia praestat.

Regina, virgo regia,
De genere David Regis,
Dei Mater et Filia,
Christi Parens, Christum regis.

Nostra mater, nostrae legis
Gaudium et laetitia,
Peccatoris sortem agis,
Decus honor et gloria.

In te sola spes figitur
Omnis humani generis;
Per te solam destruitur
Adae peccatum veteris.

Vitae portus es miseris;
Per te salus acquiritur;
Nescit reatum sceleris,
Qui te devote sequitur.

Nil austerum in te; terribile nihil; * tota suavis es, o Maria, omnibus lac offerens et lanam. —

— Pater sancte, inchoata jejunia, * benigno prosequere favore;

Et, quam corporaliter exhibemus observantiam, * mentibus etiam exercere valeamus sinceris,

Clementissime Pater, nobis debita, per Jesum et Mariam dimitte nostra; sicut et nos debitoribus dimittimus nostris.

Potentissime Pater, nihil aereum, nihil igneum, terrenum nihil; * nihilque quod creatum est, praeter te increatum, colendum est.

Tu idem ipse es, et tui non deficiunt anni, * quia tu solus aeternus es et non mutaris.

Nos omnes mutabilitati subjecti sumus; * communem ad vitam habemus introitum, similemque exitum.

Omnia, quae de terra sunt, in terram convertentur, * substantia nostra tanquam nihilum ante te.

Spiritus pertransit in homine; et non subsistit, * et amplius locum non cognoscit suum.

Ita corpus unum quodque quasi putredo consumitur; * et quasi vestimentum quod a Tinea comeditur.

Pater misericordiarum, cujus unius bonitate facti sumus; * et cujus justitia poenas luimus,

Dignare clementia liberare; * et vitae nostrae benedicere fragilitati.

Sive vivimus, sive morimur, tui nos, Domine, esse volumus; * ne nos derelinquas in oblivionis terra.

Pater justissime, qui nostra judicaturus es peccata, * ne nos in tentationem inducas, et a malo libera nos:

Ut, haec tua a nobis coelesti benedictione suscepta, * sacramenti causa sit, et perpetuae salutis.

— Sit Trinitati perpetua gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio:
In unitate, quae gubernat omnia,
Per universa aeternitatis saecula. Amen.

CANTICUM XIX.

FESTUM IN CORONA SPINARUM.

Iteratur festum *Coronae* D. N. Jesu Christi in mense Maji — Canticum LVIII. —)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra , pag. 1.)

— Coronans coronabit te tribulatione ; * quasi pilam mittet te in Terram ;

Ibi morieris; * ibique attamen currus erit gloriae tuae.

Egredimini filiae Sion, et Dominum videte Jesum in diademate, * quo coronavit illum Synagoga mater sua, in die desponsationis illius.

In die laetitiae infiniti amoris sui, * erga nos homines.

Furorem illa in eum effudit suum,* mala retribuens pro bonis ;

Vidimus eum, et non erat aspectus,* et quasi absconditus vultus ejus ;

Inter iniquos projecit eum; * et animae non pepercit ejus ;

Plaga, terribilibus oculis percutiens eum crudeli, * subsannabat et irridebat !

Et, plectens,Coronam super caput ejus de Spinis posuit; * et Arundinem in dextera ejus.

Ita, Christus Jesus, splendor Patris, et figura substantiae ejus, * omnia verbo portavit virtutis suae.

Spinis coronatus apparere dignatus est, * purgationem faciens peccatorum nostrorum.

Tuam adorantes, Domine , Spineam Coronam, * tuam nos hodie recolimus Passionem.

Eja, Filiae Sion , egredimini ; * nostrum in diademate videte Regem ;

Mater sua coronavit illum in die desponsationis illius, * idest in die summae laetitiae cordis sui.

Insuper et flagellavit eum; ludibriosa induit veste; * amaris illusit conviciis!

A lapis afflixit vultum ejus venustum, quem Angeli desiderant conspicere , * et acutissimis vepribus caput recinxit ejus !

O Coronae miranda dignitas, mortis debitas repellis poenas; * fractas tu nostras erigis vires;

Tu spem lapsis ; * perditas tu restauras aureolas.

Vulneratus es, o bone Jesu, propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra; * sed livore sumus nos sanati tuo.

Lauda fidelis concio
Spinae triumphum inclytum ;
Per quam perit perditio,
Vitaeque datur meritum.

Nos a puncturis liberat
Aeterni Patris Filius ;
Dum spinis pungi tolerat
Spinarum culpae nescius.

Dum spinarum equuleum
Christus pro nobis pertulit,
Per Diadema Spineum
Vitae coronam contulit.

Plaudat turba fidelium ,
Quod per Spinae ludibrium ,
Purgat Creator omnium ,
Spineti nostri vitium. —

Jesu et Maria , pro vobis vivam , moriar pro vobis , * totus vester sim, et nihil meus.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi ; * miserere mei , mihi parce ; et exaudi me.

Hic est Panis viatorum
Qui non est dandus canibus ;
Qui est salus miserorum ,
Praestans omnibus panibus.

POSTCOMMUNIO

Oro te, bone Jesu , ut , jam gustato nectare suavissimo tuo, * illecebrosa Mundi toto me facias despicere affectu.

Nulla ejus , pro te , facies formidare adversa ; * et moerorem perpetuae

nobilitatis cogitantem Regis coronati mei, saeculi hujus transitorii, fastidire vanitates.

Spes unica mea, per omnes, rogo te, pietates tuas, * ut per mirificam Sacramenti Corporis et Sanguinis tui susceptionem, cunctis propitieris impietatibus meis.

Quo tu, Nate Dei, quo tua descendit humilitas, * quo tua pervenit Charitas!

Quo processit pietas! * quo benignitas excrevit!

Quid commisisti, ut tantum indignatio ferveret humana contra beneficam Majestatem tuam! * et inardesceret!

Quod crimen, et quae mortis causa! admodum scio, me tui doloris esse plagam, occisionis tuae culpam;

Ego passionis tuae livor, * tuae vindictae flagidium.

Peccat iniquus, et punitur justus; * impius offendit, et damnatur pius!

O admirabilis censurae Conditio! o ineffabilis misterii dispositio! —

— Omnes viae hominis oculis patent tuis; * Spirituum ponderator est Dominus.

Ecce in Coelis testis meus, et cogitationum mearum, conscius in excelsis; * ad Deum oculus stillat meus.

Odit omnes qui operantur iniquitatem; * perdet omnes qui loquuntur mendacium.

Mane adstabo tibi, * et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es;

Neque habitat juxta te malignus; nec injusti ante oculos permanent tuos.

Ecce Coelum, et Coeli Coelorum; abyssus et universa Terra; * et quae in eis, in conspectu commovebuntur tuo.

Dies, viri fratres, appropinquat Domini; * dies manifestaris Judici ejus; dies magna et amara valde!

Domine Jesu, antiquas miserationes tuas, vulneribus infunde meis;

Ut, mundus a vipereo contagionis morbo, * pristinae restituar incolumitati.

Vilescant, obsecro, omnia et Sordeant universa, * quae oculis placita sunt peccantium.

Nil mihi, sine te, dulcescat; nil complaceat; * nil pretiosum, nihilque praeter se speciosum arrideat.

Taedeat me gaudere sine te; * et, pro te, contristari delectet.

Tibi obedire amabile sit mihi; * tibique resistere, execrabile.

Studeam, pro te; Superioribus, quicumque ii sint, obsequi; * inferioribus subvenire;

Afflictis, compati; * amicis consulere; parcere inimicis;

Largitate avaritiam superare, * Iracundiam lenitate vincere; tepiditatem fervore.

Et, ne foeda sit, vel lubrica mei corporis compago; * voluptatem, jejunio et austeritate retundere cupio.

Concedo nostrum conteri
Corpus per abstinentiam
Culpae ut deponant habitum
Jejuna corda criminum.

Tu salus mea jucundissima, * pone me ut signaculum supra cor tuum ad amandum;

Ut signaculum super brachium tuum, * ad operandum.

Nomen sit tuum refocillatio in labore, * et tua memoria, consolatio in tribulatione.

Per admirabilem humilitatem, et patientiam tuam, prohibe ne veniat mihi pes superbiae, * et manus peccati ne moveat me.

— O Regina cordium; pulchrae mater dilectionis, amoris; timoris; * sanctae spei, et misericordiae.

Tu etiam Unigenitum tuum, * pro nostra voluisti salute dare.

Et, ut per omnia conformis Patri fieres et Filio, * nos Patri conforma et filio.

Mentem et animam tibi commendamus; * et carnis infirmitatem.

Fortissima protectio et auxilium nostrum, * nos ab ignorantia libera, et oblivionis socordia —

— Nunc sancte nobis Spiritus
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori. —

CANTICUM XX.

CATHEDRA S. PETRI — ANTIOCHIAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Omnis Sapientia a Deo est; * cum illo fuit semper, et est ante saecula.

Sapientiam Dei, omnia praecedentem, quis investigavit, ? vel aquilinis intuitibus videre, et noscere valet ?

Prior omnium creata est Sapientia; * et Prudentia intellectus ab aevo.

Verbum Dei est in excelsis fons Sapientiae; * et gressus illius mandata aeterna.

Quis arenas dinumeravit maris ? * pluviae guttas; diesque Saeculi ?

Et quis altitudinem Coeli; latitudinem Terrae; * et profundum dimensus est abyssi ?

Unus est Altissimus Creator omnium; * Omnipotens et metuendus nimis.

Idcirco una est Fides; unum est Baptisma;* Una Dei est Ecclesia sancta et magna.

Ipsa custodit Sapientiam, * et effundit super omnem carnem, secundum quod datum est illi.

Tanquam piissima mater, ex uberibus praebet nobis Sapientiam suis,* sicut mel et lac, sponsum diligentibus suum.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes; * quas Sapientia confundit Ecclesiae Sanctorum. —

— Initium, viri fratres Sapientiae, est timor Domini; * et, cum fidelibus in vulva concretus est.

Sapientis Sapientia, tanquam inundatio, abundat; * et consilium illius permanet sicut fons vitae.

Timor Domini Gloria et Gloriatio,* laetitia et Corona exultationis.

Timor Domini cor delactat hominis; * gaudium confert et dierum longitudinem.

Timenti Dominum, bene erit in extremis, * et, in die defectionis suae benedicetur. —

— Electorum cogitatio, * est in spe Redemptoris nostri;

Ipse est Ecclesiae fundator et Caput; * et in contemplatione ipsius, exardescit.

Istius Ecclesiae filii, supernis appetunt interseri civibus; * et, adhuc corporibus in mundo positi, mente volitant extra mundum.

Ærumnam, quam tolerant, exilii deplorant, * et incessantibus amoris stimulis excitantur, et singultibus ad sublimem Coelestem patriam.

Sapiens et timoratus homo, usque ad tempus sustinebit; * et redditionem accipiet jucunditatis.

— In thesauris Sapientiae est Scientiae intellectus; * et religiositas erga Deum.

Fides, Spes, et Charitas in operibus est Sapientiae; * nec non humilitas et patientia;

Est ardentissima erga Mariam devotio;* et Sacramentorum praxis; praesertim Confessionis et Communionis.

— Sed, unde hoc mihi, ut Dominus meus, et Dei mei filius, * frequenter ad me veniat ?

A Patre unigenitus,
Ad nos venit per virginem,
Baptisma crucis consecrans,
Cunctos Fideles generans.

Vere, Domine, non sum dignus, * sed utique ascendam ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.

Ipse religiositatem me docebit Scientiae, * et Sanctorum plenam Sapientiam. —

POSTCOMMUNIO.

Educas panem de Terra, * et Vinum laetificans cor hominis.

Aqua laleris Christi animam ablue meam, * sanguis Christi inebria me.

Corpus Christi sanctifica me in Templo sancto tuo,* habitatione gloriae majestatis tuae.

O quam terribilis locus est iste, et metuendus; * vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta Coeli.

Preces, Domine Deus Adonai, exaudi meas;*in excelso solio gloriae tuae.

Divinitatis tuae, spiritum meum, sempiterna fruitione reple; * quam pretiosi Corporis et Sanguinis tui temporalis praefigurat perceptio.

Ave Petre, Apostolorum Princeps;* tu es Petrus, et super hanc petram aedificavit Christus, veritatis columnam, Ecclesiam nostram.

Angele Sancte, vitae meae gubernator et custos; sancte Michael Archangele, * apprehende arma et scutum, et in adjutorium exurge Ecclesiae Christi omniumque fidelium.

Sancte Raphael, medicina Dei; * comitem nobis esse dignare in via aerumnosa ista.

Ecclesiae et Christianorum piissima mater Maria, fureute persecutionum tempestate, et tentationum, nos tenero protege affectu;* donec in beatam adducas Patriam.

Promptuarium divinarum Gratiarum;*Agna,ex qua Pastor Ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis;

Universae haereticae pravitatis interemptrix, * nostras cum precibus exaudi preces.

Condolet Esther fratribus
Totius sui generis,
Aman, rumores audiens,
Regem adit, qui foederis
Signum dedit, pestiferis
Morti datis compticibus,
Damnatur Aman sceleris
Ejus notis criminibus.
Esther es tu, perfidiam
Aman reprimens graviter;
Famulorum miseriam
Exterminans beniguiter,
Regi summo feliciter,
Desponsata per Gratiam,
Coronata perenniter,
Regiam tenens potentiam. —

— Vocem, viri fratres, audiamus Petri Cathedrae; * timorem Domini docebit nos.

Deus, ab initio constituit hominem rectum; * illum reliquit in manu consilii sui;

Mandata adjecit et praecepta sua,* si mandata servare voluerimus, conservabunt nos. —

Proposuit in conspectu nostro vitam, et bonum; * et, e contrario malum, et mortem:

Ut, ditigentes eum, libere et expedite in viis ambularemus ejus; et mandata custodiremus illius.

Ad quem, tu Deus, respicis, nisi ad pauperculum et contritum spiritu? * et sermones trementem tuos?

O quam angusta et arcta est via, quae ducit ad vitam! * et pauci sunt qui inveniunt eam;

Sicut scriptum est, * « multi sunt vocati, pauci vero electi ».

Qui scientiae veritatem commutant et Sapientiae Dei in mendacium, * tradidit illos Deus in ignorantiae tenebras et errores.

Qui creaturae serviunt, potius quam Creatori, * tradidit illos Dominus in passiones ignominiae,

Lata et spatiosa est via, quae ad perditionem ducit; * et multi sunt in aberratione Fidei, et operum Fidei, qui ambulant per eam.

Ideo videamus, viri Fratres, * quomodo caute ambulemus;

Non quasi insipientes; sed ut sapientes, redimentes tempus; * quoniam dies mali sunt.

Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus abstinet; * et illi quidem ut corruptibilem accipiant coronam;

Ecquid non sustinendum est a nobis, * qui incorruptam expectamus?

Impius instabili facit opus; * seminanti autem justitiam, merces fidelis.

Unicuique, Dominus justus et potens, * secundum opera reddet ejus.

Iis quidem, qui, secundum poten-

tiam boni operis, Gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt * vitam aeternam;

Qui autem ex contentione sunt; qui iniquitati credunt, et Veritati non acquiescerunt, * iram et indignationem sustinebunt.

Ventum seminarunt; * turbinem et metent.

— Sanctorum agmina omnia, beatorumque universi Coetus, * orate pro me ad Dominum.

Orate et pro fratribus, familia et proximis meis; * ut nostra operosa non deficiat Fides.

Orate, piissimi, ut vestris adjuti precibus, meritisque, salva nave, et integris mercibus, ad portum perveniamus continuae pacis; * et nunquam finiendae severitatis.

— A nobis abigas lubrica gaudia,
Tu, qui martyribus dexter ades Deus:
Une, et Trine, tuis da Famulis juba,
Quo clemens animos beas. —

MARTIUS

CANTICUM XXI.

DOMINICA I. QUADRAGESIMAE.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cujusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.).

Sicut Incensum, oratio in conspectu tuo dirigatur mea, Domine ; * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Die ac nocte clamo coram te ; * intret deprecatio mea in conspectu tuo semper.

Susceptor meus es tu, et refugium meum; * Deus meus in te sperabo.

Confessio, et animarum pulchritudo ante te est; * sanctitas et magnificentia in justificatione tua.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei Coeli commorabitur.

In te poenitentes, speramus utique;* protege nos

Et libera nos; * quoniam nomen cognovimus tuum.

Scuto circumdat nos Veritas tua; super Aspidem ambulabimus et Basyliscum; * Leonem conculcabimus et Draconem.

Factus nobis in refugium a generatione et progenie, * a saeculo usque in saeculum noster Deus es.

Ascendans ad te supplicationes nostrae;* ut cunctam a nobis repellas nequitiam.

Miserere nostri, Domine, nostras depone iniquitates; * et omnia in profundum maris peccata projice nostra.

Nunquam nostri nobis dominentur inimici; * ab omnibus, nos Deus, angustiis liberet et periculis.

Exurge, Domine, in ira tua, te ipsum exaltans in finibus inimicorum nostrorum; * et salva nos. —

Lumine claritatis tuae, mentes etiam illustra nostras, * ut qui per abstinentiam maceramur in corpore, per fructum boni operis reficiamur in animis.

Immitte timorem tuum in Gentes, * quae non exquirunt te.

Cognoscant omnes , quia non est Deus, nisi tu; * et magnalia enarrent tua.

Sicut enim in conspectu eorum magnificatus es in nobis; * sic, in eis, in conspectu magnificaberis nostro, ut te cognoscant, sicut et nos cognoscimus.

Innova signa; et mirabilia potentiae ostende tuae;* tolle adversarium

Festina, Domine, et memento finis;* quoniam non est alius Deus, qui opituletur nobis. —

— Domine Deus, magnificentia tua elevata est plusquam Coeli ; * bonus, pius, sanctus, justus, et omnipotens.

Delectasti nos, Domine in factura tua, * et in operibus manuum tuarum exaltabimus;



S. FRAN^co. CARACCIOLO

A. P. Via de S. Pantaleo N.° 14.

Videbimus, in magnificentia tua, opera digitorum tuorum, * Lunam et Stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod tu, tantus cum sis, memor es ejus? * et quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum; * omnia sub pedibus subjiecisti ejus,

Domine Deus noster, * quam grande et admirabile est nomen tuum in universa Terra;

Et quam amabilis es in nostram te inclinans Redemptionem; * et in praemium reservans.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus; tu nostra, miseratus absolve delicta; * ut nos, quae recta sunt, alacri perficiamur animo.

Calix benedictionis, cui benediclmus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Calicem ideo salutarem accipimus, et nomen Domini invocamus.

Misericordiam, ideo, super nos multiplica tuam; * qui parcendo, et miserando, maxime manifestas te nobis!

Ita, ad munera, quae in tuo offeruntur Altari adcurrentes, * coelestium confidimus bonorum tuorum consortes effici.

POSTCOMMUNIO

Salutari tuo, Domine, munere satiati,* dona etiam, ut, cujus laetamur gustu, renovemur effectu.

Panis Angelicus, fit panis hominum;
Dat panis coelitum figuris terminum,
O res mirabilis, manducat, Dominum,
Pauper, servus, et humilis.

Qui timetis Deum, laudate eum; * universum justorum semen glorificet eum.

Benedictus es Dominus Deus patrum nostrorum; * et nomen benedictum gloriae tuae quod est Sanctum.

Benedictus in Templo gloriae tuae;* et super thronum Regni tui.

Benedictus qui super Cherubim in majestate sedes, intuens abyssos; * et benedictus super sceptrum Divinitatis tuae.

Benedictus es, qui super pennas ambulas ventorum; * et super undas maris.

Nomen sanctum tuum Coelum benedicat, * et resonet in Terra.

Sicut adipe, et pinguedine caro repleatur nostra; * et anima saturatur laudibus Sapientiae tuae;

Sic etiam tuam, in vita nostra benedicimus potentiam; * cum omnibus qui in Coelis habitant et in Terris.

Melior est misericordia tua super diuturnitatem vitae; * et super omnia temporalia bona.

Propterea, ad te deprecandum et benedicendum nostras sustulimus voces;* et corda ereximus nostra.

Et, ad te laudandum, Deus noster, de prima surreximus luce; * et vigilamus adhuc;

Si in matutinis meditabimur in te, etiam in nocte memores tui sumus super stratum nostrum.

Ita, diluculo vigilantes; * videbimus tandem virtutem tuam;

Et, in velamento alarum tuarum,* nomen, quamdiu vixerimus, exaltabimus tuum.

Custodi nos interim, et semper, ab offendiculis, et peccantium insidiis; * et a scandalis operantium iniquitatem.

Ut, sicut ab escis abstinemus carnalibus; * a noxiis quoque retrahamur voluptatibus.

Adjuva nos; * et succurre, Domine in poenitentiae diebus.

Ita, dum, per abstinentiam affligimur in corpore, * per fructum sanctorum operum reficiamur in mente.

Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes sobrii,
Tu solve peccatum vetus
Novumque lumen ingere.

— Jesum invocemus et Mariam; * quae ad thronum Gratiae, non so-

lummodo rogans sed imperans accedit.

Domina et nostra dulcissima mater, * Filius te honorat tuus, nil tibi negans;

Multa petuntur a Deo, et non obtinentur, * appetant ad te miseri, et cito obtinent.

Et ita, non quia Deo potentior es, * sed quia ipse decrevit sic matrem a nobis honorari suam.

Benedictum sit cor tuum suavissimum, o Maria, * quo Filium ardenter dilexisti Dei.

Paupertatem nostram gloriosa respice Virgo; * ne tardes miserias removere et angustias.

Benedicat te omnis caro; * et omnis, nobiscum, te glorificet lingua.

Eja advocata nostra, illos tuos, ad nos miseros Adae filios, * misericordes converte oculos. —

— Te Trina Deitas, unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus;
Per tuas semitas, duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas.

CANTICUM XXII.

FESTUM S. JOANNIS JOSEPHI A CRUCE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra pag. 1.)

Ascendat supplicatio mea sicut arabum Incensum; * quod mane adoletur in conspectu tuo.

Et elevatio manuum nostrarum, accepta sit tibi, * sicut sacrificium vespertinum.

Domine Jesu, Fili Dei vivi, nobis tuum hodie auxilium praebere digneris.

Tu, qui in cruce, expansis manibus, propter omnium nostrum redemptionem, calicem passionis hausisti; * adjuva nos.

Confiteor in primis ego, coram magnificentia suavitatis tuae, * adversus me injustitiam meam.

In peccatis conceptus et natus, in me a peccatis mundasti, * et sanctificasti; * et ego, postea, majoribus me sordidavi peccatis.

Fui enim in necessariis natus; * posteaque in voluntariis volutatus;

Scrutans, tu Deus, corda et renes, ubi me abscondam, * quando sagittas effeceris ardentes tuas?

Gloria tunc nostra, et salus haec erit, * bonum testimonium conscientiae nostrae.

Fiat, ergo, immaculatum cor meum in justificationibus tuis; * ut non confundar.

Secura sit mens, quasi juge convivium; si non nos reprehenderit cor, fiduciam habemus in Domino accipere quod petierimus.

Si tu nos abjicis, ubi est, qui nos redimat? * ubi qui salvos nos faciat?

Perduellionis quidem insimulamur; * et tamen a spe non decidimus nostra.

Judex justus, et fortis es tu, * et patiens; * nec per singulos irasceris dies. —

— Ita bene habeam; * quando juste corripies, et increpabis me.

Adulatio, et praevaricatio bona non me dimulceant; * neque caput impinguent meum.

Cor duas ingrediens vias, * non habebit successus:

Jesum nostrum, unicum est iter tutum, * nempe ipsum fidelibus crucifixum semper cernere luminibus.

Non appropinguabit in conspectu ejus hypocrita, * si autem illusor fuerit, solum portabit malum. —

— Nunquam me ita in verba praecipitem malitiae; * vel ad praetexendum excusationes in peccatis.

Pone tu, Domine, ori custodiam meo; * et ostium circumstantiae labiis meis.

O ter quaterque beati, qui Mundi hujus familiaritatem recusant; * et perfunctoria spernunt gaudia.

Admodum felices, qui saeculi felicitatem abjiciunt; * et in Coenobiis,

in solitudinibus, et in montium foraminibus, tutissime sese abscondunt.

Sapientes isti, et timidi, sanctissime timent et amant; * ne, cum pereunte saeculo et ipsi simul pereant.

Taedeat me, Domine, vitae hujus in urbe in pagis, et in compitis; * et valde istius taedeat aerumnosae peregrinationis.

Vita misera, caduca, et incerta, * laboriosa decipulis referta, et immunda.

Miseriis plena et erroribus, * malorum domina, et superborum regina.

Vita, quam aer morbosam facit, * escae inquinant; dolores extenuant; et ardores excoecant:

Qua m divitiae jactant; paupertas dejicit; * et tristitiae consumant;

Cui furibunda succedit mors, cunctis futilibus gaudiis et miseriis finem imponens; * et, cum esse desinit non fuisse putatur.

Et, tamen, quam multos suis capit illecebris? * et, quam multos suis falsis decipit promissionibus

O nostrarum mentium caecitas! * o cordium duritia!

O quam bonum mihi est velle adhaerere Deo, * et, in salutari meo spem reponere meam.

— Statue tu interim, Domine, Sapientiae legem, et Luminis tui; * me dirigens in semitas mandatorum tuorum;

Et, Hostiam immolans laudis in tabernaculo tuo, * cantem, tibique Psalmum dicam.

Ut pulchritudinem videam tuam et venustatem, * Templum visitans Gloriae tuae, tuamque sentiens suavitatem.

In quo Christus, verus Deus et homo, sumendus mihi proponitur et datur.

O quam dilecta tabernacula tua, Domine; * in quibus tam magnae institutionis residet memoria, renovatio, et affectus.

Ecce, pauper, accedo ad divitem; reus ad misericordem; * ne recedam vacuus et contemptus.

Esuriens incipio, ne desinam de te jejunus; * famelicus accedo, ne impastus redeam.

Et si, antequam comedam suspiro; * da, ut, post suspiria, Panem comedam vitae, et aeternae laetitiae.

POSTCOMMUNIO

Pretiosum, et admirandum Convivium; * o salutiferum, omnique repletum dulcedine.

Benedictus Dominus Deus Israel; * quia visitavit, et fecit, redemptionem plebis suae.

Propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, misertus est nostri; * mortui peccatis, participationem adipiscimur Filii Dei.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperam;

In mortem a Discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit Discipulis.

Quibus, sub bina specie,
Carnem dedit et Sanguinem;
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium;
Convescens in edulium;
Se moriens in pretium,
Se regnans, dat in praemium!

In tuo flagello, * infedilitates vindica meas;

Indeque mihi, usque septuagies septies, omnia remitte peccata mea; * et spiritum in pace suscipe meum.

Jesu, Fili David, miserere mei; * ad te, die clamo, ut rebellem meam compelles voluntatem.

Voluntatem etiam fratrum, proximorum meorum, in carne constringe

et fraeno ; * ab illis procul arcens furentium catervas Daemonum.

Fiat nobis secundum verbum tuum; * et tua semper fiat voluntas, non nostra, in Coelo et in Terra.

— Omnes Sancti et Sanctae Dei, * intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. —

— Per arduas paupertatis, humilitatis et patientiae vias, beatum confessorem *Joannem* * *Crucis* vivificum exemplum ad coelestem sublimasti gloriam.

Fac nos etiam, ejus charitatis ardore, tibi semper sacrificium offerre et preces; * ut uberem passionis tuae fructum percipere mereamur.

— Ave Maria, gratia plena, adjuva nos, * quidquid coram Filio tuo Sancti possunt omnes, tu sola, sine illis abundantius potes.

- Sanctorum Regina, Poli quam Sidera cingunt; * vestis, quam Solis lumine clara tegit.

Vitae per dubios errantes respice calles; * per certam ut teneant regna beata viam. —

Decus Parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo,
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclyto,
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per Saecula.

CANTICUM XXIII.

FESTUM CLAVORUM ET LANCEAE D. N. JESU CHRISTI

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Jesus in assumpta infirmitate carnis, voluit clavos affigi pro mundi salute; * et Lancea vulnerari.

Et nos ejusdem Clavorum et Lanceа solomnia veneramur in Terris; * ut, de glorioso ejus victoriae triumpho, tandem gratulamur in Coelis.

Quaenam lingua tibi, o Lancea, debitas,
Grates, pro merito, est apta rependere?
Christi vivificum namque aperis latus,
Unde Ecclesia nascitur.

Haec est Heva viri de latere exiens,
Olli membra gravis dum sopor occupat
Hanc quippe, alter Adam cordi, scatentibus
Unda et Sanguine, procreantur!

O Clavi, aequa manet vos quoque gratia
Christi, quando sacris artubus insiti,
Deletum, Domini Sanguine, figitis
Mortis chirografum Cruci. —

— O bone Jesu, ad hoc apertum fuit latus tuum; * ut nobis vitae panderetur ostium.

Ad hoc unus militum, Lancea cor vulneravit tuum; * ut in aditum apertum ejus, ab exterioribus perturbationibus, inveniemus asylum.

Et patens remanet adhuc; * ut, per visibile amoris vulnus, nobis semper innotescat invisibile vulnus.

Sanguis exivit ex illo, et aqua; * nostrae Redemptionis pretium;

Hoc est Sacramenta ex corde manarunt illo; * sine quibus ad vitam non intratur Gratiae.

Sanguis in effusionem fusus est peccatorum; * et, salutaris aqua illa, lavacrum temperans, sanctissimum praestat potum.

Ita quidem, Salvator, Inferni reserant claustra, * mortis portas disrupit et seras; potentiamque pariter Diaboli subvertit.

Quis tam vulneratum non diliget? quis tam amantem, non amet?

Exurge, anima mea, et exulta os ad hoc apponens poculum; * fontem aquae vivae in vitam salientis aeternam hauries.

Mecum omnis fidelis anima, aquas istas de Salvatoris, latere hauriat in gaudio; * vitam attingat Gratiae, quae per Sacramenta confertur.

Comedamus Panem; bibamus vinum, augustissimum mysterium, * dulcissimum Convivium; cui, ministrantes assistunt Angeli.

Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur; * quo etiam propitiationis sacrificium offerimus pro vivis, et pro defunctis.

POSTCOMMUNIO

Salvator Mundi, per aeternum et sanctum Sacerdotium tuum, * parce nobis omnibus.

Filii Dei Patris, qui Lancea perfossus fuisti, * nos, per divinam Sacramentorum omnium institutionem, semper exaudi.

Et salva nos per cuncta sacratissimi Corporis tui vulnera; * quae pro nobis suscepisti.

Fili Mariae virginis, et frater noster, * libera nos semper ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione:

Et, etiam, a carnis concupiscentia, et oculorum extollentia: * a superbia vitae; et ab omni peccandi occasione.

Foderunt tibi pedes, manus et latus quid hujuscemodi plagis sanctius, ex quibus nostra processit salus.

Dulces Clavi, qui immaculato resperso fuistis Sanguine; * et molem tanti ponderis sustinêre meruisti;

Per vos divinae charitatis dulcedinem accepimus tantam; * ut manus nostrae a peccatorum; pedesque a laqueis liberati fuerim mortis,

O memoranda Lancea, * ipsius jam mortum vulnerando latus, pulcherrimas coelesti Regni nobis aperuisti januas.

Tu, transfigendo innoxium, culpas, sanguine et Aqua, abstersisti nostras;* et caecitatis nostrae sustulisti tenebras.

O felix Lancea, quae tot nobis offers bona; * et ad tanti triumphi gloriam meruisti superaddi!

O beatissimum ipsius sacri lateris ostium, unde divinae manavit pietatis fluvius; * et nos mundavit.

Cor meum durum adhuc et impenitens, amoris tui, Jesu, vinculo adstringe; * et jaculo vulnerans dignare Lanceae tuae.

Manum ad me, Domine, converte tuam; * scoream ad purum excoque meam; et omne stamnum aufer meum

Attende de Coelo, Domine, * et de habitaculo vide sanctae gloriae tuae miseriam meam.

Ubi est zelus tuus? fortitudo ubi adstat tua?

Multitudo viscerum tuorum, * et miserationum tuarum, numne se continentur?

— Noscamus, viri fratres, quia Jesus Christus, mitis nunc, humilis, et praestabilis super malitia hominum in patientia et longanimitate, * tandem manifestus apparebit Judex:

Non, ergo, semper silebit; * in conspectu ejus ignis exardescet; dum in conspectu ejus valida ingruet tempestas.

Coelum advocabit desuperet Terram, * quando, discernens et judicans populos, omnes nudabit iniquitates nostras.

Nec actus tantum? sed loquutiones etiam et intimas cogitationes.

Tot judicibus inopes adstabimus, * quot nos in oper praecesserunt bono

Tot confundemur arguentibus, * quot nobis bene vivendi praebuerunt exempla.

Tot convincemur testibus, quot nos proficuis monuerunt sermonibus; seque imitandos justis dederunt actionibus.

Et, cum jam in diro illo imaginamur nos versari discrimine, torquet, vel non, conscientia? cruciant, vel non, cordis arcana?

Vae nobis, quia habitavimus cum habitantibus Cedar; * non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens.

Et nisi miserando, praevenerit impios, * non erit nec inter nos inveniet, quem ipse glorificet pium!

Tinctam, ergo, Christis sanguine.
Convertite in me cuspidem,
Ferite Cor pedes, manus;
Poenam a nocente sumite.

At quaeso, culpis debitas,
Quas jure plagas figitis
Cruore divino illitae
Fiant medela Spiritus.

Sit gressus ad malum impotens,
Manus nocere desinant;
Omnisque corde e sancio
Profanus ardor exeat.

O Maria, Domina vulnerata mea,* cor tuum, mei Causa, etiam vulneratum fuit.

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Nunquam quiescam, donec tenerum non habuero amorem, * et compassionem erga meam matrem Mariam.

— Si nunc, viri fratres, accedere pertimescimus ad tremendam Dei majestatem, accurramus ad Mariam; * inveniemus stantem juxta Filii sui crucem.

Nolite timere, genus enim nostrum in illa adspicimus, * mater nostra et Dei Genitrix non merita discutit, sed omnibus exorabilem se praebet. —

— Te, Jesu, semper laudibus efferant,
Qui clavorum aditus, signaque Lanceae
In Coelo retines, vivus et imperas,
Cum Patre atque Paraclyto.

CANTICUM XXIV.

FESTUM S. THOMAE AQUINATIS, CONFESSOR. ET ECCLESIAE DOCTOR.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

Spes nostra Christe Deus; increata Sapientia, hominum tu dulcis amator, et incarnata Deitas.

Lux, via, et vita; * Lumen, salus, decor, et decus omne tuorum. — Quales sanctae Ecclesiae Doctores, ante Spiritus Sancti adventum, cujus facti sint fortitudinis jam conspicimus.

Inter quos, merito, Divus adnumeratur Thomas; * qui, ante thronum majestatis tuae, pro nobis hodie praecator accedit;

Ut augmentum Sapientiae nobis impetret, * et Scientiae.

Iste Magister, inclyti Praedicatorum ordinis, omnia perfecit, * quae tu, Domine Jesu, thesaurus Sapientiae Dei et Scientiae, locutus es ei,

Qui etiam, nostrae sapientissimae Matris eloquio edoctus fuit; * et praesentia jucundatus

Et, elevatus de terra, illam, ex Crucifixi imagine, responsionem accepit, * « bene de me scripsisti Thoma ».

Revera bene de te scripsit egregius Doctor; * quia Verbo tuo, Domine Jesu, Coeli firmati sunt; et, Spiritu oris tui omnis virtus eorum.

De excelso Sapientiae tuae fonte copiam infudisti ei, * tanquam flumen clarae scientiae.

Qui, susceptum, haud passus est in se sterilem remaner Gratiam; * sed summa doctrinae suae peritia scilicet fluento putei scientiae suae diu totam rigat Ecclesiam tuam.

Exultet mentis jubilo.
Laudans turba fidelium,
Errorem pulso nubile,
Per novi Solis radium.

Thomas in Mundi vespere
Fudit thesauros Gratiae,
Donis plenus ex aethere
Morum et Sapientiae.

De cujus fonte luminis
Verbi coruscant faculae
Scripturae Sacrae Numinis
Et veritatis Regula.

Fulgens doctrinae radiis
Clarus vita Munditia,
Splendens miris prodigiis.
Dat toti Mundo gaudia.

Scandit, Doctor; civis coelestium; orbis decor; dux lux Fidelium; * nor-

ma, limes; lex morum omnium; et vas virtútum.

Beatus, et nimium felix, * qui indesinenter verum meritum amat lumen;

Et Sapientissimo auctori suo, * in omni mentis dubio semper inhaeret.

Ipsa pietas est Sapientia homo sanctus manet in Sapientia: * et Sapientiae praemium est beatitudo.

— O bone Jesu, tu es Deus noster vivus et verus: * noster pius Dominus;

Tu noster Pater sanctus; * et noster Pater bonus,

Tu Magister, Lux, lumen, et praeclara Sapientia nostra; * adjutor tu optimus, pulcherrimus et dilectus;

Panis noster vivus, et Sacerdos in aeternum; * nostra justificatio, via nostra recta, et tuta custodia.

Tu magna misericordia nostra, * redemptio nostra, et immaculata victima;

Tibi in Coelo data est potestas omnis et in Terra; * omnia sub pedibus subjecta sunt tuis.

Vidimus Gloriam tuam; * Gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenam Gratiae et Veritatis

O splendor Gloriae, et figura substantiae Patris; omnia Verbo Virtutis portans tuae.

Purgationem peccatorum faciens; * sedensque ad dexteram majestatis in excelsis;

Tanto melior Angelis effectus; * quanto differentius prae illis haereditasti nomen;

Tu, per beati Thomae intercessionem, * qui de te tam bene scripsit, Fidem nobis adauge;

Cognitionem etiam, reverentiam ac devotionem admirabilis Eucharistiae Sacramenti, * accumula conserva nobis, et amplifica.

O salutaris Hostia:
Quae Coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

POSTCOMMUNIO

Jesu, splendor aeternae gloriae, qui sedes super Cherubim; * intueris abyssos: et veridicum diffundis lumen.

Ecce cor nostrum coram te est, tenebras discute nostras, * et, amore charitatis tuae, plenius corda perfunde nostra.

Nos tui egemus, non tu nostri, * et si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonum quod tu es.

Male nobis est sine te, Domine; * non solum extra nos, sed intra nos ipsos.

Ideo nobis adhaerere tibi necesse est; * ut, per continuum auxilium tuum, sancte, pie, et recte vivere valeamus.

Da nobis, Deus noster, te; redde te nobis; * in nomini confitemur tuo.

En amamus te; * et si parum est, tua validius amabimus Gratia.

Et quia pondere fragilitatis nostrae perpetim deorsum trahimur, * dono, ergo, amoris tui sursum nos attrahe.

Tu qui conspicis omni nos virtute destitui, interius, exteriusque custodi; * et nos in Salvatore visita tuo.

Collaudamus te, Christe Rex Gloriae, * qui, per Thomam, lumen Ecclesiae tuae, mundum doctrina reples.

Hic speciali Gratia; lustrato mentis oculo, * celsa novit mysteria, tuo doctus Oraculo;

Ex pudicitia nitens, * vixit absque piaculo.

Typum gessit Luciferi,
Splendens in coetu nubium;
Plusquam Doctores caeteri;
Purgans dogma Gentilium.

Profunda scrutans fluminum,
In luce pandit abdita;
Dum supra sensus hominum
Obscura facit cognita.

Fit Paradisi fluvius
Quatripartite pervius;
Fit Gedeonis gladius,
Tuba, Lagena, radius.

Militantis Ecclesiae Doctor, virginali

florens munditia, * triumphantis optata Curiae, sancte Thoma, impetra gaudia.

O laus, o gloria Praedicatorum ordinis; * nos transfer ad Coelestia, Professor sacri Numinis.

Feramus, viri Fratres, sursum ad pacem Hierusalem in domum Domini.

Regnum ejus non est esca nec potus; * sed justitia, pax, gaudium in Spiritu sancto.

Illic Christi charitas; * et, clementissimae matris ejus Mariae, intercessio, in aeternum statuent nos laeti permansuros.

Multifariam, multisque modis, notas nobis vitae facit vias; * adimplebit nos gaudio cum vultu suo; delectationes in dextera sua usque in finem.

Dono quidem charitatis ejus et Mariae, * adhuc beatus in fratribus suis inardescit Thomas.

Ascensiones in cordibus disponit eorum; * ita Canticum canunt graduum.

Salvete o pacis tutissima limina; * salve Coelestis laetus sorte beata Thomas.

Vosque omnes, triumphata Coelum qui morte tenetis; * aeternas pandit Rex quibus altas opes;

Tuque, quae cunctos radianti lumine vincis, * Regina, et virgo, Filia, Sponsa, Parens;

Tu cursus, certasque vias, metamque tenendam, ostende; * et Coeli tolle benigna facem.

Laus sit Patri, ac Genito,
Simulque sancto flamini,
Qui sancti Thomae merito
Nos Coeli jungat agmini. Amen.

CANTICUM XXV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc.

Tribulationes cordis nostri dilatatae sunt; * de necessitatibus erue nos Domine.

Tui sunt Coeli, tuaque est Terra; * plenitudinem Orbis terrae tu fundasti, Aquilonem et Mare ad meridiem.

Pater noster es tu, Deus noster, * et salutis nostrae susceptor;

Nihil inimicus proficiat in nobis; * et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Firmetur manus tua, et dextera exaltetur tua contra inimicos nostros; * et sentiant, quod Justitia et Judicium sunt sedis tuae fulcrum.

Quod Misericordia et Veritas, in omnibus viis tuis, faciem praecedunt tuam; * et tibi cura est et protectio de omnibus.

Memorare quae sit substantia nostra; * numquid ad vitae infelicitatem constituisti nos?

Cito, tot aerumnis fatigati, videbimus mortem, * indeque memor eris opprobrii servorum tuorum, et nos de manu liberabis Inferni.

Benedictus es tu in aeternum; * et a te misericordiam expectamus.

Quam speramus, sicut Patribus jurasti nostris; * in virtute Potentiae et bonitatis tuae.

Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum ejus; * et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor ullus.

Non esurient, neque amplius sitient; * sol neque aestus super illos cadet ullus.

Electos tuos, tanquam aurum, Domine, probasti in fornace; * et quasi hostiam olocausti accipis eos.

Proinde, velut Aquilae, juventutem Sanctorum renovas; * florent sicut Lilia in domibus eburneis tuis.

Qui in te confidunt repromissiones intelligunt istas, * fideles in dilectione supersperant, et mandatis aequiescunt tuis.

Respectus illorum est in tempore; * quoniam jam priora transierunt; donum et pax summa est electis tuis.

Tibi soli cognitus est istorum numerus in superna felicitate locandus; *

nos et adscribe etiam in beatae praedestinationis libro;

Nostra adscribe, et universorum nomina, quos in orationibus commendandos suscepimus nostris; * et adscripta, in tua retine charitate.

O felicissima vita, regnum vere beatum, * carens morte, vacans fine.

Cui nulla per aevum succedunt tempora; * et ubi, continuus, sine nocte dies, nescit habere tempus;

Ubi, victor miles, * hymnidicis sociatus Angelorum choris;

Et, sine cessatione, Canticum; de dulcibus Canticis Sion, Deo cantat nostro; * nobile perpetua caput amplectente Corona.

Utinam nobis concessa peccatoribus venia, * mox hanc deponamus carnis sarcinam;

Ut in tua, Domine, ingredientes gaudia, * vultum praesentem aspiciamus tuum;

Et summum, ineffabile, et incircumscriptum lumen; * quo perfusi te incorruptionis perpetuae laetamur munere.

Nunc, interim, nomini tuo, nostra, Domine, jeiunia dicata, sanctifica * ut sinceris facias ad sancta ventura mentibus pervenire.

Hoc sacrificium, et haec nostra Communio, ab omni purget crimine; * et coelestis, Domine, faciat remedii esse consortes.

POST COMMUNIO

Haec, quam ego indignus, sumpsi Corporis et Sanguinis tui sancta praelibatio, peccatorum meorum sit remissio; * et delictorum perpetua purgatio.

Sit turpium cogitationum effugatio: * ac bonorum sensuum regeneratio.

In amore sit ferventi, operum tibi placentium salubris efficacia; * qua, charismatum abundantia mens impinguatur.

Denique, animae et corporis, contra inimicos meos, firmissima sit tuitio; * et pignus futurae Gloriae.

Ave Maria, nobis in aeternum benedicens * quia benedicta es propter benedictum Jesus ventris tui fructum;

Ave Maria, duo tua ubera, sicut duo hinnuli Capreae; * laevissima Angelicae salutationis compressione, lac misericordiae fundunt et veniae.

Consurgens virgo florida,
Ex Israel prophetice,
Promissa virgo nitida
Diceris virga mistice,
Egrediens de radice
Jesse, potens et valida
Florem profers mirifice,
Virgo, materque gravida.
Tu es virgo, tu es stella
Tu es Gratiae fluvius;
Deitatis munda cella
Genitrix, cuius Filius
Flos dicitur, et radius
Charitatis fundens mella
Coelo cunctis superius,
Mundum servans a procella.

Ave Maria, oculi tui pulchriores sunt vino; dentes tui, lacte candidiores; * caput autem tuum, optimum.

Collum tuum sicut turris eburnea; * statura tua assimilata est Palmae, * et pulchri sunt gressus tui in calceamentis

Tota pulchra es mater mea, * atque decora.

Salve, divina hominum reconciliatrix; * et, officium tibi maternitatis commissum, quaerit ut nobis succurras miseris.

Benedic, nunc, anima mea Domino, in saeculum saeculi; * benedic miserationibus eius.

Praepara tu, Domine, orationem meam; * ne sim homo qui tentat te.

Cor meum, a terrenis ad coelestia; * ab exterioribus ad interioribus, a me ad te erige ipsum.

Recordare, quod tu negligentibus maledices orantibus; * ideo os, ad nomini benedicendum tuo, aperi meum.

Orabo ad te Spiritu, orabo et mente; * psalmam spiritu, psallam et mente, hymnumque dicam.

» Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domi-

nus Deus Sabaoth, * pleni sunt Coeli et Terra gloria tua.

Angelorum agmina tibi *hosanna*, clamant, in excelsis; * *hosanna* tibi nos repetimus in Terris.

Venite, viri fratres, exultemus Domino; * gentes et populi iubilemus Deo salutari nostro.

Ipse Rex Regum, * et dominus dominantium.

Peccata ipse remittit, et iustificat; * ipse Gratiam largitur, et salutem, et gloriam.

Benedicite omnia opera Domini Domino; * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento Coeli,*laudabilis et metuendus nimis.

Nos Deus benedicat Pater; Redemptor Deus nos benedicat Filius; * benedicat nos et Deus Spiritus sanctus sanctificator;

Omnipotentia Dei Patris, qui nos creavit, * Benedicat nos;

Sapientia Dei Filii, qui nos redemit,* benedicat nos.

Et nos virtus sancti, benedicat Spiritus, * quia nos sanctificavit.

Benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus; * et, in tribus personis, Deum adorent unum; et omnes metuant fines terrae. —

Te prona Mundi machina
Clemens adoret Trinitas
Et nos novi, per Gratiam
Novum canamus canticum. Amen.

CANTICUM XXVI.

P. S. GREGORII PAPAE CONF. ET ECCLESIAE DOCTOR.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Pavete ad sanctuarium meum; locus iste, dicit Dominus, terribilis est; * domus est mea, et Coeli porta.

Nil in situ, in motu, in incessu, in voce appareat in nobis, * nisi modestia, gravitate, humilitate, dignitate et Religione plenum.

Sunt tamen nefandi homines quidam; qui, per frontis audaciam, et oculorum levitatem, * impie agunt in Templo Domini;

Et quidam alii, qui, per gressuum arrogontiam, et linguae procacitatem,* Sanctuarium despiciunt, mensamque Eucharisticam!

Quousque tandem inhonorabilis Dominum, * et plebem scandalizabitis suam?

Utique super vos ostinati, maledictiones venient Nabad et Abin; * ignis de Tabernaculo egredietur et devorabit vos coram Domino

Sed, ne irascaris, quaeso Domine; nec in furore sic eos corripias tuo.

Potius, voce tonitruum, intona de Coelo, * « quid me persequimini? »

Et, magno perculsi timore, praevaricatores isti sacrilegi, * tandem redibunt ad cor,

Diligant ita decorem domus tuae; * et locum habitationis Gloriae tuae.

Altare diligant tuum; * thalamum sponsi animarum nostrarum;

Et aram concupiscant, * in qua innocens; quotidie, pro nobis immolatur Agnus. —

— In charitate tua ad nos descendisti, * ut in medio habitares nostri, et nobiscum conviveres.

Ut nobis auxilium et medelam, * omnia bona tua liberalissime dispensares.

Sed, proh! pudor! * in domibus et in villis undique nitor observatur et ornatus,

In mensa saeculariorum et ecclesiasticorum munditia, ut plurimum, et apparatus; * et in indumentis sumptuositas,

E, contra, in aliquibus Templis tuis,* te mendicum derelinquunt ex paupercm.

Si, non gloriam et divitias, * munditiam saltem et nitorem, pro debito, retribuere oporteret.

Ita facientium, domos iustitia re-

plebis, Domine, * et abundantiam ad terminum vitae usque.

Et Gratia descendet tua sicut pluvia in pratum detonsum; * et, sicut nubium stillicidia, stillantia super terram infoecundam.

E contra, imago prosperitatis, cultum negligentium tuum, evanescet, * velut somnium surgentium;

Et eorum felicitas, * ad nihilum redacta erit, et in desolationem. —

— Diligam te, Domine, ex toto corde meo, * et, quia diligere te cupio, zelus domus tuae comedat me. —

Sapiens, viri Fratres, tradit cor suum ad vigilandum diluculo ante Dominum; * cor suum in oratione aperit; et pro delictis deprecatur suis;

Sapientia iustum deducit per vias rectas; * et ostendit illi regnum pacis;

Honestat illum in laboribus; * et labores complet illius.

Quaerite, igitur, Dominum in simplicitate cordis; * quoniam invenietur ab iis qui non tentant illum.

Et apparuit eis, * qui fidem habent in eum. —

Intercedat pro nobis, apud te beatus Gregorius Pontifex maximus; * et Ecclesiae tuae Doctor eximius

Et, propitius concede, ut qui commemorationem percolimus eius, * vitae quoque imitemur exempla. —

— Ad Sancta Sanctorum in timore tuo; ad Arcam Testamenti tui; * ad opiparam nos admitte Eucharisticam Mensam.

Oro te, Sanctorum Rex, et Redemptor meus, * fac me viam tuorum currere mandatorum;

Valeam tibi Spiritu uniri, * qui mea non horruisti carne vestiri. —

— Beati, vereque beati, quos elegisti, * et in tuam assumpsisti haereditatem;

Isti, cum Sancti tui, Domine, florebunt ante te, * sicut agri pleni fragrantibus floribus;

Replebuntur enim ab ubertate domus tuae in die desponsationis suae; * dum largo potiuntur proemio.

Et, torrente voluptatis tuae potabis eos; * quoniam tu es fons vitae; et in lumine tuo videbunt lumen.

Lumen illuminatum, per te Deum illuminantem; * et, sicuti sol, fulgebunt in conspectu tuo semper.

Hanc petimus a te, Domine, et hanc requirimus mansionem; * sitientes, et, sicut Cervi anhelantes ad aquarum fontes.

Anima moriatur mea morte iustorum, * ut tandem requiescam in te.

Et tu, mitissime Conditor, dilectae Sobolis humanitatem respice; * et miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

Numquid, pie Pater, non attendis adolescentis Filii carissimi caput, * nivea cervice deflexa, pretiosam resolutum in mortem? —

— Meritis sociati, et precibus beati Pontificis, te adoramus, * nomenque in aeternum cantabimus tuum.

Huius orata, Deus alme, nobis
Debitas poenas scelerum remitte;
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

POST COMMUNIO

Iuvenit cor meum, ut Deum orem meum, * cor Regis mei, fratris, et benigni amici Iesu. —

Benedictus Dominus Israel, * qui fecit mirabilia magna solus;

Et nomen Maiestatis eius, * sit in saeculum benedictum.

In sacrarium exauditionis tuae, preces admitte meas; * imo me totum trahe in cor tuum.

Fac, Domine, nil per ostentationem fingam, * dicam, vel scribam.

Sensum animi mei verbis fratribus aperiam meis; * vera ut sunt, diligant; et falsa, devitent.

Bona gratis exhibeant, * libenter mala tolerent,

Nullam iniuriae ultionem quaerant,* et contumeliam lucrum putent. —

— Interim dispone, Domine, ut non me rerum abundantia inflet, * nec dignitatum gloriam, honorabilem ostendant.

Nec ulla vestium pretiosarum pompa, * me humanis superbire faciat oculis,

Honorem metuam, * despici non effugiam

Corpus continentia afficiam; * et thesauro dilectionis tuae solo pinguescam.

Erectus pro Justitia, * afflictis ex corde compatiar;

Et de bonorum virorum prosperitate, * quasi de propria exultem.

Sacri verbi pabulo mens nutriatur mea; * et, Sapientiam meditans, cor exardescat meum.

Haec est Justorum summao Sapientiae, * et scientiae acquisitio:

Haec fuit et erit: * sed ab huius stultitia mundi insipienter deridetur.

Justorum simplicitas, et virtutum integritas; * a falsis Sapientibus *fatuitas* definitur.

Nihilosecius, ego, pro te, Domine, amem et cupiam delirus inersque videri. —

— Ædifica nos, beata virgo Maria, Gratia et Virtute tua; * ut, firmi et sapientes, Deo in perpetuum adhaereamus nostro.

Benedictum sit eloquium tuum; * et omnia verba, benedicta sint oris tui.

Tene, domina Maria, manum dexteram meam; * et in bona voluntate tua totum me sustine

Salutis meae Mater, et spes mea, salve, * bonorum omnium salve emporeum;

Neminem tu aspernaris; nulli te negas; * omnibus pietatis sinum apertum tenes.

Et, dum neminem a te tristem redire sinis, * nec etiam me pauperculum sines tuum. —

— Patri potestas
Filioque Gloria,
Perpetuum decus,
Sit tibi alme Spiritus. Amen.

CANTICUM XXVII.

FESTUM QUINQUE PLAGARUM D. N. JESU CHRISTI. — (IN ORDINARIO LEGITUR QUINQUE CLAVORUM.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? * iste formosus in stola sua, gaudens in multitudine fortitudinis suae.

Quare, ergo, rubrum est indumentum eius? * et vestimenta sicut calcantium in torculari?

Ipse est caput corporis Ecclesiae; * in omnibus Primatum tenens;

Pacificans, per sanguinem suum, * omnia quae in Coelis sunt et in Terra.

Sic cognoscimus, Domine, sanguineam passionis tuae rosam; * rubet in indicium ardentis charitatis tuae.

Passio contendunt et Charitas; * illa ut plus ardeat; ut plus rubeat ista!

Respice, Pater sancte, sanctum puerum tuum, dominum Jesum; * et placabilis esto super multitudinem malitiae nostrae

Cognosce, Pater, Filii tui Joseph tunicam; * heu! fera devoravit eum pessima.

In furore suo, vestimentum conculcavit eius; * et quinque lamentabiles, in eius corpore reliquit scissuras!

Hasta, Regem gloriae cruentavit Christum; * dum crucis in arbore, Dominus regnabat.

Exaltatum crucis lignum, dum Christus tuus occubuit affixus et lanceatus; * ut a mucrone nos maligni nos liberaret hostis.

Vibrans miles acutissimam Lanceam; * Templum sanctum aperuit Gloriae tuae Dei;

In quo plenitudo habitat Gratiarum;* et nos securitatem invenimus.

Accedamus viri fratres; gloriosa videbimus clavorum loca; * et latus eius, tuum nostrum, lancea perforatum.

Vere dolores ipse tulit nostros; * et languores portavit ipse nostros

Hanc tremendam adoremus Lanceam aculeatosque Clavos;* et in eorum semper iubilemus laudibus.

Surge, surge Ecclesia; Sponso redde munia; * Hasta nitet Margaritis nimis coruscantibus.

Mucro gemmis infinitis, * Sanguine vernantibus;

Jesu nostra spes suavis ab uberibus;* Jesus, pro nobis fossus Clavis, in palmis atque pedibus;

Tu Christe, nostrum gaudium, de lanceato latere, * da oris mellicidium, ardenti corde suggere. —

—Et tu, o Maria, sedens in excelsis ad Altissimi dexteram, * memento mei.

Filius tuus sum; * et quem suo Jesu redemit Sanguine,

Seu mihi laeta dies, seu casibus excipit asperis, * praesidium sentiam mater utrinque tuum.

Ave dulcis Mater Christi
Quae de cruce mortuum,
Ulnis natum suscepisti,
Manans unda fletuum;

Eia praestet vis doloris
Mater plena Gratiae.
Ut supremis server horis
Gremio clementiae.

POSTCOMMUNIO

Dominus Jesus auctor est Sacramentorum, * vincenti dat Manna absconditum, et novum nomen.

Non sunt humanae virtutis opera haec; * quae nobis proponuntur.

Qui tunc ipsam magnam fecit coenam; * idem et nunc nobiscum facit.

Ponit fines nostros pacem; * et adipe frumenti satiat nos.

Lauda Sion Salvatorem
Lauda Ducem et Pastorem
In hymnis et Canticis.

— Me miserum! quomodo sic insensata facta est anima mea, ut nimio non efficiar terrore dum sto ante Deum? * et meas illi canit laudes?

Et quomodo sic cor est induratum meum, ut oculi indesinenter non producant flumina lacrymarum, dum ipsum, in ara crucis, video pro me pendentem?

Aspice, infami, Deus ipse, ligno
Pendet, effuso madidus cruore.
Aspice, immiti manus alma Clavo
Finditur alto!

Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium Latrones
Cerne! crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.

Pallet, heu! vultus; caput ecce lassum
Flectitur; clausis oculis, Redemptor
Spiritum sacro, meritis onustum
Fundit ab ore.

O cor, aes durum superas, gemendo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stipiti affixit; tua culpa morti
Subdidit atrae.

— Confige, quaeso Domine, timore tuo carnes meas; * in timore et tremore cor laetabitur meum, nomenque timebit tuum.

Angeli, mira exultatione repleti, * te adorantes tremunt et laudantes.

Ego, peccator, dum tibi assisto, laudes concino; * et *Communionem* offero.

Cur non paveo corde, et vultu pallesco? et cur non obortis lugeo lacrymis?

Effice, igitur, ut indignationem pertimescam tuam, quasi tumentes super me fluctus; * universa salus mea misericordia magna tua est.

Et quia, in assumptae nostrae carnis infirmitate, Clavis affigi, et Lancea vulnerari voluisti, * tua fac miseratione, quinque in Coelis merear vulnera adorare tua. —

— Sit Deo aeternum decus omne in aevum
Qui pius nostri generis Redemptor,
Criminis labem, miseris nocentem
Sanguine tersit.

CANTICUM XXVIII.

DOMINICA III. QUADRAGESIMAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra , pag. 1.)

Initio tu, Domine , Terram fundasti,; * veterascit sicut vestimentum et perit; tu autem in aeternum permanes

Tu idem ipse es, * et anni tui non deficient,

Dies mei, sicut sumus, transierunt;* et, sicut virgultum semiustum, ossa exaruerunt mea.

Repleta est in malis anima mea; * oculi languent mei prae solaminis inopia.

Vide, Domine, quod afflictus sum ego; * et in laboribus usque a iuventute mea.

Ut quid orationem repellis meam, * et faciem a me avertis tuam?

Si nec adhuc, in conspectu tuo, haec constans intret oratio mea, * numquid Justitiam laudabo tuam in terra oblivionis?

Sitivit anima mea ad te fontem vivum; * quando veniam, et ante faciem apparebo tuam?

Quando, de terra, deserta, invia, et inaquosa aquas dulcedinis hauriam tuae? * ut Virtutem videam et Gloriam tuam.

Sitio ad te Deum vivum vitae fontem; * sitio illam iucunditatis videre diem et laetitiae.

Diem, quem tu fecisti, * ut laetemur et exultemus in ea.

Christe, spes humani generis, * cuius lumen a longe, oculos, quasi stellae radius illustrat meos.

Christe, refugium meum, dextera tua, navem clavo crucis tuae guberna meam, * ne me tempestas demergat aquarum

Ab hoc me retrahe pelago, ne me absorbeat profundum;

Ego, vix lacrymantibus oculis, * te me video in littore Coelestis Patriae peramanter expectantem.

Unam a te petii, hanc nunc requiro, ut in domo inhabitem tua, * cunctis vitae meae diebus.

Sed, Domine Jesu, sistere non sum dignus in conspectu tuo; * et in propatulo sanctuarii Gloriae tuae,

Vere non sum dignus; * sed tu unum dic verbum tantum, ut me in miseratione excipias tua.

Proinde tibi vivam, * tibique in aeterna pacis moriar fruitione,

Scio, Domine, et iterum fateor; quod dignus non sum quem tu diligas; * sed certe indignus tu non es quem ego summopere diligam,

Indignus sum quidem servire tibi; * sed tu indignus non es servitio creaturae tuae

Ergo mihi, Domine, dono unde tu dignus es; * et ego dignus ero, unde indignus sum.

Fac, quomodo vis, vel per flagellia, vel per pietatem, tua Gratia, me a peccatis cessare; * ut, quomodo debeo, tibi servire possim et amare.

Sic mihi custodire concede, regere, et meam finire vitam; * ut, in fine, me somnus cum requie excipiat;

Requies cum securitate; * et securitas in aeternitate,

Panem accipiam coelestem, nobis datum; nobis ex intacta natum virgine; * et tuam sanctam in saecula exaltabo benignitatem;

Viaticum est viatorum; fortitudo in te morientium; * et pignus futurae gloriae.

POST COMMUNIO

Sacris, Domine, expiatum mysteriis, ab omni me custodi iniquitate; * et tua, cor meum, sancta charitate,

Iesu, Sacerdos et Sacrificium; coelestis dulcedo in proprio fonte gustata, * miserere mei;

Per hanc *Communionem*; * mihi redemptionis superveniat effectus.

—

Quae ab humanis me retrahat excessibus, * et ad salutaria perducat dona.

Jesu Nazarene, fons misericordiae * audi quid ad te mendicus clamat et infirmus tuus,

Lux, quae transis, expecta coecum;* et manum ei praebe ad opitulandum

Veniat ad te; * et in Lumine Lumen videat tuum.

Miser ego homo, natus de muliere; * et brevi vivens tempore;

Repletus aerumnis etiam infinitis; * quando vel quo modo obliquitas ista poterit tuae conformari beatitudini?

Tu bonus, pius, sanctus, iustus; * lux, medicina, vita, veritas, et gaudium

Malus ego, et impius; * miser, aeger et iniustus,

Tenebrae et error; * vas foetidum, tristitia et universa immunditia!

Quid sum ego, * qui tecum in Canticis meis loqui audeo?

Homo vanitati similis factus; insipientibus comparatus jumentis; * cadaver putridum, vermium cibus, et esca flammarum!

Quid plura dicam, Domine, * ad tuam excitandam miserationem?

Vitae dator, vitae sator, * vitam, ergo, mihi concede, qua possim linquere terrena, et coelestia adipiscere.

Audi Creator, creatura sum tua, * iam pereo.

Plasma sum tuum, iam morior; * et ad nihilum redigor;

Manus tuae fecerunt me, * manus illae inquam, quae affixae Clavis sunt pro me in cruce.

Quomodo opus manuum despicies tuarum, * vulnera aspiciens, quae in corpore pro me recepisti tuo?

Ista tuum in me testantur amorem; * ista mihi ideo ad miserationem prosint.

Clamabo, et semper clamabo antequam transeam; * ne forte, transiendo, in te non remaneam.

Dicam, ergo, ante te ad nauseam usque, miseriam meam, * imo vilitatem meam; ut tibi placeam coram hominibus confitebor etiam, et non erubescam.

Adiuvet fortitudo tua debilitatem meam, * per quam sublever.

Tua succurret virtus, per quam sustenter, * et lux veniat, per quam videam. —

— Luminare maius es tu Christe, qui praeces justis, * luminare minus est Maria, quae peccatoribus praesto adest.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; * tu, o Maria civitas es refugii omnium fugientium a captoribus.

O quae demisse tibi, virgo, modestia sensus; * Æternoque Patri, quae placuisse dedit.

Illa domet nostra tumidos in pectore fastus; * vitaeque edoceat sola latentis opes.

Convenite, viri fratres, celeriter, ut munitam istam ingrediamur civitatem, et sileamus; * ipsa pro nobis deprecatur et impetrat. —

— Te summa o Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam.
Annorum in seriem canant.

CANTICUM XXIX.

FESTUM S. GABRIELIS ARCHANGELI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

Domine Deus, trinus et unus, qui semper es, et in omnibus; * Deus benedictus in saecula.

Qui praecipis soli, et sol non oritur; * qui, sub signaculo stellas, claudis, et obscurantur.

Omnipotens manus tua creavit in Coelo Angelos, et in Terra homines; * non superior in illis, non inferior in istis.

Sicut nulla alia manus Coelum, * ita nulla creare potest Angelos, homines, terrae vermiculos, vel herbiculam;

Nec tibi, Deus, possibilius est capi-

tis creare capillum, aut arboris solium,* quam Angelum,

Nec impossibilius Terram super aquas fundare, * quam aquas subter Terram.

Aut iterum Coelos extendere velut paludamentum; * et alia certa firmare lege.

Omnia quaecumque voluisti, fecisti;* et sicut voluisti et fecisti.

Et, me, hominem creasti, * potius quam Avem, Serpentem, vel belluam.

Non quia mea praecesserunt merita : * sed tantum in bonitate tua.

Hymnum nunc tibi cum Angelis, * in confessione praecinam laudis,

Quia ubique tuae Sapientiae signa praebes, * Potentiae, Providentiae, et Bonitatis. —

— O tres aequales et coaeterne Personae, * Pater, Filius, et Spiritus sanctus.

Deus unus et verus; * qui solus aeternam et inaccessibilem habitas lucem.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui Terram in Sapientia fundasti tua; * et Terrae orbem in prudentia regis tua.

Terribilis et fortis; iustus et misericors; * admirabilis et laudabilis, nimisque amabilis.

Unus Deus, tres Personae; * una Potentia, Sapientia, et Bonitas;

Una essentia, * et indivisa Trinitas;

Quis Domini magnificentias loquetur et virtutes? * qui omnes auditas faciet laudes eius?

Ante te est omne desiderium meum; * et gemitus meus a te non est absconditus.

Aperi, mihi clamanti, Justitiae portas; * ut ingrediens in eas, nomini tuo digne confitear.

Domine Deus meus, si oblitus tui fui in juventute mea; tu, misericors et iustus, senectam non despicias meam.

Gratias tibi ago, Domine Deus meus, a quo bona procedunt cuncta, * et, qui me tanto redemisti pretio, tantoque salvasti dono;

Et, qui me tantis adiuvisti * temporalibus etiam beneficiis;

Domino metuende, amande, honorande, * benedicende et glorificande ;

Propter te, Domine, et propter nomen sanctum tuum, * fac me cunctis vitae meae momentis in veritate tibi placeam.

Omne enim perfectum donum de sursum est; * descendens a Patre luminum

Apud quem non est transmutatio; * nec vicissitudinibus obumbratio. —

— Deus omnium institutor rerum; piae et incircumscriptae naturae, * dulcissimum Filium tuum de sinu misisti tuo ad publicum profectum.

Nostram suscipiens vitam; * ut nobis donares suam.

Perfectus Deus ex te Patre; et perfectus homo ex matre Maria a Gabriele Archangelo Annuntiata.

Verus Deus, et verus homo; * aeternus et temporalis; creator et creatus

Temporaliter mortuus, et tecum in aeternum semper vivens; * unus, idemque Christus Salvator noster.

Magni Consilii Angelus, in sinu Patris a Dominationibus adoratus; * et in Praesepe a Regibus.

Gabrielem veneremur
Summi Regis nuncium,
Per quem Deus delegavit
Suum ministerium,
Mundo lapso nunciando
Jesum Dei Filium.

Gabriel, *virtus divina*,
Debiles fortifica,
Ut vincamus inimicum
Ipse nos corrobora;
Et ut culpae remittantur
Ipse nobis impetra.

Angelum in Mundo missum
Ad Mariae thalamum,
Te solum Deus elegit
Suum secretarium;
Nostras preces praesenta
Ante Coeli Dominum. —

— Domina Maria, meditatio tua iu-

bilare facit omnia ossa mea, * et iuvenescere, ut Aquilae, in cultu filii tui, annos meos.

Archangelo nuntiante, incarnationem Dei nostri in utero cognovimus tuo,* te intercedente incarnationis consequamur beneficia.

Sumens illud *Ave*
Gabrielis ore
Funda nos in pace
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis
Profer lumen coecis
Mala nostra pelle
Bona cuncta posce.

Et inter haec maxima *bona*, * intercedere digneris ut digne ac devote ad mensam nunc accedamus Eucharisticam.

POST COMMUNIO

Quis Pastor, propriis, oves, pascit carnibus? * et proprio potat sanguine?

Jesus solus est, qui, non tantum nos pascit, sed nos coagmentat sibi.

Hoc nos pascimur Pane, huic nos unimur Sanguini, * unum facti sumus Christi corpus, unaque caro. —

Tu, Domine, omnes glorificas glorificantes te, * et, qui te contemnunt, ad ignobilitatem redigis et miseriam.

Qui sitit ad te veniat; * et, qui vult aquam vitae accipiat gratis.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia;
Sed super mel et omnia,
Eius dulcis praesentia.

Nil auditur iucundius,
Nil canitur suavius
Nil cogitatur dulcius
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes poenitentibus
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere
Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula. —

— Emitte, Domine, Agnum dominatorem Terrae; * de petra Deserti ad Filiae Sion montem pinguem, in gaudium suae aeternae pacis.

Flammas in nos extinguat litium; * et noxium auferat calorem; * salutem conferat corporum; veramque pacem cordium. —

— Tenebrarum, viri Fratres, abjiciamus opera; * et arma induamur salutis.

Omne purgemus peccatum, * ut honeste in die ambulemus.

Epergiscamur in finem; * iam, contra nos senescentes, altis cadunt de montibus umbrae. —

— Adiuva nos o Maria; * ut tandem stultitiae erubescamur nostrae.

Implevit domum Domini
Superni regis gloria
Suo sacratam nomini
Salamonis industria;

Dum te, superna Gratia,
Gabrielis affamine
Parentem, virgo Maria
Replet dicatam Numini. —

Notat hic Dei filium
Salomon Rex pacificus
Qui fecit thronum regium,
Ut hic artifex coelicus
Et nuntius Angelicus
Praepararet hospitium,
Nostrae salutis mysticum
Verum deferens gaudium.

Tu, o Maria, hunc nostrum discute veternosum somnum; * et tu tetrae huius mortis vincula disrumpe,

Qui in Domino sperant; * et qui te Dominum invocant, fortitudinem immutabunt.

* Assument pennas, sicut Aquilae, * current et non laborabunt; * ambulabunt et non deficient.

Quasi lux splendens, iustorum procedit semita; * et usque ad perfectum crescit meridiem

Deus est, qui operatur in nobis; * dat velle et posse, et pro bona efficere voluntate.

Spiritus sancti gratia infirmitatem adiuvat nostram; * nam, quid oremus, nescimus.

* Et ipse Spiritus postulat pro nobis, * gemitibus inenarrabilibus.

Agnoscant qui derelicti vivunt; * quoniam nil melius est quam timor Dei.

Nihilque dulcius, * quam respicere in mandatis eius.

« Convertimini ad me » dicit Dominus Deus noster, * « et ego ad vos convertar. »

Gloria et honor Deo
Usquequaque Altissimo;
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclyto,
Qui tot donis cumulavit
Gabrielem Archangelum.

CANTICUM XXX.

F. S. JOSEPHI, SPONSI B. MARIAE VIRG.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Coelitum Joseph decus, atque nostrae
Certa spes vitae, columenque Mundi,
Quas tibi laeti canimus, benignus,
Suscipe laudes.

Te, Sator rerum, statuit pudicae
Virginis Sponsum; voluitque Verbi
Te Patrem dici; dedit et ministrum
Esse salutis.

Te Redemptorem, stabulo iacentem,
Quem chorus vatum cecinit futurum
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum, dominator orbis,
Cuius ad nutum tremit Inferorum
Turba; cui pronus famulatur aether
Se tibi subdit. —

— Nomen tuum, Domine, et memoriale tuum est in desiderium omnium populorum, * idcirco ore laetitiae tibi promamus Canticum.

Vivit, vivetque semper in nos Christus; vivit in corde et in mente nostra; * semperque Joseph et Maria vivent.

Jesus, Maria, et Joseph, * vivat in aeternum hoc in Terris augustissimum Ternarium;

In varietate vivat personarum; * et sanctitate constitutum substantiarum.

Ave Jesu, dux et Pastor; * per intercessionem Mariae matris tuae, et Josephi matris tui Sponsi, animabus parce nostris, malis et criminibus.

Jesu via, et nostra vita, * visita nos aegros;

Sana nos languentes, * et nos suscita mortuos.

Jesu, nostra spes unica, * suffragiis beati Josephi nobis munera, exoramus, tua largire.

Da virtutem temperantiae; * fortitudinis et iustitiae.

Munditiem da cordis; * paupertatis amorem, et misericordiae;

Umilitatem et abnegationem; * et obedientiam dona;

Fraternam charitatem, zelum animarum; * et divinae presentiae exercitium.

Pacem, denique, concede perfectam, * in conformitate divinae voluntatis tuae. —

— Ave Jesu, inspirator Prophetarum; * et Martyrum fortitudo

Magister, ave, Apostolorum; * et Patriarcharum Rex,

Ave Panis pinguis et vitalis; * mensa purissima, et vinum germinans virgines.

Tu, Dei Filius unigenitus, ut tuae nos divinitatis participes efficeres, * nostram assumpsisti naturam;

Et, factus es homo, * ut nos efficeres Deos

Insuperque totum in hoc augustissimo Sacramento, * quod de nostro as-

sumpsisti, ad nostram, dulcis Christe, bone Jesu, exhibuisti salutem.

Idest Corpus in ara crucis; * Deo Patri, pro nostra obtulisti salute:

Et Sanguinem in pretium fudisti simul et lavacrum, * ut a peccatis mundaremur omnibus.

Proinde corpus et sanguinem ad edendum reliquisti et sumendum, * sub panis speciebus et vini, in tuae Passionis memoriam.

Ave Jesu, intercessione beati Josephi et Mariae, * ista immensa largitatis tuae beneficia, nobis exhibita, inaestimabilem nobis dignitatem conferant.

Servorum miserere tuorum, super quos nomen est invocatum tuum; * et ne nos in tentationibus sinas angustiari nostris

Trahe nos post te vinculis misericordiae tuae, * et, Gratiae donis et pietatis tuae omnes sana languores nostros. —

— Confitemini, fratres, Domino, quoniam bonus; * quoniam, nos indignos, in opipara reficit Eucharistica mensa sua. —

POST COMMUNIO

Redemptio, Domine Jesu, et nostra salus, * te laudamus; tibique grates rependimus.

Noli, benignissime, considerare, quam valde tuis indigni simus beneficiis; * et quam multum devotionis expertes;

Tamen, non quae tibi debere scimus; * sed, quae possumus, nostra tibi persolvit anima.

Nostri cordis spes unica, animae nostrae virtus; * tu certe nostra es vita

Et quidquid agere imbecillitas conatur nostra, * finis es tu intentionis nostrae; et nostrae actionis virtus. —

— Jesu, amator hominum, per intercessionem beatae Mariae Virginis, * orphani tui miserere et derelicti.

Pupillus factus sum a iuventute mea, absque Patre et Matre; * et anima mea, nisi tu assumpsisses, adhuc quasi vidua esset.

Jesu animarum zelator; * per intercessionem beatae Mariae Virginis, et beati Josephi, sacerdotibus sanctitatem adauge; * Fidem Principibus dona, et pacem.

Religiosis et saecularibus cunctis in te sperantibus, * perseverantiam tribue boni operis.

Castitatem, continentiam, sanctimoniam et sustentationem virginibus tribue, * idemque coniugatis et viduis;

Poenitentibus et veniam; * iuvamen in discrimine positis.

Reditum peregrinantibus concede; * et lugentibus consolationem tribue

Fidelibus absolutionem defunctis, * et requiem impertiri dignare aeternam. —

Dum sumus in corpore, peregrinamur a te, Domine; * et, per Fidem ambulamus, non per speciem;

Sed scimus, quod si seminatur homo in corruptione, * in corruptione surget.

Seminatur in ignobilitate; * in gloria surget.

Seminatur in infirmitate, * surget in virtute.

Et, quod corpus seminatur animale, * surget in spirituale.

Ideoque, et cum extrema nostra advenerit dies, * Jesu, Dei Fili, ad lectum infirmitatis miserator adesto nostrae,

Adsit tecum Mariae praesentia, et beati Josephi; * vis immensi amoris ternarii huius, nos firmet ad mortis victoriam. Amen.

— Sit rerum Domino iugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantium
Divinumque supremis
Flamen laudibus efferant.

—

CANTICUM XXXI.

FESTUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Ut per Sanguinem populum Jesus sanctificaret suum, * extra portam passus est.

Per proprium introivit Sanguinem semel in Sancta; * et complacuit, per eum, reconciliare omnia in ipsum.

Omnimode, et universaliter, per Sanguinem crucifixi Domini nostri Jesu Christi, * quae in Terris, et quae in Coelis sunt pacificantur.

Justitia et pax osculata sunt, ipse fecit utraque unum; * ideoque copiosa est apud eum redemptio. —

Et nondum usque ad Sanguinem nos restitimus, * adversum peccatum repugnantes

Eia, improperium portantes eius; extra castra exeamus cum eo; * hymnumque canamus.

Ira iusta Conditoris
Imbre aquarum vindice,
Criminosum mersit orbem,
Noë in Arca sospite;
Mira tandem vis amoris
Lavit orbem sanguine.

Tam salubri Terra felix
Irrigata pluvia,
« Ante spinis, quae scatebat »
Germinavit flosculos;
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.

Triste protinus venenum
Dirus Anguis posuit;
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia;
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.

O scientiae supernae
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus
Rex fuit poenam optimus.

Quando culpis provocamus
Ultionis judicem,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia;
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina. —

— O clemens o pia, o dulcis Judicis Mater et rei, * cum sis utriusque mater, discordias inter tuos nequis sustinere filios.

Eia mater, fons amoris
Me sentire vim doloris
Fac ut tecum lugeam

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
Et cruore Filii.

Salve pretiose sanguis, * e vulneribus crucifixi Domini, profluens, Jesu Christi.

Recordare, Domine creaturae tuae, * quam tuo redemisti sanguine.

Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, * et totius mundi ablue peccata.—

— Deus, viri Fratres, in hoc mundo elegit pauperes, * tamen divites in fide, et Regni haeredes, quod reservat diligentibus se.

Tibi Domine, plagas ostendimus nostras; * nostramque detegimus miseriam, et verecundiam.

Peccata nostra scimus multa et magna, pro quibus timemus; * et itidem in misericordias speramus tuas, quarum non est numerus.

Poenitet nos peccasse; malum, quod commisimus emendare cupimus; * iniquitates omnes aufer a nobis et peccata.

Oculis pietatis tuae respice in nos, Rex aeternae Gloriae; * Deus es et homo, propter nos homines crucifixus.

Salve salutaris victima, * pro nobis in patibulo crucis oblata;

Nostras purifica mentes et corpo-

ra; * ut digne Sancta Sanctorum degustare valeamus.

POST COMMUNIO

Ave Jesu, nostrae creationis principium; Sacrificium nostrae reconciliationis; * et, peregrinationis nostrae, Viaticum.

Ave, laboris nostri, solatium; nostrae tribulationis, refugium; * et, expectationis nostrae praemium.

Ad te, Domine Jesu, nostras elevamus animas; * ut auribus verba percipiamus oris tui.

Dulcia, auribus nostris, eloquia sunt tua; * et sapiunt super mel, et mellis favum;

Os nobis tuum sapientiam loquitur, * diuturna cordis nostri meditatione accipiemus et Prudentiam.

In die mortis et Judicii mala non timebimus; * etiamsi, instar aggeris, iniquitates circumdabunt nos.

Confidentes in virtute Sanguinis tui; * glorificabimur in multitudine misericordiarum tuarum.

Mitis Agnus vulneratus, * hoc tuum fuit trophaeum inclytum.

Frater non redimit fratrem sibi carum a morte aeterna; * non vir uxorem; non Pater Filium;

Quispiam non potest, nec etiam pro se; * tibi dare placationem. —

— O Maria, peccatores morti destinatos; * materno quaesumus complectere affectu.

Nos nec deseras poenitentes, * quousque Filio reconcilies tuo.

O, quot nudis lacrymarum
Quo dolore volvitur
Luctuosa de cruento,
Dum revulsum stipite
Cecidit, ulnis incubantem
Virgo Mater Filium.

Os suave; mite pectus
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Aegra tingit lacrymis.

Eia Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem,
Conde nostris cordibus. —

— Anima nostra in vita confitebitur tibi; * et Matri tuae, o bone Jesu;

Multiplica, Domine, in matutino novae vitae, * gloriam domus tuae,

Hymnos modo multiplica in ore nostro, * nomini sancto tuo.

Quia nos omnes de Inferno, * Sanguine liberasti tuo.

Festivis resonent compita vocibus;
Cives laetitiam frontibus explicent;
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri, et senes.

Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere Sanguinem
Nos, facti memores; dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.

Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit;
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.

Clamorem validum summus ab aethere,
Languentis Geniti si Pater audit
Placari potius sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Hoc, quicumque stolam Sanguine proluit
Abstergit maculas, et roseum decus
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat cupit. —

— Nobis propitius sis, Genitor potens
Quos Unigeniti Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas
Coeli ad culmina transferas.

CANTICUM XXXII.

FESTUM S. BENEDICTI ABBATIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Vidi cuncta, quae sub Sole fiunt; * et ecce universa vanitas, et afflictio Spiritus.

Vanitas vanitatum; * et omnia vanitas

Vanitas sunt magni greges ovium; * auri coacervi et argenti; servi et ancillae;

Palatia et Villae, vanitas sunt; * omnia vanitas et afflictio spiritus.

Nonne ad unum omnia properant locum? * deliciae et sanitas; divitiae et honores animam non implent.

Unus est omnium introitus ad vitam, similisque est exitus; * non est apud Deum acceptio personarum.

Fecisti nos ad te Deus, * et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.

— Homo, qui moderate comedit et bibit bonum de labore videt suo; * in viis ambulans probitatis, caeteris hic in Terra beatior dici potest.

Et si homo iste laboriosus Coelum aspicit, gratias Deo rependit datori; * hoc certe donum Dei est, quia sectatur iustitiam

Cor hominis viam disponit suam, sed Domini est gressus dirigere eius; * omnis arrogans abominatio est coram Deo et hominibus.

Melius est nobis parum cum Justitia; * quam multi fructus cum iniquitate.

Fundamentum Justitiae Fides est; * Christus vero nostrae Fidei obiectum.

Ecclesia Christi quaedam est Justitiae forma; * commune est ius omnium;

In commune erat ipsa et operatur; * in commune tentatur.

Justum et impium judicabit Deus; * et tempus omnis rei tunc erit;

Non enim cuiusquam subtrahet ipse personam, nec cuiusquam verebitur magnitudinem.

Pusillum et magnum ipse fecit; * et aequabiliter est illi cura de omnibus.

Fortibus fortiter instat cruciatio, * horrenda et cito apparebit illis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet.

Exiguo conceditur misericordia; * potentes autem potenter cruciabuntur.

Perversi difficile corriguntur; * et stultorum infinitus est numerus;

Sed iustorum animae in manu Dei sunt; * et tormentum illos non tanget mortis.

— Omnis justitia, et Sapientia, et virtus, * et honor et Gloria a Domino est.

Cum illo fuit semper ante aevum; * et erit in saecula.

Ideoque, nosse te consummata iustitia est, * et, scire iustitiam et veritatem tuam, radix est immortalitatis.

— Fac me, Domine, pro justitia agonizare; * et, usque ad animi exinanitionem dimicare.

Tu, Deus noster suavis es et verus; * tu patiens et omnia in misericordia disponens;

Etenim, si peccavimus, tui sumus, * magnitudinem scientes tuam;

Et, si non peccavimus; * scimus admodum quoniam apud te computati sumus. —

— Aspice, mitissime Conditor, Sobolem dilectam tuam; * et, divinae memor largitatis tuae, hoc maximum amoris tui pignus nobis hodie dona. —

— O Maria, redde me imitatorem humilitatis, * puritatis, amoris, et mansuetudinis tuae.

Per tuam intercessionem fac me digne corpus Filii tui in pectore recolligam meo; * animam et Divinitatem.

O Maria, per te, ira a me avertatur Dei, * eum precibus meritisque placa tuis.

Tu anima delicias Coeli sempiternas excita mea; * et de Paradisi gaudio pectus inebria meum.

Cantate ei habitatores universae Terrae, * de manu crudeli ipsa liberavit nos; eiusque hymnum in populis annuntiate.

Sancta Judit, pro populo
Salvando, se praeparavit;
Nocte surgens de lectulo
Vocans Abram properavit.

Holopherni praesentavit
Se, pro gentis suae periculo
Necans eum, liberavit
Cives a mortis iaculo.

Tu es Judith pulcherrima,
Quae liberas Ecclesiam,
Holophernisque acerrima,
Ut, per divinam gratiam

Haeresisque perfidiam,
Confundas et nequitiam;
Spemque tutissimam
Fundes super familiam.

POSTCOMMUNIO

O Sacramentum pietatis; * o vinculum charitatis.

Te ipsum apposuisti immolatum nobis, ut carnibus impleremur tuis, * ideo Agnum nos comedimus Dei.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine;
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

Ecquis magis summi Dei Sacerdos,* quam natus ex Maria virgine, dominus noster Jesus Christus?

Qui sacrificium Patri obtulit suo, * Corpus scilicet et suum sanguinem.

Sub panis et vini speciebus, * quod in Melchisedech Sacrificio fuit adumbratum.

Patres nostri omnes sub nube fuerunt; * et nos in lucem Evangelii Jesu Christi ambulamus;

Potentia protecii eius, qui est virtutis firmamentum, * tegmen ardoris, et meridiani umbraculum.

Dans sanitatem, Gratiam, vitam, benedictionem, * et hoc praecelsum ac venerabile Eucharistiae Sacramentum.

— Qui ad fores vigilat eius, * in vanitates non respicit et insanias falsas;

Et in die mala, * liberabit eum Dominus.

Ita, Domine Deus meus, in te spero, * per languores, mortem, et sepulturam tuam.

Absconde me, ab omni insania, in tabernacuio tuo, * et mundanae vanitatis peste.

Andriani

Libet me tuae intendere claritati; * me avido corde bona delectant tua.

Et quantum valeo, * pius ea mecum in solitudine considerare cupio.

Tuique vehementi desiderio, et dulci memoria, * admodum recreari libet.

Inter coenobitas, libet, ascetas et heremitas, * ardentes in te attollere oculos.

Mentisque erigere statum, * animi confirmare affectum.

Delectet me de te tantum, miti et umili corde, loqui; * et conferre.

Et, si a benignitate tua mihi tandem concessum erit sicut et illis, * libet de die ac nocte laudes, et de te suavia scribere et praedicare —

— Qui fecerit et docuerit magnus vocabitur in Regno coelorum; * et in illo sedes Coelitum, locabitur in fastigio.

Docti fulgebunt; * quasi Firmamenti splendor.

Et, qui ad iustitiam erudiunt multos, * erunt quasi Stellae in perpetuas aeternitates.

Unusquisque, viri fratres, queat nostrum, de hac beatitudine quotidie,* in sacris legere libris.

Lecta saepius corde revolvere; * et intelligendo exardescere et exultare.

Possim, utinam, sic et ego, bone Jesu, in huius periturae vitae ardoribus et periculis, * sub tuae vitalis aurae umbraculo dulcier refrigerari.

Transeam paululum in sinu requietis tuae; * et transiens, languidum caput in bonitate tua reclinem meum, et obdormiam. —

— Et tu Pater Benedicte coenobita, heremita et asceta insignis, * conanti surgere, auxilium confer pervenire ad Dominum;

Ne me solum, inter tot Fratres, * me orbes intercessionibus.

Iste florentes peragebat annos,
Cum puer dulcis patriae Penates
Liquit, et solus latuit silenti
Conditus antro

Inter urticas, rigidasque sentes,
Vicit altricem scelerum Iuventam;
Inde conscripsit documenta vitae
Pulchra beatae.

Jamque felici residens Olympo,
Inter ardentes Seraphim catervas,
Spectat, et dulci reficit Clientum
Corda liquore. —

— Gloria et Patri, Genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni.
Tempore saecli.

CANTICUM XXXIII

DOMINICA IV. (LAETARE) QUADRAGES.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Laetare Hierusalem, * et conventum facite omnes qui diligitis eam.

Gaudete, qui in tristitia fuistis; * quoniam si ex merito nostrae affligimur actionis, consolatione respiramus Jesu Christi Gratiae.

Laetetur cor quaerentium Dominum, annuntient inter gentes opera eius.

Invocat te Deus conscientia mea; * quam excussis ignorantiae tenebris, ad veritatis perduxisti intelligentiam.

Te suavis invocat Fidei meae amor; * ut a stulta et amara me revoces saeculi huius incredulitate.

Et adhibita tuae dulcedinis charitate, * jucundam redde et mellifluam legis tuae observantiam.

Fides, te iterum, invocat mea; * quam, propter bonitatem tuam, mihi ad me solvendum dedisti.

Fidelis anima ex Fide vivit, * quia tenet in spe quod postea te videdit.

Invocat te, beata Trinitas, sincera spes Fidei meae, * quae, me, interiori Gratia tua, ab ipsis imbuisti incunabulis; et matris Ecclesiae confirmasti documentis.

Qui in Altissimis habitas; * thronus tuus est in columna nubis;

Coeli solus circuis gyrum; * et in fluctibus ambulas maris;

In omni gente, in omni Populo, * et super omnes beatorum Spirituum ordines, imperium tenes.

Et luce superna tua nostras illuminas, * aduris et consummas mentes,

Superborum colla et sublimium, propria calcas virtute; * et ad nihilum redigis.

Emitte, benedicta Trinitas, humilitatem et Sapientiam, * de sede magnitudinis tuae.

Mecum sit, mecumque laboret; * ut Canticis sciam meis, quid singulis anni diebus acceptum coram te sit, et perficiam.

Gloriosa et una Trinitas, * Pater, Filius, et Spiritus sanctus;

Deus, Dominus, Paraclytus, * Charitas, Gratia, et Communicatio;

Genitor, Genitus, Regenerans; verum lumen ex vero lumine; * Fons, Flumen, Irrigatio;

Ab uno omnia, vita a vivente, * et viventium vivificator;

Unus a Se, unus ab uno, * unus ab ambobus,

Essentia una; virtus una; bonitas una; * et una beatitudo;

A quo, per quem, * et in quo beata sunt omnia quaecumque beata sunt;

Laudent te agmina tuorum immortalia Angelorum; * justorum animae te suppliciter adorent; et, sine fine, concinent.

Tibi laus, tibi hymnus, * tibi Gloria; tibique honor omnis. —

— Jesu, redemptio nostra, amor et desiderium, * semper adesto mihi:

Et *Communionem* suscipe istam; * acceptabile fiat coram te, et in odorem ascendat suavitatis.

POSTCOMMUNIO

Ecce, Dominus Jesus, Filius Dei Patris, * pulcher est et amabilis valde nimis.

Quoniam in pectore receptus es meo,

tibi, cum divo dicam Thoma, confidenter, * « Dominus meus et Deus meus. »

Elevatus in Coelum benedixisti mihi; * et, in missione Spiritus sancti, dilectionem infudisti tuam.

Opes donasti, gloriam, felicitatem; * et Angelorum gaudium.

Ad dexteram sedens Patris, oculos dignaris super me aperire tuos; et, laetantem, in benedictionibus auscultare tuis.

Nam, si aegrotor, Medicus meus es; * comes si exul, et peregrinus;

Consolator, si deprimor; * et si obtenebror, lux mea es.

Offerri vis a Sacerdotibus; * consecrari et immolari;

A nobis manducari et consumi, * quasi mansuetus Agnus.

Superamabilis es, tu placationis victima, * Patri me reconcilia tuo;

Superamabilis es tu, victima impetrationis, * omnes pro nobis obtine Gratias salvationis;

Amoris et solutionis victima es tu, * vita, ergo, Sanguine et Corpore; omnia pro me debita.

Dormiat, Domine Jesu, memoria mea ab omnibus malis; * et iniquitatem odio habeat;

Justitiam diligat; * et concupiscat gloriam. —

— Quid utilius, viri Fratres, quidque dulcius, quam, inter tenebras vitae huius, et amaritudines, divina inebriari dulcedine?

Æternae suspirare beatitudini; * et illic teneri mente, ubi vera haberi gaudia certissimum est?

Amantissime, benignissime, pretiosissime, * quando de pulchritudine satiabor tua?

Quando de hoc tenebroso educes carcere ut nomini confitear tuo; * ita ut deinceps non compungar? —

— Meditetur, et etiam, mens mea miserorum refugium, et verae Fidei Matrem; * et mihi piissima succurrat.

Veniat ad nos virgo Maria, divinae incarnationis virtus, et fidelium thesaurus; * et ad societatem perducat civium supernorum.

Anima, de pulvere expergiscere mea; * solve vincula colli tui, et gloriosis matrem tuam excipe laudibus.

Vitae odor progreditur de illa; * et omnis salus de corde exurgit illius.

Charismatum suorum fragrantia suavi, animae vel mortuae suscitantur; * ita in ipsa est omnis virtutis spes et vitae. —

— O bone Jesu, tu qui mortem in abyssos praecipitas, * lacrymam ab omni aufer facie, et tecum nos adduc in Coelum.

Vox fletus et clamoris a conspectu fugiat tuo; * et a facie matris tuae, sensus doloris et gemituum.

Non audiatur ultra in tua Terra iniquitas; * vastitas et contritio in terminis tuis.

Salus denique muros occupet Ecclesiae tuae sanctae; * et portas eius, festiva laudatio. —

— Uni, trinoque Domino
Sit sempiterna Gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donat in Patria.

CANTICUM XXXIV.

ANNUNTIATIO B. MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

« Ne timeas, o Maria, Spiritus sanctus superveniet in te; * et virtus Altissimi obumbrabit tibi. »

« Ideoque, et quod nascetur a te, * Filius vocabitur Dei.

« Et illi dabit Deus sedem David patris eius; * et regnabit in domo Jacob in aeternum; et regni eius non erit finis. »

O benedicta super filias Hierusalem, quae virum omnino non novisti, * et virum tuo circumdedisti utero!

Virum circumdedisti Angelo Fidem praestando, * quia Heva virum perdidit serpenti consentiendo.

O insignis Gratia, o Felix Mariae obedientia; * quae dum coelesti humiliter credidit nuntio, Coeli in se opificem recepit!

Enixa Dei Filium, * mundo attulisti gaudium.

Quas tibi laudes humani generis persolvet fragilitas? * quae sola obedientia tua, naturam reparasti peccato perditam.

Accipe, Domini mei mater, quascumque exiles, ex tuis impares meritis gratiarum actiones, * nobisque antidotum reconciliationis reporta.

Accipe quod offerimus; * et redona quod fida reposcimus mente.

Tu spes unica peccatorum, * per te veniam consequimur, et gratiam recuperamus,

Tu janua es Coeli, et matutina stella; * tu infirmorum salus, et desperatorum refugium.

Accurre nobis, * auxilium humiliter implorantibus tuum.

Introduc nos ad Tabernaculum Filii tui, * Hostiam pacificam sacrificaturos Deo.

Qui nos laetificat, * et juventutem renovat nostram.

Speramus in te, bone Jesu, qui es Salutare Lumen vultus nostri; * et Deus noster.

Causam, de gente non sancta, discerne nostram; * quia tu sanctissimus es Deus Filius Maria matris nostrae, et nostra sanctificatio.

Lucem et Veritatem emitte tuam; * ipsa nos semper deduxerunt ab aerumnis saeculi; et ad montem adduxerunt sanctum tuum.

Judica etiam nos Deus, * quoniam, in innocentia et poenitentia ambulantes, matris tuae patrocinio, nunquam causa decidemus nostra.

In tuas manus, nostrum, dulcis Maria, commendamus exitum; * ut, ab ipsa, per Filium tuum, nos redimas morte.

Esto nobis in domum refugii, et in locum munitum; * et, usque in senium, in auxilium respice nostrum.

Et nunc Filium tuum benedictum, Viaticum viatorum, et nostrae expectationis praemium, * nobis tui ipsis porrige manibus.

POSTCOMMUNIO

Dominus Jesus, in Templo degit sancto suo, sicut in Coelo; * et ibi est sedes eius;

Ex humilitate altaris sui, tanquam ex quadam celsitudine, omnia videt et considerat; * palpebrae eius interrogant, et Filios scrutantur hominum.

Scrutans justum, suscipit et protegit eum Dominus, scrutans vero impium, imbres pluit sonoros, sulphur, et procellarum spiritus.

Qui iniquitatem sectatur, animam odit suam; * atque, eius iram, ad exitium concitat suum.

Deus non irridetur . . . sed Salvator noster es tu; * in manibus tuis nostrae sunt sortes, sive vitae, sive mortis.

Heu me miserum! quid dicam? clamabo ad te Domine Deus meus; * verumtamen, tacens, amarissima interius crucior amaritudine.

Plorans plorat in nocte anima mea, et etiam quando illuceseit dies, * sicut vidua super virum pubertatis suae.

Ulula, o misera; * alioquin Sponsus tuus Jesus dimittet te.

Bonitas infinita, et mea aeterna suavitas, * certe ego commisi unde me damnare potes;

Sed tu non amisisti, * unde salvare me cupis.

Miserere, ergo, ne desperem; * non vis, Domine peccatoris mortem;

Nec unquam laetaris, * in perditione morientium.

Imo, ut mortui viverent, natus es in stabulo, miseris involutus pannis; * et nudus in Cruce pependisti!

Mors tua peccatorum occidit mortem; * et ipsi, te moriente, vixerunt.

Manum, ergo, ab alto mitte tuam, ad me de inimicorum meorum liberandum; * ne interitu supergaudeant meo.

Obsecro ne tristitiae occidant me meae; * et meam perfringe perversam voluntatem.

Memento, quod me non adhuc quaerentem, ad poenitentiam et veniam vocasti; * eo magis auxilium potentissimum, veniam postulanti concedere debes.

Nonne, quae, ex intima cordis contritione, ad te diriguntur preces, * miserationes tuas, quasi per impetum, compellunt? —

— Viriliter agite, et sublevetur cor vestrum omnes vos qui speratis in Maria, quod suppetias latura sit vobis.

Propitia et favens nobis sis dulcissima Mater; * magna est dulcedinis tuae magnitudo, quam abscondisti diligentibus te. —

— In corde nostro, qui Filium confitemur tuum, Domine, de virgine conceptum, Fidei Sacramenta nobis confirma; * ut tecum in aeternum concelebremus in laetitia.

Beati qui audiunt, et verba servant Filii tui Sapientiae; * et qui vestigia Filiae sequuntur tuae et matris nostrae Mariae. —

= Fac Deus simplex, pariterque Trine,
Hic sequi vocem Genitricis almae.
Ut tibi laudis modulemur hymnum
Omne per aevum. Amen.

CANTICUM XXXV.

FESTUM SANCTISS. SINDONIS D. N. JESU CHRISTI

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Joseph ab Arimathaea mercatus est Sindonem mundum, * ut involveret in ea corpus Domini nostri Jesu Christi, de cruce depositum.

Diversos miscuit virtutis odores; * et Aloes quasi libras centum.

Ligavit, proinde, corpus mortuum Jesu, juxta specialem Judeorum consuetudinem et ita involutum in tumulo condidit eum novo. —

Tuam, Domine, gloriosam recolentes Passionem, * tuam simul hodie veneramur Sindonem.

Jesu miserere; * quia pro nobis passus es.

O Sindon admirabilis, * in qua thesaurus involutus est noster;

Captivorum redemptio Christus Deus noster, * qui peccatum non fecit

Qui, cum malediceretur, non maledicebat; * et cum pateretur, non comminabatur.

Gloriam sacrae celebremus omnes
Sindonis, laetis recolamus hymnis,
Et piis votis monumenta nostrae
Certa salutis.

Quae refert semper veneranda Sindon
Sanguine impressis decorata signis;
Dum cruce ex alta tulit involutum
Corpus Jesu.

Reddit haec saevos animo dolores,
Quos tulit casum miseratus Adae
Christus humani generis Redemptor,
Morte perempta.

Sancium ferro latus, atque palmas
Et pedes Clavis, lacerata flagris
Membra, et infixam capiti Coronam.
Monstrat imago.

Quis pius, siccis oculis, et absque
Intimi cordis gemitu notata
Vivaque indignae simulacra mortis
Cernere possit?

Nostra, cum solum tibi, Christe, culpa
Causa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita; vitam
Tradimus ipsam.—

— Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, * et passionem et redemptionem tuam in aeternum glorificabo.

Magnifica, Domine, temetipsum, * et peccati mei solve iniquitatem;

Qui, propter te, in lacrymis seminant, in exultatione metent; * amoris nexibus supremo juncti Numine.

Euntes ibant, et flebant, semina mittentes sua; * venientes, autem, cum exultatione venient, manipulos portantes suos.

Nunc per ignem transimus et aquam; * sed tandem nos, Domine in rifrigerium educes.

Non nobis, Domine, non nobis; *sed, mirabiliter nos salvans, nomini gloriam da tuo.

Planctum nostrum, nobis converte in gaudium, * saccum consoinde mortalitatis nostrae; et nos laetitia circumda Resurrectionis tuae.

Passionis tuae vestigia nobis in sacra reliquisti Sindone * concede, ut per mortem tuam, ad gloriam perducamur resurrectionis.

Benedictus Dominus in donis suis, * et sanctus in omnibus operibus eius;

Et benedictus qui ad nos venit in nomine Domini; * hosanna in excelsis.

POSTCOMMUNIO

Super aquam refectionis educasti me; * animam convertisti meam;

Omnia simul in te habeo, * clarissimum oculorum meorum lumen;

Cibus et potus meus; * solatium vitae meae in tribulatione, quae circumdedit me.

Quid, Rex meus, et Deus meus, quid tibi potest in corde inveniri hominis; * quod utique talibus referatur praemiis?

Dum in saeculum vivificas nos, * numquid sagacitas nostra machinari potest cui tua comparetur miseratio?

Non creaturae officium est moliri, quo Creatori et Redemptori retribuat; * copiosa enim et infinita est apud eum Redemptio.

Attamen, nate Dei, audacter dicam, esse aliquid cui in aliquo fragilitas suppetat nostra; * in hac tua admirabili dispensatione,

Certe, si tua visitatione, corde compunctus, carnem crucifigam meam, * cum vitiis suis,

Exiguitas conditionis ita, si tuae complaceat pietati, * magnitudini merebit, pro viribus, respondere tuae.

Et in eiusdem meritis, * de condigno satisfacere!

Te, ergo, dulcis adoramus Jesu in hoc augustissimo Sacrificio Missae et coelesti convivio, cui assistunt Angeli ministrantes.

Et tuam sacram veneramur Sindonem; * in qua tu, Salutis auctor, de cruce depositus, involvi dignatus es.

Per antiquas te oramus misericordias tuas, vulneribus infunde nostris, * quod reiecta viperea contagionis bile, pristinae nos redintegret incolumitati.

Haec est coelestis medicina, * hoc tui antidotum amoris.

Fac etiam, ut nos tecum consepulti; * veteris hominis deponentes exuvias, Sindonis innocentia tegamur et munditia. —

— Quibus singultibus affectum, Domina mater mea, existimabo purissimum pectus tuum, * cum carnem de carne tua in monumento sepelierunt?

Ave, dulcis Mater Christi
Quae sepulchro conditum,

Plangis Natum, heu! quam tristi
Mente, volvens obitum;

— In virtute tot dolorum
Quos tulisti fortiter,

Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter, —

— Demum sorte beatorum
Fac gaudere jugiter.

Utinam, cum Joseph ab Arimathaea, Dominum de cruce deposuissem meum; * aromatibus condivissem, et in sepulchro meis condidissem manibus.

O, utinam, cum beatis mulieribus, et Angelorum choris, territus visione

essem; * vel laetissimum audissem Dominicae resurrectionis nuntium:

Nec loca deosculatus sum vulnerum tuorum; vel Clavorum fixuras; * nec lacrymis respersi tui corporis cicatrices:

Admirabilis, inaestimabilis, incomprensibilis; * quando dolorem compesces meum?

Non enim iste a me dolor recedit meus, * quamdiu a Domino fuero peregrinus meo.

Nec quamdiu, fluctus inter tot devios, * in ista remaneam laboris terra. —

— Beata Charitas, in arce Siderum
Potens locare nos per omne saeculum;
Patrique, Filioque summa gloria
Tibique laus perennis, alme Spiritus.

CANTICUM XXXVI.

SABBATUM SITIENTES.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.

Domine Jesu, sacerdos meus revera es tu; * quia mediator, et quia Pontifex maximus.

Unus est mediator Dei et hominum, homo Jesu, * pius et misericors noster Dominus.

Genitus a Patre ante Luciferum; * Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Melchisedech Sacerdos Dei summi; * qui panem obtulit et vinum, qui Abraham benedixit.

Benedictio Abrahae illa, ad nos pertinet etiam; credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam.

Ergo, qui ex Fide sunt, hi Abrahae sunt Filii, * in libro adscripti vitae.

Deus Gentes ex Fide justificat; * ideoque Scripturae praenuntiant, quia in illo omnes benedicentur Gentes et populi et linguae,

Credo Dulcissime Domine mi, quod per te ad Dominum adscendimus Deum Patrem; * et ad nos Deus descendit noster.

Angularis lapis, tu Jesu, scilicet, qui tua virtute facis utraque unum, * nos Deo, et nobis coniungens Deum.

Si, in necessitate positus gratiam aliquam, * tu Deus et homo mihi impetras;

Si pecco, * tu in Gratiam restituis me Patris.

Inter nos et Deum reconciliationis tribunal instituisti, et propitiationis Sacramentum; * ubi tu, nos confitentes audis, et reficis esurientes.

Juste instituisti; nam, sic foeditatem e latibulis conscientiae eruimus nostrae; * nostramque confundimus superbiam.

Misericorditer et sapienter tu instituisti; * verumtamen, nostras tibi ostendentes plagas, medemur.

Et tecum amaritudinem conferentes nostram; * laetantes in spem erigimur vitae.

Nobiscum in reconciliationis Sacramento ploras, et precaris; * in Sanguine lavas tuo.

Nec septies tantum, sed septuagies septies, * osculum nobis veniae et pacis donas!

O amor! o pietas! o Mediatoris indulgentia! « Venite sitientes ad refectionis aquas » * dicit Dominus pius noster.

Et qui pretium non habetis, accedite etiam; * quia cum laetitia simul bibetis.

Adeamus, viri Fratres, cum fiducia ad tribunal poenitentiae et reconciliationis;

Simulque ad propitiationis, * et Gratiae Sacramentum.

Exultemus Dominum Deum nostrum, et scabellum adoramus pedum eius; quoniam sanctum est.

Convertantur ad Dominum universi Terrae fines; * et universae familiae gentium, in conspectu orent eius.

Ecce Sacerdotum, multitudo a longe

nobis veniunt; * Filii Dei propitiationem ministraturi.

Illi ab Aquilone et mari veniunt, * isti de terra Australi.

Deus noster, ex omni Gente, et ex omnibus Populis, et linguis Sacerdoles assumit suos et Levitas; * ut nos doceant; et nobis, nostroque in aevum ministrent semini.

Sicut coram te Coeli stant novi, et Terra nova; * sic etiam semen stabit nostrum et nomen nostrum in Templo sancto tuo.

Vos autem, Sacerdotes Domini vocabimini, * ministri Dei nostri dicetur vobis.

Salvos nos facitis per regenerationis, et renovationis Spiritus sancti;

Quem Deus omnipotens abunde in nos effundit; * per Jesum Christum Salvatorem nostrum,

Ut Gratia justificati ipsius, haeredes simus secundum aeternae vitae spem,* in plenitudine Sanctorum.

Quaecumque alligatis super Terram,* sunt et in Coelis alligata;

Et quaecumque solvitis super Terram, sunt et in Coelis soluta; * vobis dedit Deus ministerium reconciliationis.

Vos praedicate, ut poenitentiam agamus; * vos Doemonia ejicitis;

Et aegros, olio ungentes sancto, per gratia Sacramenti *sanctae unctionis* * vos sanate.

O quam speciosi, gens sancta, electa et veneranda, * vestri gradiuntur pedes!

Pedes evangelizantium veniam; * et Sacramenta administrantium indulgentiae!

O quam pulchra haec Sacerdotalis hierarchia, * in Ecclesia splendet magni Dei nostri!

Quae Christo est despensata, * canticum ei, diu noctuque, psallens canticorum. —

— Interim, et nos creaturae animatae, et Dei redemptae Sanguine, * altera pars Coeli sumus, altera Terrae; Corpus quod corrumpitur, * aggravat animam,

Anima mea, socia et amica mea, * de via veniens languet et jacet,

Scissa et lacerata ab iis, * quas pertransierat vanitatibus.

Esurit et valde sitit, * et non habeo quod ponam ante illam refrigerium.

Pauper enim sum, * et in aere mendicus meo.

Tu, Domine Deus meus colllige dispersam, * et, scissam, redintegra.

Dives es bonorum omnium, * et supernae satietatis dapum opulentissime largitor.

Potum, ergo, esurienti et cibum * laxa et presta.

Gratulamini, viri Fratres, Sacramentis refecti, * non amplius esuriemus nec *sitiemus.*

Amodo nos aestus et Sol percutiet, * quia mediator ipse nos umbraculo tegit refrigerii sui.

Et ad fontes dulcium aquarum suarum, * sitim restinguit nostram, * et nos refrigerat.

Laudet Coelum; * et Terra exaltet Dominum.

Montes jubilate, quia ipse populum consolatus est suum; * et animarum misertus est nostrarum.

— Iterum dicam cum fiducia, * ad aquas adeamus vivas;

De panibus edamus, et bibamus de vino, * quod nobis Sapientia miscuit eius.

Oro, Domine Jesu, ut, quod lingua confiteatur nostra, teneat etiam et affectus; * et ore psalmis tibi exultemus et hymnis.

POSTCOMMUNIO.

Jesu, dulcis amor meus,
Ac si praesens sis, accedo
Te contemplor cum affectu
Tuorum memor vulnerum.

O quam nudum hic te cerno
Vulneratum et distentum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacro tegmine.

Salve caput cruentatum
Spinis, cuius dulcis vultus
Immutavit suum florem
Quem Coeli tremit Curia.

Salve latus Salvatoris
Salve mitis apertura
Super rosam rubicunda
Medela salutifera.

Manus sanctae, vos avete,
Diris clavis perforatae:
Ne repellas me, Salvator,
De tuis sanctis pedibus.

Ne repellas ignoscens; * quia condolere potes infirmitatibus meis.

Semper vivens in gloria Patris, * ad interpellandum pro me.

Ideoque da mihi Spiritum sanctum tuum; * quem aquae significabant illae, quas sitientibus daturum promiseras.

Da mihi, toto desiderio, et omni tendere studio, * quo te ascendisse credo;

Die quadragesimo post resurrectionem, * tyrannum trudens in vinculo; et Paradisum mihi reserans.

In praesenti quidem, miseria solo corporis tenear mei; * tecum autem, thesaurus incomparabilis meus, cogitatione sim et aviditate semper.

In mari vitae huius, hostes intus, lites, bella foris, * et pugnae;

Intus timores; * nusquam secura pax, vel quies;

Circumstantibus agitamur procellis; * et fidam non invenimus stationem.

Vel locum eminentiorem, * ubi aliquatenus pes pausare valeat noster.

Sed gratulamini, viri Fratres, * en amantissimus praesens adest Samaritanus noster Jesus,

En nostrae pacis Hostia, * et laetitiae;

Primo cruenta quidem in Golgotha; * nunc vero pacifica in venustis, blandis, benignis et iucundis altaribus nostris.

Quovis in loco, quovisve tempore, iterum atque iterum, * millies pro nobis immolatur et millies.

In singulis momentis, mane, sero, die, et nocte, * in urbibus et in pagis, pro nobis sacrificatur.

Ita, bone Jesu, postquam omnia in corda nostra, * amoris tui inaniter torsisti,

Ecce ipsum te; Corpus videlicet, Sanguinem, animam, et Divinitatem; * per suavissimum amoris Sacramentum immittis. —

— O clementissima Maria, Domini mei mater, nunc tuis, monumentum cordis nostri, claude manibus, * ut, concorporei in aeternum cum Filio simus tuo. —

— O amator hominum, * tortores potuisti tuos usque ad mortem amare in cruce;

Et poteris amorem tuum et matris tuae amorem, * rogantibus negare? —

= Tibi, fons salutis, Trinitas
Collaudet omnis spiritus;
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

CANTICUM XXXVII.

DOMINICA PASSIONIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Saevo dolorum turbine
Jactatur, atris obrutus
Poenis, acerba sustinens
Redemptor affixus cruci.

Pedes, manusque horribili
Clavi cruentant vulnere:
Cor, vultus, artus, pectora
Sacro redundant Sanguine.

Flet, orat, et clamans obit,
Cor Matris ictum concidit.
Heu! Mater, heu! Fili dolor.
Ingrata frangat pectora.

Montes, sepulchra, saxaque
Scinduntur: arva, flumina,
Rupes et aequor contremunt,
Templique velum scinditur.

Sol, Luna, Coelum, Sidera
Plangunt, et orbis ingemit!
O vos viri, vos parvuli
Nuptae puellae plangite

Adstate moerentes cruci,
Pedes beatos nugite;
Lavate fletu, tergite
Comis et ore lambite. —

— Tota Christi vita, crux fuit; * et martyrium;

Et tota nostra mortalis vita miseriis est plena, * et circumsignata crucibus.

Erramus, requiem si expectamus et gaudium, * potius quam laborem et tribulationem.

Etiamsi omnia ex nostra ordinentur sententia et voluntate, * inveniemus semper, quod inviti aliquid patimur.

Modo in corpore dolorem sentimus, * modo afflictionem in anima sustinemus;

Interdum a nobis ipsis; * ab aliis saepe, occasionem aliquid sustinendi habemus

Crux semper adstat, * et nos ubique expectat.

Ubicumque, ergo, cucurrero, vel venero, mei sum invenio semper; * et meam mecum porto crucem.

Ideoque omnimode oportet, * ut sustineamus crucem.

Si libenter ferimus, * ipsa portabit nos;

Si forte obnuimus, * ipsa nos suo deprimet pondere.

Unam abjicimus crucem; * alteram invenimus graviorem.

Nullus mortalium in mundo, * potuit a cruce immunis esse sua.

Quaerentes igitur interna potiri pace, virtutes augere, et perpetuam promereri coronam, * crucem patienter amplectamur.

In cruce, contra Diabolum protectio, * mentis robur; et supernae suavitatis infusio;

In cruce summa virtutum; animae salus, * et sanctitatis perfectio.

Ita si commoriemur cum illo, qui baiulans sibi crucem nos praecessit, * cum illo pariter et vivemus;

Si libenter poenae sumus socii, * socii gratulanter erimus gloriae. —

— Salutem, Domine, mentis et corporis, amicis, parentibus, et proximis concede nostris; * et quieta tempora.

Cruci tuae bonis semper inhaereamus operibus; ut a tua nunquam discedamus pietate.

Tu charitatis victima
Ut nostra tollas crimina
Nobis salubri perficis
Adoptionem sanguine.

Nostra ergo pax et gaudium
Sis, vita, Jesu, et proemium;
Sis ductor, et lux in via
Merces, corona in Patria. Amen.

Peccata confitens, et peccare desinens, me ipsum, Christo fidenter offeram, * ipse ne me eiiciat de sanctorum suorum consortio.

Ita confido, quod vivifici Sacramenti huius expertus sim benedictionem; * et quod aerumnosae vitae huius quam sustinere crucem.

Non est, Domine, secundum fragilitatem nostram portare crucem; * corpus castigare et servituti subiicere,

Nec nosmetipsos despicere; * et, ut despiciamur, optare;

Adversa quoque perpeti; * et nihil prosperitatis in hoc conspicere mundo;

Sed tua id potest gratia divina; * et operatur;

Ipsa quidem efficit, ut, quod naturaliter abhorremus; * fervore aggrediamur Spiritus, et diligamus.

Propterea tibi nostras committimus consolationes; * et expectamus.

Sed utinam dignos nos reddas, * aliquid pro tuo sancto pati nomine.

Fac, quaesumus, saltem digne flere, * quae fecimus mala;

Ut tua nos purificent sancta, * tuamque mereamur invenire gratiam.

Sanctifica, quoque hoc passionis

tempore, ieiunia nostra;* et cunctarum nobis culparum largire indulgentiam.

Percute, Domine, percute obsecramus, * hanc durissimam mentem nostram;

Percute pia et valida cuspide dilectionis et timoris tui; * et altius ad intima penetra virtute.

Educ de capite nostro aquarum diluvium; * et iugiter lacrymarum fontem de oculis erue nostris.

Ex nimio exundent bonitatis tuae affectu; * ac desiderio fluent miserationis tuae.

Nullam, in praesenti vita, vanam excipiamus consolationem; * nisi tantum, quae ex ore procedunt pulchritudinis tuae.

Illius, in finem, dulcissimas a te audiamus imitationes, * ad coelestes nuptias Immaculatissimi Agni, gaudio plenas.

« Venite benedicti, possidete regnum gaudii, * quod paravi vobis, omnium saeculorum. » —

— Credant, itaque, omnes quod ad istam felicitatis patriam,* solummodo per crucem, ascenditur, et passionem Domini nostri Jesu Christi.

Revera, per istas salutis semitas, dat suis servulis iubar; * quo clemens animos beat in patria.

Cuius portae ex Sapphiro et Smaragdo, * iam pro nobis sunt aedificatae.

Et, ex lapide Jaspidis, * omnis circuitus est murorum eius;

Omnes etiam plateas eius, pro nobis, ex mundo stravit auro; * et nos splendidos compitos eius, *Alleluja* cantibimus semper.

Non nobis amplius erit Sol ad lucendum per diem; * neque Lunae splendor per noctem illuminabit nos;

Ipse Deus erit nobis in lucem sempiternam, * et, ab ipso, dies luctus expellatur nostri.

Ecce quod, bone et pie Jesu, concupiscimus, * ecce quod speramus,

Quod junctis manibus, et flexis genibus, a tua imploramus fraternitate,* et a clementia maternitatis virginis Mariae.

Benedictione perpetua * benedicat nos Pater omnipotens;

Unigenitus Dei Filius, * nos benedicere et adiuvare dignetur;

Spiritus sancti gratia, sensus illuminet; * gressusque nostros in viam dirigat aeternae pacis.

— Sit tibi Fili, decus atque virtus,
Qui tuo Mundum, redimis cruore;
Quique cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas.

APRILIS

CANTICUM XXXVIII.

FESTUM COMPASSIONIS, SEU SEPTEM DOLORUM B. MARIAE V.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum debentur huic, et aliis qui leguntur in capite cujusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Mater dolorosa, tui amoris et doloris affectum, in corde infunde meo,* nunquam defuturum.

Ut mea colliquescat anima,* et Filium super omnia diligens tuum, promissiones eius, quae omne exsuperant desiderium, consequar;

Heu mihi mea Mater,* quia videre non potui tecum Dominum Angelorum, ad conversationem hominum humiliatum;

Ut, ad veniam et gratiam adduceret homines; * et ad Angelorum exaltaret gloriam. —

— Sed, cum quis odio dignus sit,* qua fronte requirit gratiam?

Cui poena debetur,* qua temeritate Angelorum deposcit gloriam?

Lacessit judicem, * qui, postposita satisfactione praemiis honorari quaerit.

Obnoxius supplicio Regem insultat,* indebito flagitans bravio donari;

Et dulcem Patris affectum stultus exacerbat Filius, * qui, post illatas contumelias, ante poenitudinem, haereditatis usurpare audet plenitudinem.

Quid, mi Pater crucifixe me gessisse recolo? * mortem merui, et a te vitam et gloriam peto?

Insolens, audire renui Tutorem et advocatum; * quem demum, temere et impudens, adiutorem habere praesumo et remuneratorem.

Heu! mihi sero ad te venio, tarde festino, quia curro post vulnera; * et quia dedignatus sum incolumis praecavere iacula.

Vulnera inflixi vulneribus; recentes cicatrices tabe respersi; * et prisca flagitia modernis reciprocavi inquinationibus.

Quoties ut Canis redii ad vomitum!* et quoties, quasi Sus, volutabrum repetii!

Modo, vero, jam senescens, * adeo de morte sollicitor vicina.

In quacumque die justus peccaverit, * omnes justitiae obliviscentur eius.

Et si justitia ruentis aboletur justi,* quanto magis poenitentia peccatoris in idipsum contradicentis?

En, Domine Jesu, mea salus, quam acriter me mea remordet conscientia, et cordis reprehendunt arcana.



O Agnello Divino sacrificato per me sulla Croce, io vi adoro nell'Ostia consacrata per mio Dio, Signore, e Redentore. Mi pento di vero cuore di tutti i miei peccati, e vi prego per i vostri tormenti, e per la vostra morte a perdonarmi. Sì Gesù mio perdonatemi, e ricordatevi, che anch'io sono una di quelle anime redente col vostro sangue preziosissimo. Salvatemi dunque o mio Dio salvatemi.

A.P. Roma. Via di S. Pantaleo N.° 14.

Tu, mihi et omnibus, quia pro omnibus passus et mortuus in cruce, Sanguine recuperasti tuo gratiam conversionis ad Deum, * veniam et pacem.

Et, dum formidinem acta excitant mea, * tua. et dolorosae Matris tuae hortatur benignitas.

Tua et Matris tuae pietas lacrymosa, * fiduciam ingerit.

Tu, Deus offensus moriebaris, ut ego peccator viverem; * et ego, tam inaestimabili pietatis sacrificio, praesens esse non merui?

Cur nec etiam hodie, * amaritudine anima inebriaris mea?

Cur non ad eum reverteris, * qui, pro amaritudine foeditatis tuae, adhuc felle potatur.

Cur non te transfigit acutissimi doloris gladius, * cum pedes, manus, et latus plasmatoris tui, a nequissimis perforantur?

Cur castissimae non compateris Virgini Mariae, * assidue hominum ploranti damnationem?

Ave dulcis Mater Christi
 Quae sub Crucis arbore,
 Gemens Natum, morte tristi
 Vides Heu! succumbere;

O per ensem hunc doloris,
 Qui tunc sciidit animam,
 Fac me firmet vis amoris
 Mortis ad victoriam.

Domina misericordiosissima mea, quos dicam eripuisse de tuis purissimis oculis lacrymarum fontes, cum attenderes unicum coram te ligari Filium innocentem, * flagellari et mactari?

Quos fletus credam vultum rigasse tuum, cum in Cruce, sine culpa, extendi; * carnem de carne cerneres abimpiis dissecari tua?

Quibus existimabo singultibus purissimum pectus vexatum esse tuum, cum Joannem discipulum pro magistro acciperes; * servum in Filio pro Domino Filio in cruce pendente?

O per poenas patientis,
 Nobis sit impunitas,
 Per amorem condolentis
 Matris crescat charitas. —

Pasce, interim, tuis me singultibus; * tuisque doloribus tepiditatem refove meam.

Mentes juvet fidelium
 Planctum Mariae plangere;
 Mori cum videt Filium
 Toto cruentatum corpore.

Quanto doloris vulnere
 Pectus cruentat illius
 Amissus uno funere.
 Sponsus, Pater, et Filius.

Materna nulla durior,
 Nec ulla par afflictio;
 Nam nulla proles carior
 Nec ulla par dilectio.

Quot cara Proles excipit
 Inflicta carni verbera;
 Tot moesta Mater suscipit
 Infixa cordi vulnera.

Hunc Spina, Clavus, Lancea,
 Dum pungit, illam conficit
 Moerore, qui vel saxea
 Movere corda sufficit.

Sic ensis ille saucium
 Cor figit, ac transverberat:
 Quem jam diu praeconinm
 Sancti Senis praedixerat. —

— Pii Mariae servuli
 Christi redempti Sanguine,
 Tantum dolorem, flebili
 Recogitate carmine. —

Et revera, Domina mea, lacrymae die ac nocte sint mihi panis, * donec a te audiam « Ecce frater, amicus, et Deus tuus, tibi propitiatur. »

Fortasse, per tuam propitiam intercessionem, cito Redemptor meus ad me veniet; * nec tardabit, quia pius est et misericors.

Veni, Domine, veni desideratus gentibus, * sto expectans, donec exaudies me ad me veniens;

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, * miserere mei.

POSTCOMMUNIO

Quid mihi est in Coelo? * et a te, Domine Jesu, quid volui super terram?

Te volui, et te volo; te quaeso; in te spero; * maxime nunc in pectore te amplectens meo, non te dimittam amplius.

Quaesivi vultum tuum, * vultum, Domine, semper requiram tuum; ne faciem a me, ergo, avertas tuam.

Defecit paulum cordis mei luctus;* et planctus meus versus est in gaudium.

Quis dilecto anuntiabit meo, quia amore langueo? * Deus cordis mei; Deus pars mea; Deus in aeternum meus erit, et ego suus.

Cunctis vitae meae diebus diligam te Deum, * et semper in salute invocabo mea.

Da mihi hodie, ad obitum usque, fidenter operari justitiam; * quoniam, apud inferos, non est cibum invenire sanctae dilectionis tuae.

Et super omnibus his benedicam te, qui me fecisti; * et insuper omnibus me inebriasti tuis bonis. —

— Benedicam, et te simul Regina clementissima; * quae, in meum cor tam aridum, rorem infundis Gratiae.

Fac me tecum pie flere; * Crucifixo condolere, donec ego vixero;

Et te semper nos laudare in hymnis et canticis, * o cooperatrix ad Passionem et Christi Redemptionem.

Te laudamus; benedicimus tibi; tibique gratias agimus; * utpote mediatrix potentissima apud benignum Mediatorem.

Te gestientem gaudiis;
Te sauciam doloribus;
Te jugi amictam gloria,
O, Virgo Mater, paugimus.

Ave redundans gaudio
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis
Mater beata Filium.

Ave dolens, et intimo
In corde agonem, verbera,
Spinas, crucemque Filii
Perpessa, princeps martyrum!

Ave in triumphis Filii
In ignibus Paraclyti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloria. —

— Venite gentes, carpite
Ex his Rosas mysteriis;
Et pulchri amoris inclytae
Matri coronas nectite. —

— Sit summa Christi gloria
Amara cuius Passio
Æterna nobis gaudia
Matrisque det compassio.

CANTICUM XXXIX.

FESTUM S. FRANCISCI DE PAULA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Humilem, Dominus in sublimi collocat; * et caput exaltat eius.

Ipse tu Deus humilium celsitudo es; * tu, ad supernas sanctos humiles tuos evehis sedes.

Tu promissor, et gentium promissio; * bravium felicitatis nostrae, magnus es in humilitate.

Et te ipsum humilians, * jacentem erigis Mundum.

Ita, sicut parvus fons in maximum crescit fluvium; et in aquas redundat plurimas, * sic, qui *Minimi* fiunt, et humiliter exercent, exaltantur.

— Virtutes, et arcana mysteria coelestium verborum, elatis abscondit Dominus; * parvulis, contra, sese revelat, dulciter trahens eos et invitans;

Ideoque, qui dedignantur parvuli fieri, sapientia eorum in stultitia transformatur, * naturae fovens imbecillitatem et perversitatem.

Si omnia quae in Mundo sunt scirem ego, et in humilium charitate non essem, quid coram te me juvabit? * judicandus sum ex operibus.

Humilem et pium Deus protegit et liberat; * humilem et pium ipse diligit et consolatur,

Pio et humili, se inclinat, magnamque largitur Gratiam, * et, expleta depressione, ad gloriam sublevat.

Pio et humili, accepta confusione, satis bene est ipsi in pace; * quia in Deo confidit suo.

Obtineam a te Domine, divo intercedente Francisco de Paula, veram mei ipsius cognitionem, * et despectionem.

Eamdem obtineam charitatem, quam in cor infudisti ejus, quasi ignem aestuantem, * adeo ut verba in ore ipsius, tamquam faculae, arderent.

Nam si linguis loquar hominum et Angelorum, charitatem autem non habuero, ero sicut aes sonans; * et sicut cymbalum tinniens.

Iste confessor humilis, et in verbo tuo, Domine, charitate plenus, * mortuos resuscitavit ab inferis.

Et coronam congregavit Fratrum, quasi plantationem Cedrorum in libano; * humiles exaltat Deus; superbos deprimit.

Luce fulget splendida, et in Filiis laetatur *minimis* suis; * quoniam, quasi Olivae speciosae, et quasi Palmarum rami, domum circumeunt tuam.

— Vigilate, viri fratres, * et state in Fide et humilitate.

Viriliter agite, confortamini; * omnia in charitate et humilitate opera vestra fiant. —

— Eia, Domine, appare mihi in charitate perfecta; * laetus ac beatus ero.

Revela gloriam tuam, quia anima in te sitit mea; * et quam multipliciter tibi omnis caro mea.

Sitiam sitire amplius ad Deum meum charitatis fontem; * quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei.

Deus noster es tu; et holocaustum quotidie in conspectu ponimus tuo; * ut nobis indulgeas; et gaudia muneris reddas tui.

POSTCOMMUNIO

Oro te, Domine Jesu, ut haec sancta *Communio* non mihi evadat reatus ad poenam, * sed salutaris ad veniam intercessio.

Armatura sit mihi Fidei, et bonae voluntatis scutum, * augmentum pietatis et spei.

Quam spem repono, ut magis tibi placeam, et mihi proficiam, in matris meae Mariae dilectionem, * cuius respexisti humilitatem.

Ipsa, siquidem, potens per te facta est; * et omnia quae tuo subiecta sunt imperio, suo pariter obediant nutui.

Salve Lilium, vere redolens, * salve fragrans gratiarum pratum;

Salve thearchicae lucis castum habitaculum; * et foecunde germinans Paradisus Rosarum.

Tolle grave dictorum meorum pondus, o omni Sapientia ornata, et omni ornanda laude; * quia beneplacitum es Dei erga nos mortales.

Magnam te fecit, qui potens est, propter humilitatem tuam; * ideoque beatissimam te praedicant generationes omnes.

Igitur, virgo mater, quae Regem genuisti Dominum; * facile est tibi sugerere mihi quid psallam.

Canticum Patri, Filio, et Spiritui sancto exolvere cupio et debeo, sed defectu nequeo virium; * suggere Sapientiae mater, quid benedicam.

Laus, honor, virtus et gloria sacrosanctae et individuae Trinitatis, * per te in labiis sit meis. —

— O summa Trinitas; virtus una, et summa Maiestas, tibi confiteor, * teque glorifico pro eo quod mihi donare dignatus es misello.

Toto corde credo, et ore confiteor,

Patrem, Filium, et Spiritum sanctum; * in personis Trinum; in substantia unum.

Unius, simplicis, incorporeae invisibilis; * et incircumscriptae naturae;

Quae omnia creas; omnia respicis et regis; * omnibus, o beata Trinitas, provides;

Et, sine mutatione, * omnia mutabilia facis;

In magnitudine, infinita; in virtute, omnipotens; * in Sapientia, inaestimabilis;

In iudiciis, iustissima; * et in operibus, sanctissima;

In bonitate, summa; in miseratione, copiosa; - erga nos delinquentes, patientissima; erga poenitentes, piissima;

O una Trinitas, et Trina Unitas, * quidquid creatum est, creatura tua est.

Omnipotentia tua omnia possides in natura creata, * cognoscis, et imples.

Nec adeo implere te omnia dicimus, ut te contineant; * sed ut ipsa potius a te contineantur.

Nec particulatim imples omnia; * nec ullatenus ita putandum, ut unaquaeque creatura pro magnitudine portionis suae capiat te;

Ita ut maior magis contineat; et minor minus; * dum potius sis in omnibus, et omnia in te sint et subsistant.

Omni praesentia tua concludis universa, ita nemo tuam evadenti praesentiam aditum invenit, * neque ab Oriente, neque ab Occidente; vel a Deserti montibus.

Domine Deus Trinus et Unus, si ego miser non habeo te placatum, quo ibo a Spiritu tuo? aut quo a facie fugiam tua?

Nihil sum; nihil a me possum; * nihilque scio praeterquam te Deum esse meum.

Laus tibi, charitatis, et humilitatis principium et fons, sit perennis ab omni creatura, * benedictio et aeterna gloria.

Summa tibi in excelsis sit potestas; singularis honor in Coelis et in terra.

Perpetuum Regnum, * et super omnia, sine fine, Imperium. —

— Deus humilium celsitudo, beato intercedente Francisco; * temporalis vitae subsidia nobis conferat omnibus.

Et perpetuum ipsi etiam, * ex nunc canamus hymnum.

O Fides toti dominata Mundo,
O Dei puras imitata flammas
Charitas, o magnanimo viro ambas
Pectore claudens.

Ecce naturae rata iura cedunt
Sponte Francisco, manibus retractat,
Ceu Rosas, ignes, pede calcat undas
Marmoris instar.

Siste, ait, fornax rultura; siste
Currus o praeceps; lapis et recede,
Ac, novo templo, loca linque.... parent
Omnia dictis!

Dum iubet, nullus licet ignis adsit,
Lampas ardescit; gelida unda fervet;
Dum iubet; morbi genus omne denso
Agmine cedit.

Lingua, mens, proles, oculus carenti
Auris, et gressus redeunt, coactus
Profugit Daemon, cruciata longum
Membra relinquens.

Ipsa mors nutum timet imperantis;
Nam, quibus lucem rapuit, repente
(Ille sic mandat), remeare vitae
Cernit ad auras. —

— Trinitas unus Deus, omnis auctor,
Et dator dent, tibi dum Coronas
Usque Francisco tribuis, perennes
Solvimus hymnos.

CANTICUM XL.

DOMINICA PALMARUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Ecce Rex noster Jesus Christus, venit nobis mansuetus, * sedens super Asinam, et pullum Filium subiugalis,

Hic est salus nostra; * et Redemptio Israel

Pueri Hebreorum, Redemptori obviam procedentes, sua prosternebant vestimenta in via, * et clamabant.

« Hosanna in excelsis; * benedictus qui venit in nomine Domini. » —

— Turbae, quae ad diem convenerant festum exultabant; * Palmarum ramos caedebant atque olivarum;

Pedibus substernebant eius; * et « hosanna, clamabant, Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini. —

— Quantus est iste, cui etiam throni, et Dominationes occurrunt, * benedictum regnum Patris nostri David.

« Hosanna, Filio David, clamamus nos etiam; hosanna tibi, qui Sanctorum gloriaris in consiliis. » —

Tibi, Domine Deus omnipotens, creaturae serviunt omnes; * quae te solum auctorem et Deum cognoscunt et Patrem; et te sancti benedicunt tui.

Et illud magnum Unigeniti tui nomen, libera, coram Regibus confitentur voce; * et huius saeculi potestatibus.

Cumque omnis militia coelestis exercitus, * hymnum Gloriae canunt tuae, sine fine dicentes,

« Sanctus, Sanctus, Sanctus, * Sanctus Dominus Deus Sabaoth, »

« Pleni sunt Coeli et terra Gloria tua, hosanna in excelsis; * benedictus qui venit in nomine Domini. »

— Et venit amantissimus, * humanis condolens miseriis;

Pro totius Mundi vita, cum mortis Principe pugnaturus; * ac moriendo, triumphaturus,

Te, igitur, piissime, rogo ut omnium miserearis iniquitatum mearum in beneplacito miserationis tuae, * et me in bonitate visita tua.

Perduc, quaeso, ad te videndum in triumphali laetitia victoriae tuae, cum electis tuis; * ut lauderis a me in haereditate tua.

Peccavi, iniuste egi, iniquitates commisi, multitudinis immemor gratiarum tuarum; * nec magis vecors esse potui;

Et tamen, propter nomen tuum, salva me; * et notam fac potentiam tuam;

Sic in laude gloriabor tua, et, cum turbis clamabo Judaeorum, * « Benedictus Dominus, qui salvat nos, Deus noster a saeculo, et usque in saeculum. »

Gloria, laus et honor ab omni creatura sit tibi, * Rex Christe Redemptor,

« Israel es tu Rex, Davidis et inclyta Proles; * nomine qui in Domini Rex benedicte venis. » —

Quis mihi de carnibus det tuis ut edam? * Caro tua, vere est cibus; et sanguis tuus vere est potus.

Ingredere, benedicte et benignissime; cur foris stas? * non sum equidem dignus.

Sed Jesu cordis mei, oculi ad egenum et pauperem dirigantur tui, * donec miserearis. —

— Accurre, o Maria; * quia tu unicum refugium meum es, subsidium et asylum.

Mons Dei umbrosus; basis et stabilitas pietatis, * Confessorum atque Apostolorum fulcimentum; et Martyrum corona.

Coelum vivum, continens Deum, * coelis latiorem ipsis:

Accurre, o piissima; * et tuis mihi sanctis manibus, Filium praebe tuum.

POST COMMUNIO

In nomine tuo Jesu omne genuflectatur; * coelestium, terrestrium, et infernorum

Et omnis confiteatur lingua; * quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Temetipsum exinanisti servi formam accipiens, * in similitudinem hominum factus; et, habitu, inventus ut homo.

Humiliasti temetipsum factus obe-

diens usque ad mortem; * mortem autem crucis! —

— Omnes, qui timetis Deum, laudate eum, * universum semen Jacob magnificet eum

Qui humani generis salutem in ligno constituisti crucis; * ut, unde mors oriebatur, vita inde resurgeret.

Laudet te omnis Sanctorum coetus in excelsis; * mortalis homo, et cuncta creata simul

Hebraea plebs tibi cum Palmis obvia venit; * cum prece, voto et hymno adsumus ecce tibi.

Hi, tibi passuro, solvebant munia laudis, * Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent. —

— Familiam, Domino, meam, Fratres et sorores ad victoriam dispone et triumphos

Cum omnibus, * qui per Palmarum ramos, atque olivarum praesignasti surculos.

Imple nos omnes, in vultu tuo, laetitia; * et perennes tibi cantabimus laudes.

Gloria, laus, et honor sit tibi Rex Christe Redemptor; * cui, puerile decus prompsit hosanna pium. —

— Per te etiam omnis nobis Gratia; * Sponsa, Mater, Virgo Maria.

Hosanna sit tibi, Regina Sanctorum omnium, * ac nostra in aeternum affectio. —

— Omnis tibi sit gloria
Verbum Pater, Paraclyte;
Inseparata Trinitas,
Qui condidistis omnia.

CANTICUM XLI.

HEBDOMADA MAIOR. — FERIA II.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Intende mihi, Domine Jesu, et exaudi me *conturbatus sum in tribulatione quae circumdedit me.

Timor et tremor supervenerunt; et tenebrae me contexerunt; * quales proxima inducit mors.

Et, ingemens in angustia mea, dixi; * « Quis me dabit pennas sicut Columbae; et ad loca volabo tuta et requiescam ? »

In tot adversis, * ex infirmitate deficio mea;

Sed scio, Domine, quod non dabis, in aeternum, fluctuationem iusto; * imo peccatorem sublevabis in te confidentem.

Domine, non secundum peccata mea retribuas mihi, * cito anticipent me misericordiae tuae, quia pauper factus sum nimis.

Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte, * intende deprecationem meam, et exaudi me.

Omnem in te iacto curam meam; * tu enutries me; et, in bonitate tua, liberabis me.

In te spero, quia corpus dedisti tuum percutientibus; * et faciem non avertisti ab increpantibus et conspuentibus.

Deus, auxiliator meus, innitar super te, * et quis est qui condemnabit, et prosternet me?

Fidelis et verus amicus, Domine Jesu; * tu, te diligentes custodis, defendis a malo; et a periculis liberas.

Tu, amorem cordis tui, multimodis, * nobis detegis, et confirmas.

Et, in prosperitate non minus ac in adversitate; in vita ac in morte, * nos aeque diligis.

Tu, propter Patres, Filios amas, * imo, propter unum in civitate bonum, multos scelestos a perditione liberas;

Erige, ergo, cor istud durum; et, in te amando, frigidissimum; * vita et gloria mea dilectio tua sit.

Non honori, vel scientiae plausus; nec etiam humanarum virtutum comitatus animam impleant meam; * sed sola amoris tui plenitudo.

In te divitiae scientiarum sunt, et vera gloria; * idest Gratia, Sapientia, et dilectionis suavitas;

Tu diligentes te ditas; * et thesauros reples eorum. —

— Domine Jesu, amor consumens, * quantam in passione tua doctrinam ostendisti nobis.

Et quale nobis reliquisti amoris exemplum, * et dilectionis;

Per istam Passionem et Mortem, * tuis servientes protege mysteriis;

Ut divinis inhaerentes rebus, * corpore famulemur tibi et mente. —

— Accingite vos Sacerdotes, altaris ministri plangite, * Fratres aspergite vos cinere.

Concedat nobis ipse, nostra, per abstinentiam, conteri corpora; * ut culpae relinquant pabulum ieiuna corda criminum. —

— Pastorem Ecclesiae tuae, et Regem nostrum; * nostrasque familias assidua protectione conserva.

Et omnes, qui sese nostris commendarunt orationibus, * ne sinas humanis subiacere adversitatibus.

POST COMMUNIO.

Ego, miser et pauper; coecus et nudus, * Regem Coeli et terrae, Filium altissimi, in pectore hospitavi meo.

Deus meus, adiutor et protector meus: * Deus susceptor, et cornu salutis meae.

Recordatus es mei, et non dereliquisti me; * diligam te ex toto corde meo, fortitudo mea et firmamentum meum;

Fidelis amicus es tu, * et tua omnem aliam excedit amicitiam.

Deitate, et creatione, Pater meus es, * humanitate et redemptione, Frater meus;

Tu nobis consulis; * et, dulciter nos mones quae facienda nobis sint.

Et si timorem quandoque ingeris, * sanctus ipse timor tuus opportune dilectionem gignit.

Ideo, quidquid acceptum habemus, tibi, pro debito referendum est; * et a te insuper aeternitates expectamus proemium.

Idcirco amorem tuum, * magis magisque in interioribus infunde nostris;

Et perfice, ut semper diligamus te Dominum, * ac Deum nostrum:

Conserva nos in observantia mandatorum tuorum; * ut, custodientes ea, complaceamus tibi. —

Et ad tuum, Regina Maria, nos confugimus patrocinium; * alterum nobis, ex Deo solatium es;

Altera itineris nostri es directio; infirmitatis nostrae pharmacum; * et expletio dispensationis Conditoris.

Mortalium erectio altera; Daemonum eversio, * debilitatis nostrae virtus; * et mendicitatis subsidium;

Altera nostrorum vulnerum medela; * dolorum relevatio; et vinculorum solutio.

Quam summae dignitatis est, bone Jesu, et utilitatis, * tibi et Matri servire tuae.

In te, ac in ipsa pax est, * et reconciliatio nostra.

Quam summae utilitatis est, et iustitiae, te timere; * et quam magnae aequitatis et sanctitatis mandata custodire tua.

Largire mihi, ergo, intellectum ad tuam cognoscendam voluntatem; * ut te inveniam.

Sapientiam profunde, * ut te diligam,

Et perseverantiam; * ut te fruar ipsa;

Per crucem et passionem tuam, merear tandem tecum vivere et esse, * et in tua, sine fine, bonitate laetari.

Merear, atque, de hac aerumnosa vita beatus, * tibi hymnum in saecula canere.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens;
Quando pomi noxialis

In necem morsu ruit;
Ipse lignum tunc notavi
Damna ligni ut solvere.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat;
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret;
Et medelam ferret inde
Hostis unde laeserat. —

— Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria;
Aequa Patri, Filioque
Par decus Paraclyto
Unius, Trinique nomen
Laudet Universitas.

CANTICUM XLII.

HEBDOMADA MAIOR. — FERIA III.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Non sunt condignae hujus temporis passiones ad supervenientem quae in nobis revelabitur gloriam; * et praemiorum megnitudinem.

Necessitates, angustias, et quodpiam tolerare quidem malum non possumus; * nec ullum superare periculum, nisi in virtute Dei.

Attamen, pro tua in nos pietate, iugum quod gerimus leve est; * et iucundum saepe fit ac suave.

Tu tempus noscis et modum liberandi nos; ideo nos tibi resignamus ipsos, * scientes quod non nostro nos fraudaberis desiderio

Misereatur ideo nostri Deus et benedicat nobis; * vultum super nos illuminet suum, et misereatur nostri.

Derelinquat, Deus totius miserationis, impius viam suam; * et vir iniquus cogitationes suas.

Revertatur ad te Domine, * ut miserearis eius.

Benignus et misericors es Deus noster, * et praestans super fragilitate hominum.

Neminem spernis ad te confugientem; * et si flagella irrogas, per poenitentiam placaris.

Utique, Spiritus contribulatus, est tibi Sacrificium redolens; * et cor contritum et humiliatum benigne excipis. —

— Ecce, viri Fratres, nunc tempus acceptabile; * ecce nunc salutis dies.

Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei Filios, in multa patientia; * in ieiuniis, in vigiliis, et in charitate non ficta. —

— Et tu, Domine, populum propitius respice tuum; * et, quod ab escis praecipis abstinere carnalibus, a noxiis quoque cessare concede. —

— Poscit hoc tibi advocata illa, quam apud te habemus potentissimam; * quae te in utero gestavit suo, te peperit, et pro nobis crucifixum, in sinu fovit suo.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis conditor;
Atque, ventre virginali,
Carne amictus prodit.

Vagit infans inter arcta
Conditus Praesepia;
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.

Profecto, venter tuus, o Maria, vallatus est liliis, * sicut acervus tritici;

Suave olens; * et corusci Divini luminis fulgore nitens;

Unum granum frumenti in utero tuo; * fuit Christus Dominus;

Sed, in Primogenito tuo, plurimos edidisti ad salutem fructus; * et, vitam pariendo, multos ad vitam prodisti.

Quare impetra, ita sacra mereamur peragere mysteria: * ut, bonis domus tuae satiati, plenariam percipiamus indulgentiam.

POST COMMUNIO

Domine Jesu, per incarnationis tuae mysterium; * nobis parce miseris.

Per nativitatem et infantiam tuam; * nobis succurre miseris.

Domine Jesu, per labores et passionem tuam; * nos exaudi derelictos.

Per crucem et mortem tuam, * ab omni nos adversitate defende, et ab aeterna libera perditione.

Concede concupiscere ardenter, quae tibi placita sunt, * veraciter agnoscere, et perpetuo adimplere.

Annua nos purifica quadragesimali observantia, * ut, quod abstinendo nitimur obtinere, id bonis exequamur operibus.

Praesta beata Trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jeiunorum munera.

Domine Jesu, per Sanguinem pretiosum tuum, quem nobis in altari reliquisti, * propitius nobis sis, et salva nos.

Ausculta hymnum, quem tibi, positis genibus, canimus; * propter pietatem nos exaudi tuam.

Salvete Christi vulnera
Immensi amoris pignora
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

Nitore stellas vincitis
Rosas odore et balsamo
Pretio lapillos Indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Jesus in Praetorio
Flagella nudus excipit,
Quot scissa pellis undique
Stillant cruoris guttulas!

Frontem venustam, proh! dolor.
Corona pungit spinea;
Clavi, retusa cuspide,
Pedes, manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amans, volensque spiritum.
Pectus feritur Lancea
Geminusque liquor exiit.

Ut plena sit Redemptio
Sub torculari stringitur;
Suique Jesus immemor
Sibi nil servat Sanguinis!

— Venite quotquot criminum
Funerea labes inficit
In hoc salutis balneo
Qui se lavat mundabitur.

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine
Sanctoque firmat Spiritu.

Tu dixisti « erit sanguis Agni vobis in signum, * videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens. »

Te ergo, quaesumus, tuis subveni famulis, * quos pretioso redemisti Sanguine. —

Da summa nobis Trinitas
Divina, puris mentibus,
Tibique sancta iugiter
Sanctis litare cordibus.

CANTICUM XLIII.

HEBDOMADA MAIOR. — FERIA IV.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Omnes nos quasi oves erravimus, * unusquisque in viam declinavit suam.

Attamen Deus, humanis condolens miseriis, * iniquitates omnium nostrum in Filio posuit suo.

Et hic vulneratus est, * et, propter scelera attritus nostra;

Oblatus est, quia ipse voluit; * et non aperuit os suum.

Disciplina pacis nostrae super eum; * et eius sanati sumus livore.

Hoc, quidem, nostrae salutis ordo, depoposcerat; * et humana repararetur natura, Adae peccato perdita; atque auctori reconciliaretur suo.

Dedit, itaque, humana natura Deo, in illo homine sponte, non ex debito, quod suum erat; * ut se in aliis redimeret,

In quibus, quod ex debito exigebatur, * reddere non habebat.

Et copiosa est apud Deum redemptio Filii Dei et hominis, * et certe dicam infinitam;

Quia vitae huius oblatio, omnem exuperat peccatorum multitudinem; * quae fingi, et etiam extra mundum excogitari possunt.

In omnibus his Divina non est humiliata natura; * sed humana est exaltata.

Nec est illa immutata; * sed ista misericorditer est adiuta.

Abba Pater, nonne hic est ille innocens summus Dominus servilia ferens membra? * ut quem tradidisti ut servum redimeres infidelem?

Auctor vitae hic est, qui, ut ovis ad occisionem ductus, * tibique obediens ad mortem usque, atrocem non timuit subire passionem.

Recole, totius salutis nostrae dispositor, quia hic ipse est, * quem, etsi ex tua genuisti substantia, meae tamen infirmitatis participem esse voluisti.

Verus hic est Deus, qui, meam indutus naturam, crucis ascendit patibulum; * assumptaque carne triste tulit supplicium. —

— Converte, igitur, Deus meus, oculos maiestatis tuae super opus ineffabilis pietatis tuae; * et intuere dilectum natum toto extensum corpore.

Innocuas cerne manus sanguine promanantes: * et, placatus, scelera, quae manus patraverunt meae, remitte.

Considera inerme latus; crudeli fossum cuspide; * et me renova sacro-sancto fonte illo, quem inde fluxisse credo.

Immaculatos vide pedes, * qui in viis non steterunt peccatorum, sed semper in lege ambulaverunt tua.

Vide diris illos confixos Clavis; * et, in tuis semitis gressus dirige meos.

Fac me odio habere omnes iniquitatis vias, * et peccandi occasiones amove;

Facque, propitius, iustitiam semper diligere, * et veritatem semper sectare.

Ecce advocatus meus apud te Deum, * et Patrem,

Ecce summus Pontifex, * qui alieno expiari non eget Sanguine, sed proprio ad salutem fulget cruore perfusus.

Hostia ecce, sancta, perfecta, et super altaria beneplacens nostra; * in odorem suavitatis oblata et accepta.

Ecce Agnus, sine macula, * qui, coram tondente se obmutuit.

Qui plagis caesus; sputis illitus; probris affectus, os non aperuit suum; * o vis infiniti amoris.

En qui peccatum non fecit, et peccata pertulit nostra; * nostrosque, livore suo, sanavit languores.

Pater clementissime, respice eum qui patitur; * et benignus eorum, pro quibus patitur, reminiscere.

POST COMMUNIO

Oramus nunc te, Rex saeculorum, per hunc Jesum Christum Filium tuum; * cuius nos gaudere divina tribuisti sumptione, adiuva nos.

Ita ut, mandatorum tuorum percurrentem viam, * spiritu uniri valeamus qui nostrae non horruit concorporari humanitati.

Numquid, pie Pater, non attendis adolescentis Filii clarissimum caput, * nivea deflexa cervice, pretiosa resolutum in morte?

Aspice, mitissime Conditor, dilectae sobolis humilitatem: * et miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

Candet nudatum pectus; cruenta-

tum; rubet latus; tensa arent viscera; * decora languent lumina;

Regia pallent ora; procera rigent brachia; marmorea pendent crura; * et, terebratos pedes rigat sacri sanguinis unda.

Specta, gloriose Genitor, gratissimae Prolis lacerata membra; * Dei hominis conspice poenam; et conditi hominis releva miseriam.

Licet ipse sit dilectus in quo tibi bene complacuisti, * tamen, propter populi peccata, cum iniquis deputasti; et ad exitium percussisti. —

— Sed, si adhuc nos pro nostra, ut meremur, despicis iniquitate; * pro dilectae matris eius intercessione, iuxta crucem Filii stantis tui, misericors ignosce.

Miseratio tua erga nos, * misericordem ipsam fecit;

Ideoque secum filii tui recolentibus Passionem, * liberum ad thronum gratiae tuae aditum facit.

Summae Deus clementiae
Septem doloris Virginis
Plagasque Iesu Filii
Fac rite nos revolvere.

Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae,
Fluctus tot inter devios
Tutam recludant semitam.

Sit quinque Iesu vulnerum
Amara contemplatio,
Sint et dolores Virginis
Aeterna cunctis gaudia. —

— Iesu, tibi sit gloria
Qui passus es pro servulis
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula — Amen.

—

CANTICUM XLIV.

HEBDOMADA MAIOR. — FERIA V.
IN COENA DOMINI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

Ecce appropinquat hora, et filius hominis in manus tradetur peccatorum; * ut crudeliter divexent eum, conculcent et crucifigant.

Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem! * vere languores nostros ipse tulit; et dolores ipse portavit nostros.

Amicus eius Judas, mercator pessimus, osculi signo tradidit eum; * consummavit Deicidium, et laqueo sese suspendit.

Lustra sex, qui iam peregit
Tempus implens corporis
Sponte libera Redemptor
Passioni deditus,
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet
Spina, Clavi, Lancea
Mite corpus perforarunt,
Unda manat et cruor
Terra, Pontus, Astra, Mundus
Quo lavantur flumine.

Dilexisti nos, Domine, fons veri amoris; * quapropter nostram mortalem induisti carnem.

Fortiter nos dilexisti, et suaviter, quia crudelissimam et turpissimam pro nobis sustulisti mortem; * et in virtute redemisti nos tuae. —

In carnis assumptione accommodasti te nobis? in peccandi impotentia consuluisti tibi; * et Deo Patri in mortis satisfecisti receptione.

Et sic, Domino Iesu; nostra vita, et ineffabilis suavitas; consiliarius prudens et fortis, * adiutor etiam factus es nobis miseris. —

— Et ultra amor excrevit tuus; *

nam, sicut ad salutem operandam visibilis in terris descendisti;

Ita, quotidie, realiter et personaliter, licet invisibiliter, praesens in altari ades, * nostras reficiens animas.

In qua nocte tradebaris, accipiens panem, et gratias agens; * fregisti et dixisti;

« Accipite et manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; * hoc facite in meam commemorationem. »

Similiter et Calicem accepisti, postquam coenasti, et dixisti;

« Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine; * hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. »

« Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, * donec veniat. »

Pange lingua gloriosi, etc. (*)

Respice, Domine, * super hanc familiam tuam; pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium; * et Crucis subire tormentum.

Memento, Domine, si tibi placet, summi Pontificis; * memento et Regis nostri;

Mei parentum, * cognatorum, fratrum memento, et sororum;

Amicorum, benefactorum spiritualium et temporalium, * omniumque Christianorum;

Inimicorum memento meorum; * et omnium; pro quibus scis et vis me debere coram te perfundere preces.

Converte in tua miseratione, * propter gloriam nominis tui, omnes, qui in te, et in proximum inique peccant. —

— Apud te mater intercedat dolorosa, * et peccatorum refugium.

(*) *Totus hic iste et celebratus hymnus integer canitur.*

Ager Domini, * generans sine semine frugem.

Indumentum lucis, et virtutis domicilium, * sacrarium plenitudinis totius Divinitatis, ora pro nobis.

Imperatrix clementiae
 Rorem infunde gratiae
 In meum cor tam aridum,
 Ut tibi fiat placitum.
O Regina beatorum,
 Nostri spes exilii
 Fac, infractus vi malorum,
 Fiam consors Filii. — Amen.

POST COMMUNIO

In ultima Coena, quando Dominus Jesus, Paschate cum Discipulis celebrato, * transiturus de hoc ad Patrem erat Mundum, mirificum hoc instituit Sacramentum.

Ineffabilem modum Divinae praesentiae, * in Sacramento visibili, nos plebs veneramur fidelium,

Deus Trinus, per concomitantiam in eo, et unus, * Filius tantum in humana subsistens natura, et omnia regens per saecula;

Et Dei potentiam laudamus; * quae tot, in eodem Sacramento, mirabilia renovat;

Nullum Sacramentum est isto salubrius, * quo peccata expiantur et purgantur;

Quo virtutes augentur; * et mens, omnium spiritualium charismatum abundantia, impinguatur.

Ad omnium nostrum salutem institutum, * offertur in Ecclesia pro vivis et pro defunctis,

Recolitur memoria illius excellentissimae dilectionis; * quam in sua nobis ostendit passione.

Et quis suavitatem Sacramenti hujus exprimere sufficit? * per quod spiritualis dulcedo in suo gustatur proprio fonte.

Sic charitatis suae immensitas, fidelibus inhaeret cordibus; * ex qua candidum inducent decus.

Sic Passionis suae, memoriale perenne, * est impletivum veterum figurarum;

Et sic maximum miraculorum ab ipso factorum, * nobis velut singulare solatium, contristatis reliquit.

« O sacrum convivium, * in quo Christus sumitur. »

« Recolitur memoria passionis eius; * mens impletur gratia; et futurae gloriae nobis pignus datur. » —

— Memento Domine Jesu, si tibi placet animarum omnium; * et earum, praesertim, improvvisa morte exutarum;

Earum etiam, quarum specialis non est memoria,

Animarum memento, quae, mei occasione, in Purgatorio expiantur; * et omnium in illo existentium carcere.—

— Genitori, Genitoque
Laus et iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benediction:
Procedenti ad utroque
Compar sit laudatio. Amen.

CANTICUM XLV.

IN PARASCEVE. — FERIA VI.

(Canticum tergeminum)

Idest Canticum I. ad Matutinum, et ad audiendam missam; quae concluditur ex praesanctificatis. — *Canticum II.* ad Laudes. — *Cantic. III.* ad Vesperas.

Canticum primum

Ad Matutinum.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Christum Regem, pro nobis, in cruce exaltatum, * viri fratres, venite adoremus;

Nobile lignum subievatur, * Christi rutilat fides, dum crux ab omnibus veneratur.

Heu mihi quantum impedior lacrymis, * rabidum memorans tumultum contra Jesum Dominum excitatum.

Non quievit, plebs execranda illa sacrilegas movere manus; * vel colaphis pulsare eum; vel caedere palmis.

Vel vacuo invalido fragili arundinis illudere sceptro; * aut spuere in faciem eius.

Tu ne, cruente, ferox, audax, insane, rebellis, perfide, crudelis, fallax venalis, inique proditor Juda, tanti causa livoris fuisti? * vel peccatis egomet meis?

Et ille, magister, Dux, Pater, Pastor, amicus et frater meus, * corpus ignominiis subiecit.

Omnia potentissime sustinuit; * meaeque resignavit sua membra salutis!

Vili sub tegmine rubri, coccinea vestitur chlamyde, * ut cuncta imago foret cruentae mortis!

Spinis circumdari nexa corona divinum sinit caput; * quia, benignus, nostrorum malorum spineta susceperat omnia. —

— Et tu, Pilate, corripis insontem, sistis sub Praeside Regem! * praeponisque humana Deo!

Flagellis, sensibus, alaphis, iam toto cruentatum corpore, * in manibus furentis dimittis plebis!

Qua morte teneris; * qui Dominum numerosa cruci per vulnera figis?

Si tot crimina, * uno indiguo non commisisses iudicio;

Si, pavidus et iniustus, manus non lavisses, * toto corpore et anima consecuturus eras a Redemptore tuo sacrum veniae lavacrum. —

— In medio latronum, * cruci affixerunt eum.

Hi mundo sunt quippe rei; huic reus est mundus pro crimine multo; * mundus sanguine salvatus iusti. —

— In huius morientis exuvias sortem miserunt; * ut, sacra vestis, intemerata manens, significaret vetustum

in Ecclesia excommunicatum schisma. —

Interea horrendae subito venere tenebrae, * quae totum tenuere polum; et, migrantem, texere diem.

Sol, nube corruscos abscondens radios, tetro velatus amictu, delituit; * tristemque infecit luctibus orbem.

Lux Sidere novo, nascentis Domini tempore fulsit; * sic, hoc moriente, recessit.

Non absens mansurâ diu; * sed mystica signans per spatium secreta suum;

Quippe, ut tribus horis coeca tenebrosi latuerunt sidera Coeli, * sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchri.

Et ubi cuncta bona completa est Passio Christi; * ipse animam proprio dimisit corpore sanctam.

Ipse iterum sumpturus eam, qui mortuus idem, * idem qua Deus vivus erat.

Cuius virtute retrorsum Infernae patuere viae; * ruptaeque fatiscunt divisa compage petrae.

Rediviva iacentum corpora sanctorum, fractis abiere sepulchris, * in cineres animata suos! —

— Dic, nunc, tristis victoria; * dic, ubi nunc sit mors stimulus horrenda tuus?

Quae semper opimis instaurata malis, * cunctas invadere gentes poenali ditione soles?

En, pessima, non tu pervenis ad Christum, * sed Christus pervenit ad te;

Ut a cunctis nos vetustates emundaret squaloribus, * et, ad honorem nostri reformaret principii;

Quippe, omnia gignens, omnia constituens; te non formavit, ut semine vipereo esses, * culpa genitrice crearis; et, venia regnante, peris.

Canticum II.

Ad Laudes.

Illudit miles, Populusque insultat; * et audet regales Christi perfidus in titulos!

Pontifices, divo gaudentes crimine, plaudunt, * pessundant leges, et sacra iura nefas!

Terrarum quatitur moles; natura fatiscit; * clara dies nigras conditur in tenebras!

Discipulos, notosque fugat luctusque metusque, * sola cruci adsistit non tremefacta parens.

Confixus probroso inter ludibria ligno, * victima placandi numinis Agnus obit. —

— Sancta Crux, a cunctis adoratur Regibus, * virga regia erigitur, in qua Salvator triumphavit.

Adeamus, ergo, cum fiducia ad gratiae thronum, * ut misericordiam consequamur, et gratiam in auxilio inveniamus opportuno.

Jesu Nazarene, Rex Judaeorum, * miserere mei.

Omnium miserere * pro nobis generaliter et specialiter sancta orat Ecclesia.

*« Agios o Theos, Agios ischyros; * Agios athanatos, eleison imas; »*

Sanctus Deus, sanctus fortis; * sanctus et immortalis, miserere mei. —

— Sed recessit Pastor noster bonus; * ad cuius transitum Sol obscuratus est.

Hodie portas mortis, et seras, pariter Salvator disrupit noster: * amara mors ubi est stimulus tuus?

Claustra quidem destruxit Inferni, * et Diaboli subvertit potentiam. —

— Crucem, iterum, ergo adoramus tuam, Domine; * ecce enim, propter lignum, hoc venit gaudium in universum mundum.

Et reminiscimur, quia in hac Cruce, Christus Dominus, clamore valido

et lacrymis, pro nobis oravit, * et pro sua exauditus est reverentia.

— Ex hac cruce, antequam divinam exhalaret animam, * concionatus est nobis;

Et virtute vocis eius, non solum hominum corda qui redibant pectora tundentes sua; * sed etiam petrae scissae sunt.

Audiamus, ergo, ex Crucis cathedra, pauca ardentia morientis verba,* et altius in nostris figamus pectora, custodiamus, adimpleamus.

« Pater dimitte illis, * non enim sciunt quid faciunt. »

Pro nobis omnibus transgressoribus rogavit Patrem; * ut, cum inimici essemus, per mortem nos Deo reconciliaret suam.

Rogamus nos etiam cum Christo Jesu quae ad pacem sunt Itierusalem; * et pro omnibus; * et pro omnibus Dei nostri aversantibus rogamus veniam et pacem.

Fiat pax super omnem terram in virtute sua; * et abundantia in turribus suis;

Jesus Christus, viri Fratres, cum omnibus habet pacem, nullum reputat inimicum.

Et cum iis, qui pacem oderunt, * pacifice vixit, et pacifice mortuus est.

Ipse magister noster est et Dominus, * quare obediamus ei inimicos diligentes nostros.

Benefacientes etiam his qui oderunt nos; * et pro persecutoribus orantes et calumniantibus.

—Bonus latro, cruci affixus,* Dei iuvante gratia, peccata confessus est sua.

Et lumine crescente gratiae, clamavit, * « Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.

Christus ei respondit * « amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso. »

O divinae potentia gratiae, quae insignem latronem, in teterrimo illo statu perseverantem usque ad Crucis supplicium, illico salvat, * et ad gloriam adducit Patris!

Magna spes est peccatoribus, quod quovis possint tempore ad Deum converti; * et miserationem invenire.

— Crucifixe victor, criminum expiator, * ab obrupto malis chao, traducat ista me ad te benedictio.

— Domine propitius esto mihi; * et, quamquam multa sint peccata mea, memento mei dum veneris in regnum tuum.

— Et, cum vidisset Jesus Matrem suam, et discipulum stantem, quem diligebat, Matri dixit suae, * « Mulier, ecce Filius tuus. »

Deinde dixit Discipulo, * « Ecce mater tua. »

Et ex illa tertia hora, * Discipulus Johannes, accepit Mariam Virginem in matrem suam.

Quo facto, Christo amantissimus, * ipsam matrem suam omnium credentium constituit matrem;

Et unicuique nostrum dicit, * ecce mater tua. »

Et quis tam stultus est, * ut in matrem non adstipularetur suam Mariam?

Mariam Creatoris matrem, mundi Dominam, et Coeli Reginam;

Quam bene nobis erit sub praesidio tantae matris! * quis de sinu audebit nos detrahere Mariae.

Quae nos tentatio, quae tribulatio,* in patrocinio matris Dei et nostrae confidentes, superare poterit?

Ave Maria, gratia plena, * pax, gaudium, et mundi salus;

Ave portus procellis vexatorum; * clausorum liberatrix;

Orphanorum, ave, et viduarum susceptrix; * arcus es foederis et reconciliationis nobiscum,

Captivorum ave redemptio; aegrotantium et morientium exultatio; * civitas Dei et Beatorum corona;

Benedicta tu in mulieribus; * quia maledictionem a nobis sustulisti;

Benedictionem insuper apportasti; Coelique ianuas aperuisti; * et pulchritudinis diadema nobis intexuisti.

Si criminis, viri Fratres, immanitate turbati sumus; conscientiae foeditate, confusi; Judicis horrore perterriti, * Mariam oportet ut cogitemus;

Si diffidamus, et desperationis nos obruet tristitia, * utile est ut Mariam invocemus;

Etiamsi interminabilis, nostris sub pedibus, aperiatur abyssus, et barathrum iam iam nos absorbeat, * necesse est, ut confugiamus ad Mariam.

Dei sequentes matrem, non deviabimus, ipsam cogitantes non errabimus; * ipsam rogantes nuuquam desperabimus.

Beatis ideo illius pervolvamur pedibus: teneamus eam, * et, conquerentes, non dimittamus, donec benedixerit nobis.

— Regina Martyrum, per ardentissimam charitatem tuam, fac me plagis Filii tui, * tuisque vulnerari doloribus.

Tua me fac intercessione, recte suis uti beneficiis in vita; * ut, tandem in morte sua fruar gloria, mihi per eius passionem adquisita et mortem.

Canticum Postremum

Ad Vesperas.

Jam Spiritus artus liquerat ad tempus; * patulo iam frigida ligno viscera pendebant;

Adhuc furor, arma ministrans, * cuspide perfossum violat latus.

Ecce patenti vulnere purpureus cruor, * et simul unda cucurrit.

Haec sunt, quippe, sacrae, pro Religionis honore, * Corpus, Sanguis, Aqua, tria vitae munera nostrae.

Fonte renascentes, membris et sanguine vescimur Christi; * atque ideo templum Deitatis habemur.

Quod servare Deus nos annuat immaculatum, * et faciat tenues tanto mansore capaces.

Gloriam Patri melodis
Concrepemus vocibus,
Gloriam Cristo canamus
Gloriam Paraclyto
Qui trinus et unus Deus
Extat ante saecula.

CANTICUM XLVI.

SABBATUM SANCTUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Haec sunt Paschalia festa, in quibus verus ille occiditur Agnus Sanguine Fidelium consecrantur postes.

Jam vero intelligimus, non fuisse excellentius, quod initio factus est mundus; * quam quod in fine saeculorum Pascha nostra immolatus est Christus.

Haec nox est, in qua destructis mortis vinculis, * Christus ab inferis victor ascendit.

Victor triumpho nobili; * spoliis onustus opimis.

Haec nox est, quae peccatorum tenebras, columnae illuminatione purgavit; * et quam iamdiu praeconia predixerat vatum;

Laetatur et mater Ecclesia tanti luminis adornata fulgoribus, * et nos ad tam miram huius sancti luminis claritatem, Dei omnipotentis invocamus misericordiam.

Gaudeat et terra tantis irradiata fulgoribus, * et se sentiat amisisse caliginem, aeterni Regis illustrata fulgoribus.

— Omnes in universo mundo, qui in Redemptione Jesu Christi credunt, et, a saeculi vitiis, et a peccatorum segregantur tenebris; * Dei acquirunt gratiam, sanctisque sociantur.

Sanguis Christi Jesu, fugat scelera; culpas lavat; * et, lapsis, innocentiam redintegrat;

Moestis, laetitiam affert, et fugat odia; * concordiam parat; et imperia curvat.

In hac spe, mens requiescit mea; *

in pace, tandem, dormiam in idipsum et resurgam.

Domine, Jesu, nobis, contra peccati oblectamenta, ratione concede resistere, * ut pacem aeternam acquirere mereamur.

Promissionis filios sacra adoptione dilata; ut Gentium vocatione, Ecclesiae multiplicentur propagines; et in accepta persistant fide et pietate.

— Ad tuam nos condidisti imaginem; * ideo rogamus, ut omnium peccatorum nostrorum deleas maculas;

A cunctis nos vetustatis emunda squaloribus; * et ad honorem nostri reforma principii.

Ab omni, in posterum, malo, et ab omni nos, Domine, libera peccato; * et a perpetua morte.

Per mysterium sanctae incarnationis tuae; per Adventum et Nativitatem tuam, * audi nos Domine;

Per Infantiam, humilitatem et languores tuos, * ne nos, bone Jesu, despicias;

Per baptismum, et sanctum ieiunium tuum, * nos collige dispersos;

Per crucem et passionem tuam, mortem et sepulturam tuam, * parce nobis Jesu.

Per resurrectionem, et admirabilem ascensionem tuam; et, per adventum Spiritus sancti Paraclyti, * salva nos Domine Jesu;

Et, dum ad celebranda accedimus Paschalia Sacramenta, * utriusque testamenti paginis, tu, magister noster, nos instrue.

Nobisque intelligentiam aperi, * quomodo ex digna praesentium munerum perceptione, futurorum habeamus firmam expectationem.

— Mater Dei, digna digni; formosa pulchri; munda incorrupti; * excelsa Altissimi sponsa aeterni Regis:

Mater totius veniae et pacis, te laudamus; tuum imploramus auxilium; * tecumque collaetamur.

POST COMMUNIO

Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion; * et vestimentis gloriae tuae.

Solve, dilecta Deo, tui vincula colli; captiva filia Hierusalem, * divino iam redempta sanguine.

Exultet iam Angelica turba Coelorum, coelestia celebrent mysteria; * et pro tanti regis victoria tuba insonet salutaris.

Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit nos et redemptionem plebis fecit suae.

— Erravimus, Domine, ab utero matris nostrae; quia in peccatis concepti sumus; * et, supra numerum, peccata concreverunt nostra.

Magnam continentes miseriam nostram, * magnam invocamus et expectamus misericordiam tuam.

Quia, ubi misericordiarum infinitus est numerus; * oportet etiam miserationum infinitus sit thesaurus.

Scapulis tuis caput obumbra nostrum; * et sub pennis sperabimus tuis.

Scuto circumda nos veritatis tuae; * et non timebimus a timore nocturno, a spectris incusso et latronibus;

Neque a sagitta volante in die; * vel a quovis terrisono negotio perambulante in tenebris.

Aut ab incursu Daemonii, * aperto nocentis in meridiano.

Attende, Domine, et miserere; * quia peccavimus tibi

Audi, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadrigenario.

— Magnifica, nunc, anima mea Dominum, * et in Deo exulta salutari tuo;

Neque cesses laudare Genitricem eius Mariam; * eique dignas persolvere grates;

Cuius, ipse Dominus, humilitatem respexit, * et quam virtus obumbravit Spiritus sancti.

Hinc vocem extollamus, dicamusque, * « tota pulchra es, o Maria; et iam tum beatam praedicarunt, et omnes praedicant generationes.

Quia magnam te fecit, qui pius est et sanctus; * qui misericors et potens;

Et miseratio eius, in te, et per te, protenditur a progenie in progenies, * timentibus eum.

Ita humiles exaltat Deus, * abiicitque superbos.

Ita misericordiae recordatus suae, * per te suscipit eos, qui Filii sunt repromissionis.

Bone Jesu, omnis Ecclesiae conventus te cognovit, * ed adoravit, cum de illa prodiisti, ut nos redimeres.

In te, et in illa, * omnes benedicentur Nationes.

Fac rogamus, et complementum mortis tuae, et divinae promissionis,* totius mundi sit salus et resurrectio.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium;
A morte dira criminum,
Vitae renatos libera — Amen.

CANTICUM XLVII.

DOMINICA PASCHAE RESURRECTIONIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me, * *Alleluia, alleluia.*

—Revera de sepulchro surrexit Dominus; * qui pro nobis in ligno pependit crucis.

Ecce terremotus factus est magnus;* Angelus Domini descendit de Coelo; et, accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum.

Erat autem flammeus aspectus eius; * et praeclarum, sicut nix, vestimentum eius.

Haec dies, quam fecit Dominus, * exultemus et laetemur in ea.

Sat funeri, sat lacrymis,
Sat est datum doloribus,
« Surrexit extinctor necis »
Clamat coruscans Angelus.

Aeternitatis nobis aditum, devicta morte. Christus reseravit; * vota nostra, quae praeveniendo aspirat, etiam adiuvando prosequatur.

Vetus, viri Fratres, expurgamus fermentum: * ut nova simus conspersio, sicut sumus azymi.

Epulemur non in fermento veteri; neque in fermento malitiae et nequitiae; * sed in azymis sinceritatis, et veritatis.

Victimae Paschali, * laudes Immolent Christiani.

Agnus redemit Oves; * Christus Innocens, Patri reconciliavit peccatores.

Mors et vita duello conflixere mirando, * Dux vitae, mortuus, regnat vivus.

Dic nunc nobis Maria, * quid vidisti in via?

« Sepulchrum Christi viventis; * et gloriam vidi resurgentis. »

« Angelicos testes, * sudarium et vestes, »

« Christus spes mea, * praecedet vos in Galilaea. »

— Scimus, itaque, Christum vere resurrexisse a mortuis; * tu nostri, Rex victor, miserere.

— Et diem celebrantes resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, * memoriam etiam veneramur exultationis gloriosae semper virginis Mariae.

Regina Coeli, laetare, *alleluia*; quia, quem meruisti portare, resurrexit; * ora pro nobis Deum *alleluia.*

Tu es nostra mater, quia mones quaerere, * et invenire doces Filii tui gratiam;

Tu, quae pulsare instruis; et, pulsanti, Coeli ianuas aperis; * monstra te esse matrem, nobis, Filium tuum, tuis porrigens manibus.

Confirma nos infirmos; perditos re-

staura; et mortuos resuscita; * quia Sponsa Dei es et tui pronuba nati.

Tu omnes sensus, cogitatus, et actus dirige nostros; * in beneplacito dilecti Filii, tui Domini nostri Jesu Christi.

POST COMMUNIO

Ad regias Agni dapes
Stolis amicti candidis,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus Principi.

Divina cuius charitas
Sacrum propinat Sanguinem,
Almique membra Corporis
Amor, Sacerdos, immolat.

Sparsum cruorem postibus
Vastator horret Angelus;
Fugitque divisum mare;
Merguntur hostes fluctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est;
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera Coeli victima
Subiecta cui sunt Tartara,
Soluta mortis vincula;
Recepta vitae praemia.

Victor, subactis inferis
Trophaea Christus explicat,
Coeloque aperto, vinculis
Regem tenebrarum alligat.

Hierusalem patriam meam; Hierusalem matrem meam; * teque Jesum super eam regnantem, anima concupiscit mea.

Concupiscit videre Patrem et Redemptorem, * mortis triumphatorem et Inferorum.

Oculum non avertam a te Hierusalem; * nec desiderium meum, donec in te pausem et requiescam.

Collige, bone Jesu, mei Spiritus primitias; * et in bonitate tua deformitatem corrige meam.

— Nolite, viri Fratres, conformari saeculo huic, * nostras cohibeamus affectiones, quibus moriebamur malo vivendo.

Et bene vivendo, * incipiamus esse animae viventes.

Mane astabimus, et videbimus vultus Dei nostri, * qui vivificavit mortalia pectora nostra, propter Spiritum, qui habitat in nobis;

Qui, misericorditer, superferiur super tenebrosum interius nostrum; * unde, in peregrinatione ista pignus accipiamus bonitatis eius; et simus lux;

Dum adhuc spe salvi facti sumus, et Filii lucis, Filii Dei, * non amplius Filii noctis, neque tenebrarum, quod tamen fuimus.

Jesu, lux vera; Jesu lux noctis; Jesu aeternae gloriae lumen, * tenebras ex mentibus discute nostras.

Et pax Jesu Christi in cordibus exultet nostris, * in qua vocati sumus in uno corpore.

Deponamus iram, indignationem, malitiam, et blasphemiam; * turpem sermonem, et omnem immunditiam.

Jesus veritatis suae lumen, ut in viam redire possimus iustitiae, * nobis efficaciter ostendet.

Et cuncti, qui Christiani censentur illa respuant quae huic inimica sunt nomini; * et ea quae sunt apta sectentur.

Ita omnia in Jesu facientes nomine, * gratias perpetuas Deo Patri, per ipsum, agemus.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac paraclyto
In sempiterna saecula. = Amen.

CANTICUM XLVIII.

FERIA SECUNDA PASCHATIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Introduxit nos Dominus in terram fluentem lacte et melle; * ut semper *alleluia* canamus *alleluia*.

Aqua Sapientiae potavit nos, *alleluia*; * et nos, in aeternum exaltabit, *alleluia*.

Omnes, ad quos pervenit aqua ista,* salvi facti sunt;

Et, laetantes, nunc concinunt, * *alleluia, alleluia, alleluia*.

Alleluia sonat, nos *alleluia* canamus; * hoc enim aeternae carmen erit patriae.

— Deus, in humilitate filii sui, iacentem erexit mundum, * fidelibusque suis sempiternam aperuit laetitiam.

Et dum nos perpetuae mortis eripuit casibus; * gaudiis nos faciat perfrui angelorum.

— Si consurreximus, viri fratres, cum Christo, * quae sursum sunt quaeramus.

Et nostra mortificantes membra, * quae deorsum sunt abiiciamus.

Induamus nos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, * viscera misericordiae.

Benignitatem, humilitatem, modestiam, et patientiam; * supportantes nos ad invicem.

Intelligamus, quia nox praecessit, et dies appropinquavit; * et tenebrarum abiiciamus opera, ipsum induentes Dominum nostrum Jesum Christum.

Ipse, resurgens a mortuis, vulnera pro nobis suscepta, * Coelo inferre maluit;

Abolere noluit: * ut nostrae libertatis pretia Deo semper ostenderet.

Jesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus Creator omnium,
Homo in fine temporum.

Quae te vicit clementia
Ut ferres nostra crimina?
Crudelem mortem patiens,
Ut nos a morte tolleres?

Inferni claustra penetrans
Tuos captivos redimens;
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.

Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo; et voti compotes,
Nos tuo vultu saties.

In Coelum, Domine Jesu, ascendisti, * sed non obbitus es nostri.

Te ipsum in Eucharistica reliquisti coena, * ut, nos tuis pasceres Carnibus et Sanguine potares;

Illic te mystica novimus morte mactatum, * sed viventem credimus, et vitam nobis dantem.

Credo, ergo, te veram esse salutem et redemptionem meam; * quia tui oris mihi sonuerunt nectarea verba

Enimvero me docuisti; * tantaque propitius instructione formasti.

Totis nunc cordis mei medullis, et toto mentis nisu, rogo te, * trahe me, quo ascendisti in Coelum.

Vel, saltem, quatenus adhuc peregrinans in terris, * dulciter post te in odorem curram unguentorum tuorum.

Idest donec, vitae meae, inclinet dies; * et eo advesperescente, ardentem post te animam trahas meam.

POST COMMUNIO

— Chorus novae Hierusalem,
Novam melis dulcedinem
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis,

Quo Christus, invictus Leo
Dracone, surgens, obruto
Dum voce viva personat
A morte functos excitat,

Quam devorarat improbus
Praedam refudit Tartarus;
Captivitate libera
Jesum sequuntur agmina.

Tua me, Domine, potentia creavit;* et tua miseratio, creatum, ab originali mundavit labe.

Ipsa potentia tua et bonitas, postquam denuo peccatorum sordibus ultro me coinquinavi, hactenus toleravit; * nutricavit; expectavit,

Hinc te sitit, te esurit; * ad te anima suspirat mea, Deus mentis meae, et cor meum.

Et, tamquam pupillus, benignissimi Patris sui praesentia orbatus, * flens et incessanter eiulans, ad tuam dilectam visionem tota anhelo anima.

Quotidie tuam memorans Passionem, summo afficior dolore; * et, considerans, qualiter pro me crucifixus fueris, mortuus et sepultus, vehementer angor.

At simul in mentem gloriosa subit Resurrectio et Ascensio tua; * et quam maxime gaudeo laetorque.

Proinde exilii defleo aerumnas mei, adventum suspirans tuum; * et vultus tui gloriosam contemplationem.

Pasce me, interim, bone Jesu, singultibus meis; * et in doloribus refociia me meis, delicias memorans retributionis tuae.

Venies fortasse, Redemptor meus, quia bonus es; * nec tardabis, quia pius es.

— Virgo Maria, tu constituta es mater et Regina nostra; * Ideoque benigna exaudi nos.

Vitam praesta puram
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collaetemur.

Filio dic tuo « Fili omnium miserere qui me laudant ac diligunt; * et hoc erit mihi satis.

Vos aureum continens Manna et laetitiam; vena dulcium aquarum; * et vena veniae, misericordias nobis Filii ostende tui.

— Per saecla metae nescia
Patri supremo gloria:
Honorque sit cum Filio,
Spiritui Paraclyto.

—

CANTICUM XLIX.

FERIA TERTIA PASCHATIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Consurgit Christus tumulo
Victor redit de Barathro
Tyrannum trudens vinculo;
Et Paradisum reserans. —

— Quaesumus, Auctor omnium
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum. —

— Dulcissime Jesu, qui in Coelo triumphas et in terris, ne memineris iustitiae tuae adversus peccatorem; * sed benignitatis memor esto tuae.

Quid enim est Jesu nisi Salvator? * ergo, per temetipsum in adiutorium exurge mihi.

Exurge, et animae dic meae * «salus tua ego sum.»

Non mirum si de tua praesumo bonitate; * quoniam miserationum tuarum non est numerus;

Et tu praecepisti ut peterem; flagitarem; * et assidue ad cor pulsare tuum,

Tu me, a iuventute mea, huc extraxisti de domo Patris carnalis mei;* et de tabernaculis peccatorum iterum liberasti.

Insuper et cum generatione faciem quaerentium tuam, me coniugasti, * et semitas ambulantium rectas.

Docuisti etiam quomodo peterem, * et quomodo, quaerendo invenirem.

Peto, itaque, atque efflagito, ut confirmes me infirmum; restaures me perditum, * mortuumque resuscites.

Nonne certum et infallibile est; * quod petenti incessanter, et pulsanti, aperis et donas?

Fiat, ergo, mihi misero petenti et pulsanti, * secundum magnam verbi tui bonitatem.

Accipe me; resuscita me; * et me trahe post te; * nt, tuus sim imitatione et diiectione, qni creatione et redemptione tuus esse confiteor.

— Matrem, apud te, interpono tnam; * fecisti enim mirabilia in brachio suo, populnm, per eam, christianorum exaltans et glorificans.

Non utiqne, qui descendunt in Infernnm, * tuam expectabunt redemptionem et resurrectionem.

Infernns non confitebitnr tibi; * neque mors laudabit te.

Vivens, Domine, solus vivens confitebitur tibi, * sicut ego hodie;

Benedictus in aeternum sis, * quia ad spem et vitam me servasti.

Ad coenam Agni providi,
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus Principi,

Cuius corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando vivimus Deo.

Protecti Paschae vespere
A devastante Angelo.
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

Jam Pascha nostrum Christus est.
Qui immolatus Agnus est.
Sinceritatis azyma
Caro eius oblata est.

O vera digna Hostia
Per quam fracta sunt Tartara
Captiva plebs redemptaque
Raddita vitae praemio.

POST COMMUNIO

Resonet salutis carmen; * celebret redemptus orbis, Mariam et Filium eins.

Veterae procnl recedant lacrymae, dolor quaerelae; * redit salntis auctor, stygis inferis ab nmbris.

Reseravit antra mortis; animas Patrum reduxit; * geminant triumphe! summa assonant et ima.

Sociemus, ergo plausns, Dominae quae gratulantes; * celebremus orta vitae bona firma sempiternae.

— Domine Deus meus, portio et salus mea, da meo te desiderari corde, * desiderando, quaerere, quaerendo, invenire.

Da inveniendo, amare; * amando, mala redimere, et, redempta, non iterare.

Expelle a me spiritum snperbiae et irae; * mihique patientiae scutum benignus induige.

Intellectum mihi te cognoscentem largire; diiigentiam, te quaerentem; * sapientiam te invenientem.

Perseverantiam et largire, * te finaliter expectantem.

Rex meus et Sponsns meus; anima et merces mea magna nimis, extingue in me carnis desiderium, * et tui in me amoris ignem accende.

— O anima Dei Insignita imagine; * desponsata Fide; Sanguine redempta; Bonitatis, haeres; et beatitndinis. capax; * quid tibi, nnde ista paraveris?

Caro, quam vestio, quam citissime dissolvatur oportet; * et vix in sepulchro condita, cibns verminm erit.

Et, tamen, propter istam foetidum carnem, homo vanitati simiiis factns est, * et, ex illa, vitam concupiscentiae trahit, qua captivus tenetnr.

Et incnrvatur, nt vanitatem diligat; * et operetur iniqnitatem.

O insanum caput! * carnem, quae pancos post dies, cibus vermium erit, pretiosis impinguas rebus.

Animam vero, quae Deo et Angelis eins similis est; * operibus non adornas bonis!

Dominam ancillari; ancillam dominari, inversio institiae est; * totns mundus, ad unius animae comparationem, flocci aestimatur!

Pro quo enim Christus sunm effudit Sangninem nonne pro tua anima? tanti, ergo valet anima quanti valet Deus. —

— Tandem aliquando, viri fratres, agnoscamus nostri dignitatem generis; * et nolimus ad pristinam vitae consuetudinem, degeneri conversatione redire.

Filius Dei in cruce pependit crudeliter immolatus; * en qualis et quanta Hostia pro nostra offertur salute.

Sed, Pater sancte, quid nos faciemus miseri, * gravedine fragilitatis et mortalitatis constricti?

Dum sumus in corpore peregrinamur a te Domine; * nec in ista morientium terra, mortalibus te unquam possumus videre oculis.

Si municipatus noster, tandem, te miserante, in Coelis erit, praebe de nunc orationis saltem et contemplationis pennas;

Volitemus ad te sursum; * et, mentes pascendo nostras veritatis pabulo, venitates animo effluant omnes.

— Templum pudoris, honestatis, et puritatis, o Maria, universae creaturae decus et salus, * intercede pro nobis ad Dominum.

Istam, viri fratres, laudate virginem, quia mater est gratiarum.

Laudate mundi lampadem,
Laudate pacis auspicem,
Laudate sanctorum ducem,
Laudate spem mortalium.

Laudate Saecli Praesidem,
Laudate fulmen Tartari
Laudate Coelorum decus
Laudate lucem patriae.

Sit Trinitas gloria,
Quae ut nos levaret perditos,
Tantis beatam gestiit
Auge donis Virginem.

—

CANTICUM L.

DOMINICA IN ALBIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

— Aurora lucis rutilat;
Coelum, laudibus intonat
Mundus, exultans, iubilat
Gemens Infernus ululat.

Cum Rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus
Pede conculcans Tartara,
Solvit a poena miseros.

Ille, qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.

Solutis iam gemitibus,
Et Inferni doloribus,
Quia surrexit Dominus,
Resplendens clamat Angelus. —

— Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, * Pater, Verbum, et Spiritus sanctus.

Et tres sunt qui Testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis.

Exultemus Deo adiutori nostro; * iubilemus Deo Jacob, quasimodo geniti infantes.

Rationabiles, sine dolo, lac concupiscimus divinae redemptionis gratiae,* *Alleluia.*

Suscipe, Domine, exultantis Ecclesiae munera; * et cui causam tanti praestitisti gaudii, perpetuae fructum concede laetitiae.

Et sacrosancti Paschatis mysteria, quae pro reparationis nostrae contulisti munimine, * praesens nobis offerant remedium et fructum.

Tua propitiatio, et beatae Mariae semper virginis intercessio, * ad perpetuam nos pacem iucunditatemque adducant.

— Confiteor nunc, te Deum Patrem

ingenitum; te Filium a Patre genitum; * et te Spiritum sanctum Paraclytum ab utroque procedentem.

Sanctam et individuam Trinitatem, in tribus coaequalibus personis, * consubstantialibus, et coaeternis.

Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, corde credens ad iustitiam, * et ore confitens ad salutem.

Confiteor et te verum Deum, Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum Salvatorem meum, * et totius humani generis Redemptorem.

Qui, de Spiritu Sancto conceptus, et ex Maria Virgine natus, verus homo factus es, humana subsistens carne.

Qui, cum secundum divinitatem, impassibilis sis et immortalis, * propter nimiam dilectionem tuam, qua nos dilexisti, passibilis, secundum humanitatem, factus es et immortalis.

Qui Passionem et mortem in ligno subiisti crucis; * ut nos a morte liberares aeterna.

Et tertia victor die, ad superos resurrexisti captivam ducens captivitatem, quam antiquus humani generis hostis, misera servitute premebat.

At, tandem, supra omnes ascendisti Coelos, ad dexteram sessurus Patris;* nostramque apud illum acturus causam.

Neque nos relinquens orphanos; * Corpus tuum sub panis et vini specie, sumendum tribuisti nobis.

Quo unum efficimur Corpus, * et membra de carne tua.

Assumat, rogo, Domine, spiritus meus pennas, * ut aquilae, et volitet;

Volitet, et perveniat usque ad decorem domus tuae; * et locum habitationis gloriae tuae;

Et ibi, super mensam civium supernorum, * de occultis pascatur tuis, in loco Pasquae tuae.

Et iuxta plenissima fluenta, * requiescat in te.

POST COMMUNIO

Ex hoc sacro Convivio, ad societatem perducat nos Rex Angelorum civium supernorum, * ad lucem quam inhabitat.

— Ave Maria, gemma pretiosa, * ave lapis, quae summum peperisti angularem lapidem Christum Jesum.

Salve Davidica turris; * quae hostium retundis superbiam;

Ave immaculata nostra; * quae lucem sempiternam omnis Principatus superioris excepisti Thearchiae.

Mater salutis, ave; * quia Verbum Patris exhibuisti mundo.

Mater divinae Gratiae, et nostrae causa laetitiae; * Deo et tibi laudes, alternantes, concrepantes, laeti dicimus.

Laus, honor, virtus gloria Deo sit Patri in hoc augustissimo Sacramento; * Deo sit Filio; Deo sit Spiritui sancto.

Laus, honor, virtus, gloria Deo sit nostro in hymnis exultationis post passionis dies; * et beatissimae virgini.

Tristes erant Apostoli
De nece sui Domini,
Quem poena mortis effera
Servi damnarunt impii. —

Sermone blando Angelus
Praedixit mulieribus;
« In Galilea Dominus
Videndus est quantocius. »

Illae, dum pergunt concitae,
Apostolis hoc nunciant
Videntes eum vivere
Osculantur pedes Domini.

Claro Paschali gaudio
Sol mundo nitet radio
Cum Christum iam Apostoli
Visu cernunt corporeo.

Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida;
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.

— Rex Christe clementissime
Tu nostra corda posside;
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Gloria sit tibi Domine.
Qui surrexisti a mortuis;
Et fortes in certamine
Sertis ornas perpetuis.

CANTICUM LI.

FESTUM S. VINCENTII FERRERII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Jamdiu fecisti notam in populis virtutem tuam per os sanctorum, * in potentia brachii tui redemisti nos.

Cogitans, ideo, dies antiquos, et annos aeternos, expando manus meas ad te; * et fiducialiter oro, ut revoces me de manu peccati ad vitam Gratiae.

In conspectu tuo meam, Domine, orationem effundo; * et meam ante te tribulationem pronuntio.

Undique circumspiciens non invenio qui me cognoscat; * nec qui curam suscipiat mei.

Tu es unica spes mea, bone Jesu,* qui animam requiris meam.

Portio tu mea in terra viventium;* qui tuo me redemisti pretioso Sanguine.

— Te invoco, o beata Trinitas, animam posside meam; * et Templum adorna gloriae tuae dignum.

Rogo Patrem per Filium in Spiritu sancto, ut omnia a me elongentur vitia; * simulque omnes cumulentur virtutes.

Deus immense, * a quo omnia visibilia facta sunt, et invisibilia;

Qui opera extra circumdas tua, et, intra, reples, * supra regis; et infra, fers;

Custodi me, opus manuum tuarum in te sperantem, * ut nullus contra me, pateat locus inimicorum insidiis.

— O Christe! quanta fuit tua in me pietas; * et quanta misericordia, tam gratuita et invicta!

Heri in tenebris eram, * hodie in lucis splendoribus!

In ore Leonis heri, * in spe hodie deliciarum Paradisi!

Videam, post huius vitae aerumnas, ortum surgentis Aurorae; * videam etiam meridianum iustitiae solem;

Labor convertatur meus in requiem; luctus in gaudium; * tenebrae in lucem.

— Gratias tibi, bone Jesu, Angelorum Rex, gratias etiam sine fine rependo tibi Coeli ianua, et Angelorum Regina.

Janua illuminata, fax fidelium, * ferculum veri Salomonis de lignis cedrinis;

Fermentum Sanctorum Dei, * seu incredibilis vitae concretio.

— Diem novae laudis, lucis et gloriae laetum, * ducat nunc coetus Fidelium.

Quo sublime decus Hispaniae, gratulante turba Coelitum; * a Principe supernae Curiae, binae sumpsit coronae praemium.

Tibi, nempe, o Vincenti, data fuit Gratia, * evangelizare in Gentibus investigabiles Christi divitias,

Et praedicare omnibus, * quae sit dispensatio Sacramenti a saeculo absconditi,

Religionem inclytam postquam subit Dominici, * virtute sibi praestitam, laude monstrat multiplici.

Sub toga regulari candida, * vita coepit florere splendida.

Christi viam secutus arduam, a terrenis procul illecebris, veritatem reddit conspicuam, * profligatis errorum tenebris.

Cuius doctrina Sole gratior, * sermo erat flammis ardentior;

Veneramur Christi vultum, * quem tu, Vincenti, mentes illuminans hominum praedicasti esse venturum.

Qui prophetico fretus lumine, * mira de mundi fine docuisti.

« Timete Deum, clamabas saepius, venit hora iudicii eius, * quem cunctorum spectabunt oculi. »

Gloriose Pater Vincenti; cui, arcem scandenti polorum, * cum honore obvius ingenti, plaudens venit chorus Angelorum.

Canentes, te ducunt laude frequenti, * ad amoena regna beatorum.

Pervigil Christi nuncius, vocans ad lucis opera, * ad fruendum, nos ducat vitae muneribus.

Quem tu praesens nunc adoras Christi Agnum, * nos ad sumendum currimus.

POST COMMUNIO.

Domine Deus, Gratia Filii tui descendat super nos, sicut ros super terram, * sicut imber super gramen, et sicut nix supra foenum.

Et omni nos emundet impietate; * nec sinat nos rursum in vitia ruere praecipites.

Sancti omnes elegerunt abiecti esse in domo tua, * potius quam habitare cum honore et divitiis in tabernaculis peccatorum;

Praesta nobis, ut ad eorum exemplum, nos quoque cum timore et reverentia serviamus tibi, * in via perseverantes iustitiae et veritatis.

O quam mirabile, Domine, in sanctis tuis! * ipsis intercedentibus a morte nos libera aeterna.

Et cor refocilla nostrum; * quia intra nos conturbatum est.

In misericordiis speramus tuis propter tui nominis gloriam; * olivas fructiferas nos in domo redde tua.

— Servite Domino, viri Fratres, in timore; et exultate ei cum tremore; * iustus est enim et misericors.

Placare, Domine; intende Domine; * sucurre Domine;

Et fac nobiscum secundum magnam misericordiam tuam; * et viscera beatae Mariae semper virginis.

— Ad thronum miserationis tuae, beatus accedat Vincentius; * qui tua et matris tuae nobis imploret auxilia.

Cuiusque respectu, * te nobis propitium fore confidimus.

Mente iucunda iubilent fideles,
Vocibus hymnos resonent canentibus,
Nam datus mundo novus est precator
Ante Tonantem.

Alme Vincenti, veneranda cuius
Haec dies totum colitur per orbem
Quas tibi cantet chorus hic fidelis
Accipe laudes.

Luce doctrinae rutilans serenae
Ambitum terrae pelagique lustrans
Semper ardenti resonante sacrum
Pectore verbum

Dum viam cunctis reseras salutis,
Orbis occasum canis, et propinquum,
Iure te clarum genus omne reddit
Prodigiorum.

Angelis septus, decoratus Astris
Doctor et virgo, geminis corouis
Inter illustres animas refulges
Munere Christi. —

— Sit Patri, Nato pariter coaevo
Flamini sancto, salus una, cuius
Nomen in Coelis sine fine laudet
Spiritus omnis.

CANTICUM LII.

FESTUM S. MARCI EVANGELISTAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.).

Doce Domine me orare; labia tu ipse aperi mea; * et, tuam laudem, os anunntiabit meum.

Nequeo quidem nomen invocare tuum nisi in Spiritu sancto; * et quomodo oravero nisi adiuveris me?

Emitte, igitur, Spiritum tuum, * ut non fiam in conspectu tuo sicut aes sonans, et cymbalum tinniens.

Equidem iustitiam timeo tuam negligentem orans; * et, quem adorant Dominationes, vultum expavesco.

Laudet anima mea miserationes tuas; * et in omni, usque in finem, laude perseveret tua.

Ecce ante te omne desiderium meum; * et si quid bene volo, et dico, tui muneris est.

Perfice quod tu ipse incepisti, me in ferventissimum tui convergens amorem, * omnia opera tua perfecta sunt.

Lacrymas, quas tibi offero, ne despicias, * donec ad me placatus redeas.

En ego paratus sum omnia pro te pati; * ad exemplum Filii dilecti tui.

Qui crucem sustinuit, dolores atque opprobria; * ut, quid iter a nobis tenendum esset, factis ostenderet.

— Ita, Marcus, Evangelista tuus, Christi premens vestigia, * crucis mortificationem in suo iugiter portavit corpore.

Et haec sit magna in doloribus meis consolatio, * pro Christo humiliari; pati atque etiam mori;

Quia ipse prior humiliatus, passus, * et pro me mortuus est.

— Utinam, virgo mater, ego et fideles omnes, Filium tuum, verbo et operibus imitemur, * vitamque suam eius conformemus exemplo.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas;
Mundi vilescit vanitas
Et intus fervet caritas:

Jesu, dulcedo cordium
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium. —

— Jesum omnes agnoscite
Amorem eius poscite;
Jesum ardenter quaerite;
Quaerendo inardescite.

Te nostra, Jesu, vox sonet
Nostri te mores exprimant;
Te corda nostra diligant;
Et nunc, et in perpetuum. —

— Domina nostra, sancta Maria, quae nobis tam praeclara Filii tui dedisti imitationis exempla; * in cordibus infunde nostris patientiam eius; modestiam et humilitatem.

Nostra in nocte Luna; Aurora in diluculo; et Sol in die, * nostras illumina mentes, et corda accende nostra;

Ut, digne ad Sacramentum accedentes pietatis, * fervorem et ardentissimam charitatem a fontibus hauriamus suis.

POST COMMUNIO

Ne repellas, Domine, me indignum de tuis sanctis pedibus; * et de Sanctorum tuorum consortio ne eiiclas.

Miserere mihi, indigno peccatori, indigna agenti, et digna patienti; * assidue precanti, et tua, quotidie, flagelia sustinenti.

Si recogito malum quod feci, minus est quod patior; * maior est quod mereor.

Gravius est quod commisi, * levius est quod tolero.

Certus sum, quod nostra non temere agitur vita, * sed a te, Domine Deo disponitur nostro, et temperatur.

Tibi cura est de omnibus, praecipue de servis tuis, * qui totam spem suam in bonitate et misericordia posuerunt tua.

Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum; * quis contradicet tibi?

Non enim iniuste et crudeliter affligis nos; * quia, cum non essemus, plasmasti nos;

Et, cum culpa perditi fuissemus nostra, * piissime ac mirabiliter nos recuperasti.

Idcirco, non secundum peccata nostra, quibus iram promeruimus, facias nobis; * sed, secundum misericordiam tuam, quae peccata totius mundi etiam superat.

Deus pacis inclina me in omne bonum; * ut tuam semper voluntatem adimpleam.

Totius pietatis et consolationis Deus, * in Sanguine aeterni Testamenti tui salva me.

Tu, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam; * ut nunquam laus tua de ore recedat meo.

— Tu, qui beatum Marcum, Evangelistam tuum, Evangelicae praedicationis Gratia sublimasti; * eius nos concede doctrina proficere, et oratione defendi.

Tu, quoque, primus, o beate Marce, si fuisti Ægyptiorum monacorum Parens et auctor, * ad tui me compone exemplum in laboribus et periculis pro Christi Fide sustinendis;

Vitaeque continentiam sectari, et austeritatem; * ut mecum omnes ad vitam lucrifaciam aeternam.

Annuat nobis, humiles precamur,
Unus et Trinus sine fine Rector:
Cuius illustres, canimus triumphos
Facta sequamur.

CANTICUM LIII.

DOMINICA SECUNDA POST PASCH. — F. TRANSLATIONIS CORPORIS S. VINCENTII A PAULO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Non mirum est enim, Domine Deus meus, si infidelis minus te diligit; * minus enim te cognoscit.

Sensum tuum, Domine, quis sciet, nisi tu Sapientiam dederis, * et Spiritum sanctum tuum de Altissimis miseris?

Ut sic correctae sint eorum semitae, qui sunt in terris; * ut, quae tibi placent, discant homines.

Et nos, qui verum profitemur Fidem, te vitae nostrae gratuitum largitorem et consolatorem cognoscimus; * et profitemur.

A te, ergo, totum habentes et sperantes in praesenti, et in vita futuri saeculi, * totos tibi libenter et ardenter committimus.

Optavimus, et datus est nobis sensus; invocavimus, et venit in nos sapientiae spiritus, prudentiae, et consilii.

At, o benignissime, qui me fecisti et redemisti, * quid retribuam tibi pro omnibus quae donasti mihi?

Calicem salutaris accipiens, et tuum sanctum invocans nomen, * tibi pro gratiarum actione ipsam offero Passionem et mortem tuam.

Amorem meum non gratuite, sed debite, rependo tibi; * agglutina, exoro, me miserum exuberantia dilectionis tuae.

— Praeclarissimum, viri Fratres, fidelitatis et charitatis exemplum, * celebramus hodie;

Vincentius a Paulo, qui, quantum potuit sapienter et dulciter; prudenter et fortiter, Christum dilexit, * eique servivit et complacuit.

In qua dilectione, totis corporis viribus, te tota rationis vigilantia, sese sustinuit constantem, * fervidum et invictum.

Oh! quam pulchri, super montes et deserta, pedes eius annuntiantis pacem; * praedicantis bonum et salutem!

Quam pulchri, et multis hominum subvenientis miseris; * pietatem corroborantis; et miraculis confirmantis!

Quis novus Coelis agitur triumphus?
Coelitum plausus comitentur hymni;
Ecce lux Cleri; pater indigentum
Aetere splendet.

Facta, Vincenti, tua te perornant
Charitas aptat capiti coronam
Teque quam, terris humilis parasti
Gloria vestit.

Quam rades olim populos docebas
Veritas nunc se tibi tota pandit:
Pauperi quidquid pia dextra fudi
Reddit Olympus.

Te Sacerdotes vel adhuc magistro
Optimum Christi referunt odorem;
Pullulat per te sacra laetiori
Vinea foetu.

Sed tibi quantum decus elaborant,
Virgines castae sociaeque Matres;
Pauperum gaudent, duce te, fideles
Esse ministrae.

Corde qui prono miseros levabas,
Disce nunc votis hominum rogari;
Te suum clamant inopes, amica
Turba, Patronum. —

— Confitemur Domino misericordiae eius, * et mirabilia eius in filiis hominum.

Quia animam satiavit inanem; * et esurientem animam implevit bonis.

— Confitemur, etiam, et dominae Mariae, * manifestae eius aegritudinis sanationes;

Propitiationum exundantia; * et morborum omnium exiccatio;

Salve inventrix Gratiae et salutis;* lampas multiluca fidelibus et infidelibus.

Delicium vitae, via nectaris; * et, foecunde, germinans Paradisum.

Virgo pulchripara praeter naturam; * Dei mater supra naturam.

Flos Patriarcharum; desiderium Prophetarum; glorificatio Confessorum et Martyrum, * nobis sis semper clemens et propitia.

Et nobis solidam impetra fidem; * spem congruam; et charitatem continuam.

— Justificati per fidem pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, * servantes Testamentum eius;

Sicut, e contra, voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, et in peccatis finaliter permanentibus, iam non relinquitur pro peccatis hostia, * terribilis autem expectatio iudicii.

Veritatem ideo, viri fratres, non facientes, in charitate, quemadmodum sancti fecere homines, * crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus.

Ipse, qui custodit iustitiam, sensum continebit nostrum; * et consummatio timoris Dei sapientia est charitas; et sensus.

Bone Pastor, Panis vere; * tu nos pasce, nos tuere;

Tu nos bona fac videre, * in terra viventium.

Bone Jesu, haec temporalis perceptio, coelestem fraternitatis tuae dulcissimam praefigurat fruitionem, * in qua gaudium reddis muneris tui.

Veni ad nos, quamquam indignos,* ob tuam veni obsecramus pietatem.

Satia famelicos; * et gloriam nomini tuo sancto praecinemus in saecula.

POST COMMUNIO.

Toto te diligere corde, clementissime Domine Jesu, * et enixis tibi servire viribus, summa sapientia est.

Non blanditiis obduci; non frangi iniuriis; non vinci laboribus, * est fidelitatis et amoris tibi constantiam ostendere.

— Christus, per proprium Sanguinem, introivit semel in sancta, * aeterna Redemptione inventa.

Constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum; * omnia miro volvens et gubernans ordine.

Pater omne iudicium Filio dedit suo, * et, ante tribunal eius, unusquisque referet propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Beatus vir, qui sperat in te Domine; * et in vanitates non respicit et insanias falsas.

Suavitate et dulcedine amoris tui, contra fallaces me defende illecebras;* et, intellectui meo, praevia sis lux et semita.

Tu, qui ventis imperasti et mari, et facta est tranquillitas magna, veni et gradere super fluctus cordis mei, ut tranquilla omnia mea et serena fiant.

Veni ad me, Domine, vel potius voca me; * et iube ut ad te veniam ego.

Quatenus, facie ad faciem, unum complectar te bonum; * nec amplius dimittam;

Veni dulce oculorum meorum lumen; * ut contempler te sine tumultuantium cogitationum coeca caligine, et obumbratione.

Confugiat, Domine Deus meus, * mens mea sub alarum tuarum umbraculo ab aestibus cogitationum saeculi huius.

Confugiat, et in tui refrigerii temperamento absconsa, laetabunda cantet, et dicat * « In pace in idipsum dormiam et requiescam.

— Tu vero, Domine, vera animarum sapientia et quies es; * qui te diligit vere fortis et sapiens est.

Bone Jesu, amantium robur et firmamentum; * concede mihi non laboribus succumbere,

Nec conteri afflictionibus; * nec terroribus unquam cedere.

Amor aeternus et supereminens; * amor cui magnitudinis non est finis;

Amor cuius pax omnem exuperat sensum; * et cuius sapientiae non est numerus;

Fac me humiliter et potentissime,* te semper diligere;

Non verbo tantum et lingua, sed opere in fratribus meis et veritate, * ut ad gloriam amantium perveniat sempiternam.

— Vincenti, tuis fac precibus, nos hic servet humilitas; * piis functos laboribus, in Coelo coronet Christus;

O charitatis heros, qui simplex fuisti et mitis; * et in omnibus adversis patientissimus;

Ecclesiasticorum Parens amantissimus congregationis mitissimus fundator extitisti.

Qui *puellarum charitatis* institutor fuisti vigilantissimus, * Jesum et Mariam, Agnam Agni Dei genitricem, totius mundi peccata tollentis, interpella pro nobis.

O qui triumphali polo, inclitus lauro praenites, * quas fundimus tibi preces, audi libenter supplices;

Per te fugentur corporis, nostrique morbi spiritus, * reddatur aegris sanitas; reisque per te gratia.

— Domine Jesu memor esto semper inclytae Congregationis *Virginum*; * quam ab initio tu possedisti et protexisti.

Deus de humo omne produxit lignum, * pulchrum visu et ad vescendum suave.

Lignum quoque hoc fructiferum vitae, * in medio Paradisi Ecclesiae, manibus educasti tuis.

Mandatum lucerna est; et lex est lux; * et via vitae increpatio est disciplinae.

Sermonum tuorum declaratio illuminat; * et intellectum dat parvulis.

Filii ideoque magni Vincentii, ministri sunt operarii, * praelucentes, legis aemulatores, et disciplinae.

Educatores Cleri, * et *Filiarum charitatis* moderatores;

Idcirco ipsi, et Domini Levitae unitatem spiritus in vinculo servant dilectionis; * et quae aedificationis sunt in invicem custodiunt.

Idem sapiunt, eamdem scientiam habent et fervorem, * unanimes in Sapientia Evangelii idipsum sentiunt.

Nitorem vere diligunt, etiam et decorem domus Dei, et eximie locum exornant habitationis gloriae tuae.

In quo uno honorificant Deum ore, canore in sodalitio psallentes, * et in populis; * et insuper animam ponentes pro testamento Patrum nostrorum.

Et in hoc agendo, pacem gaudent pulchram nimis, * opulentamque requiem!

— Ecquid, magni Vincentii *Filiarum*? * miro charitatis conanime, abrupta montium, vallium praecipitia, vastosque maris gurgites, impavidae perlustrant istae!

Et usque ad Terrae fines, multis

variisque laboribus, * charismata perquirunt Christi.

Ardentes in manibus lucernas habentes, * claram eructant pectore doctrinam!

Viam perditis reserant gaudii, * et aegris salutis medelam.

Propter virginem Mariam, istas, viri fratres laudamus *Virgines*, * puro amore saucias;

Quae sanctitatis gloria, ubique locorum, plusquam virili prodigio; * corde fragrantes et mente, novum fortiter obtinent nomen;

Paradisi porta pervia, virginum exultatio, * nostrorum pia consolatio;

Vera salus et beatitudo; * charitatis magnitudo.

Flos et decus virginitatis; fluvius sapientialis, * virtutum et Coeli Regina; Domus Dei cypressina;

Istarum sis gratiarum, * virgo mater puellarum.

Salvete, o puellae, * inclytae et beatae.

Decorem et modestiam; nitorem et virtutem; * venustatem Angelorum, serietatem seniorum.

Innocentiam lactentium, et peritiam docentium, * per vos laudabimus in saecula.

— Salve, iterum, o Maria Virgo virginum praeclara, * templum pudoris et honestatis; arca sanctae puritatis;

Thalamus intactae dispensationis, * proprius charitatis thesaurus,

Has in ulnas, o Maria, puellas amplexare tuas, * Lilia suavia spirantes, in castimonia populorum; Rosarum odorem perfundentes;

Abyssus Gratiae et miraculorum, * Immortalitatis gloria, corona post labores.

Rigans Mundum novo rore,
Nova prolis novitate,
Nova facis, novo more,
Cuncta mira claritate.

Ex divina bonitate
Fons ascendens in honore
Rigans terram charitate
Dei crescens in amore

— O qui supernae gaudia patriae
Haustu perenni plenius ebibis;
Ne sperne, Vincenti, tuorum
Votas preces, gemitum clientum. —

— Laus summa Patri, summaque Filio,
Compar tibi sit gloria Spiritus
A te vocatos roboranti
Grande decus Domino per aevum.

MAIUS

CANTICUM LIV.

FESTUM S. PHILIPPI, ET JACOBI APOSTOLI,

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Qui regis Jacob, sedens super cherubim, excita potentiam tuam, et veni, * vineam visitans tuam.

Respice eam, quam Unigenitus tuus tanta fertilitate plantavit, replens terram; * propagines eius, per Apostolos extendens suos ad oceani fines.

Omnes catenas montium umbra, operuit eius; * et arbusta elevavit ad cedros usque!

Ab initio inimici homines erroribus oppugnaverunt eam et fallaciis; * tu, semper eorum duras concidisti cervices; et nunquam praevaluerunt.

Sed, quid autem nunc, destructa sepes eius, * ita et impune vindemiant isti?

Et quid omnes qui praetergrediuntur viam; * diripiunt eam?

Inimicus ferus, pallio Philosophiae indutus, erroribus depascit et infestationibus; * et hoc mirum magnitudinis tuae opus exterminare conatur.

Quousque irasceris, Domine Deus virtutum, et cibabis nos pane lacrymarum? * ponens nos in subsannationem inimicorum nostrorum?

Confundantur denique, * et retrorsum convertantur.

Et qui atrociter nunc premunt supra dorsum electae Vineae tuae, * arescant sicut foenum tectorum.

— Quis sicut Dominus Deus noster, qui in Coelestibus habitat? * et infima, benigne, in terra respicit?

Qui sterilitatem Apostolorum mentium suorum, semine salutaris verbi foecundavit sui, * et, copiosis fructibus bonorum operum, redundare in nobis fecit?

Qui nos e terra suscepit infirmos et inopes; * et, de abiectione, nos erexit pauperes;

Ut collocet nos cum Principibus, non quibuscumque; * sed cum electis Populi sui.

In omni tempore et loco nomen est laudabile tuum, * a cunctis Populis et linguis.

Utique a cunctis Gentibus, Populis et linguis semper nomen benedicatur tuum; * ex nunc hoc fiat, et usque in saeculum.

— Ad preces istas, quas tibi, per Apostolos Philippum et Jacobum, offerimus tuos, * clementer intende.

17 Maggio.



A. Bozzo inc.

S. PASQUALE BAYLON C.

dell'Ord. de Min. della stretta osservanza

Roma al Pozzo delle Cornacchie. N.° 16.

Et cunctis Fidei propugnatores, * sub tua custodias protectione.

— Apostolorum thesaurus; nostraque vera salus, * mater excelsi gaudii; et divinae incarnationis virtus;

Firmissima maris stella, et mater verae Fidei, * in Fide periclitantibus succurre, o Maria.

Et Dei Patris Filia; Christi mater; et Spiritus sancti sponsa, * sub umbra nos protege alarum tuarum.

— O bone Jesu, mel, in omni tempore, et lac ex ore suscipiemus tuo; * et Sanguis tuus genas ornabit nostras.

Corpus, Sanguis et Divinitas percipiamus tuum; * et, hoc supremo impinguati munere, anima inter Coelestia collocatur gaudia.

POST COMMUNIO

Jesu, decus Angelorum,
In aure dulce Canticum
In ore mel mirificum
In corde nectar Coelicum.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Jam corpus tuum nostro sociatum est corpori, * et Sanguis tuus nostras exornavit genas.

Dexteram nostram et collum pretiosis cinxisti lapidibus; * auribus suspendisti nostris inaextimabiles margaritas.

Omnipotens, adorande, colende, et metuende, Pater, Frater, Sponse, Amice, * te amamus, te quaerimus, te semper optamus.

— Afferte, viri Fratres, Domino Deo salutari nostro gloriam nomini eius; * afferte honorem, et magnificate eum in finibus terrae.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui Coelum fecit et terram; * in idipsum nomen exaltetur suum.

Omnia quaecumque faciemus in verbo aut opere, * in nomine volumus facere tuo, gratias agentes tibi.

In nomine genuflectatur tuo coelestium, terrestrium et infernorum; * et omnis confiteatur lingua, quod nomen tuum est super omne nomen.

In nomine disperde tuo omnes qui animam perdere quaerunt nostram; * confundantur et erubescant valde velociter.

Et amodo sperent in te qui nomen noverunt tuum; * quoniam non dereliquas quaerentes te in Fide non ficta,

Invocemus in die, viri Fratres nomen magnum suum; * et confiteamur in nocte;

Terribile est in saeculum; * et sanctum manet in aeternum.

— Jesu redemptio nostra, Deus de Deo, famulis adesto tuis; * propinquis; amicis; benefactoribus et defunctis nostris.

Jesu, amor nostrumque desiderium, errantibus in Fide veritatis tuae, tuum ostende veridicum lumen; * et in via eos reducere dignare iustitiae.

Jesu spes, et nostri corona gaudii, cunctis qui christianae professionis esse censentur; * quae nomini adversantur huic, respuere concede.

Et ea, quae sectari oportet, * fac ut intelligant, et sequantur.

— Omne laudetur Deitas per aevum
In Patre et Natu; parilique fulgens
Spiritu; et terras, Erebumque et Astra
Una gubernans.

CANTICUM LV.

DOMINICA III. POST PASCH. — FESTUM TRANSLATIONIS S. JANUARII EP. ET M. ET P. P. CIVITATIS ET REGNI NEAPOLIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Non sunt condignae passiones huius temporis; * ad futuram quae revelabitur in nobis gloriam.

Amplissima est beatitudo; * in qua perpetuo fruemur Dei amore et Agni.

Fluminis impetus civitatem laetificat Dei; * sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.

Tribulatio patientiam operatur; * et, in patientia tantum animam possidere possumus nostras;

Quia charitas Dei, per Spiritum sanctum, * in cordibus diffusa est nostris.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt; * et nomen eorum de generatione vivet in generationem.

Et, si coram hominibus tormenta passi sunt; * Deus est qui tentavit eos.

Tanquam aurum in fornace probavit eos; * et quasi holocaustum accepit eos.

Recipiunt deinde, decoris Regnum, et Diadema speciei de manu eius; * quoniam dextera eius tegit eos, et brachio sancto suo defendit illos.

— O beate Januari, praeclarum est nobis et mirabile, quod tuus Sanguis, cum in conspectu ponitur tui capitis, antea in vitrea concretus ampulla, colliquefieri cernitur et ebullire..

Perinde ac recens effusus, * ad haec usque tempora.

Praesul et Martyr, inclytae Civitatis et Regni huius Patronus, * oro, ut tribulationes plebium, propitius intuearis;

Populorum pericula; * et orphanorum miserias, tuis expellas precibus;

Insuper, ut Deus, gemitus exaudiat languentium, impetra; * iuvenum suspiria; pauperum eiulationes; preces et vota virginum.

Decus tuorum militum
Sors et corona proemium,
Laudes canentes martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia
Et blanda fraudum pabula,
Imbuta felle deputans,
Pervenit ad Coelestia

Poenas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter;
Fundensque per te sanguinem
Aeterna dona possidet.

Ob hoc, precatu supplici,
Te poscimus piissime
In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam servulis.

O pia Deitas, o tremenda maiestas; * exaudi me.

Propinquos et amicos exaudi meos,* rutilantem beati Januarii tibi sanguinem offerentem;

Praesertim, miser ego inter angustias deprehensus, ad te misericordiae recurro fontem; * et, per eius Patrocinium, ad te festino sanandus.

Sub tuam fugio protectionem; * et quum iudicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro.

Accedo ad Filii tui tanquam infirmus ad salutis medicum; * et tanquam immundus reus et mendicus ad pietatis thesaurum;

Coecus ad lumen accedo claritatis aeternae, * pauper et egenus ad Coeli Dominum et terrae.

Rogo interim, ut immensa largitatis tuae abundantia, * meam curare dignetur infirmitatem;

Lavare foeditatem; * et coecitatem illuminare;

Nuditatem vestire, * et ditare paupertatem,

Vincula disrumpe peccatorum meorum, * et in vinculis me trahe charitatis tuae.

Indue me vestimenta salutis, * et indumento circumda iustitiae,

A largitate suscipiens tua Dominici Corporis et Sanguinis Sacramentum; * etiam rem et Sacramenti virtutes.

— Ad hoc, efficaciter, invoco te Mater Dei, * et mea mater; tu es vas aureum continens mannam et laetitiam;

Thesaurus incorruptibilis vitae; * et sacrarium Gloriae Dei, exaudi me.

POST COMMUNIO

O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, Pane suavissimo de Coelo praestito, esurientes Filios reples bo-

nis, * et dulcedinem eis demonstrans tuam.

Jesu auctor vitae, et mundi pretium; Jesu redemptor omnium; * miserere mei.

Jesu animarum amator, et Deus noster, Jesu fortitudo martyrum; * mitis et humilis corde Jesu, miserere nostri.

Domine, Rex Regum, qui inducias vivendi nobis praestas; * corrigendi me etiam devotione tribue.

In mentem anxietatem excita, quae te requirat, te desideret, te amet; * tuamque faciat voluntatem.

Benedictus et gloriosus per omnia saecula, exaudi qui mei memoriam in suis faciunt orationibus, * et qui indignis sese meis commendant precibus.

Tuarum reple gratiarum, qui aliquod pietatis officium et charitatis in me impenderunt, * et impendent.

Et qui, consanguinitatis et cognationis affectu, * propinqui mihi sunt; vel suave adnexi amicitiae vinculo.

Omnes istos misericorditer gubernare digneris, * ne pereant, sed cito te possideant;

Tam et illos, qui nunc in corporo consistunt; * quam et alios, qui iam funere teguntur.

— Sancta et immaculata virgo Dei Genitrix Maria, * intervenire pro me dignare apud illum, cuius meruisti effici sacrarium.

Audi nos Coeli et terrae gaudium;* nam Filius, tibi nihil negans, te honorat.

Curre, festina, Domina mea, et tuum iniquissimum servum, ad te clamantem; parcendo adiuva; * et de manu maligni eripe hostis.

Hac in valle lacrymarum, * da robur, per auxilium.

Me Daemonum fraude, a Dei mandatis graviter abstractum, * ne despicias, o benignissima;

Et, qui semper ad tuam confugi protectionem ne deseras; * et eorum fac me superiorem decipulis.

— Beate Januari, qui impetum extinxisti ignium; * ferarum obturasti ora;

Qui, in occisione gladii, mortuus pro Christo, legitimi certaminis coronam accepisti, * ora pro nobis ad Deum.

Pretioso nos Deus pignore in translatione Corporis et sanguinis tui, * civitatem et regnum locupletavit istum;

Ne cesses, pro nobis, clamare ad Deum, et ad Dominam Mariam, * ut de manu nos salvent inimicorum nostrorum.

Plaudente turma Coelitum,
Carnis solutus vinculis,
Curruque vectus aureo
Martyr triumphat inclytus.

Quae vicit arma gentium
Victoris ornant gaudia;
Et ipsa iam ludibria
Trophea sunt victoriae.

Quidquid Tyranni immanitas
Excogitavit saevius
Laudes adauget martyris,
Sanctaeque virtutem crucis.

O Virga ductrix fortium,
Quae dextera ades pugnantibus,
Invicta, tam Praesulis
Fac me sequi vestigia.—

— Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, * per illum, qui vos elegit, et de cuius contemplatione gaudetis, vestras interponite preces.

Ut mihi et omnibus, qui omnium clementissime miseretur, suam largire dignetur misericordiam.

Praestet hoc nobis Deitas beata,
Patris ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cuius resonet per omnem
Gloria mundum.

CANTICUM LVI.

FESTUM S. JOANNIS APOSTOLI ANTE PORTAM LATINAM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

Clementissime Domine Jesu, * tu diligis homines; qui munditiae servant puritatem.

Tu purus es, et omnium maxime purus; * ideo, quia purus, puros summopere diligis pueros.

Similis suum diligit similem, * propterea quod qui cordis et corporis munditiam diligit, amicum Regem habebit nostrum;

Et, revera, in carne praeter carnem vivere, * non est terrena, sed coelestis vita.

Sic, bone Jesu, beatum dilexisti Joannem Evangelistam; * de quo specialiter scribitur « hic est ille Discipulus, quem diligebat Jesus;

Diligis etiam homines, qui sapientiae tenent claritatem atque virtutem; * candorem simul atque vitae fervorem.

Deus neminem amat, nisi qui cum sapientia est; * « vocavit Dominus Salomon, et dilexit eum. »

Diligis etiam, innocentissimo Jesu,* qui innocentiae lenitatem amat;

Scio enim, Domine, quod probas renes et corda, * et simplicitatem diligis, non dolositatem.

Diligis amicitia amicitiam rependentem, et amicitiae firmitatem servantem, * sicut legimus « Ego diligentes me, diligo. »

Ideoque. Moyses dilectus tibi vixit et hominibus; * iustum est enim, quod qui ex corde diligit, ex corde diligatur ad invicem.

Martha, cuius animus erat largitate et pietate foecundus, diligebat te Jesu, * et tu, qui abunde largus es et pius, Martham dilexisti.

Diligis, etiam, Domine, qui iustitiam et aequitatem observat, * scriptum est enim « qui sectatur iustitiam diligitur a Domino. »

Sic enim dilexisti Samuelem aequitate solidum, * « dilectus a Deo Samuel propheta. »

Beatus Joannes, dilectissimus super omnes dilectos Discipulos, * Gratiarum tuarum, sicut et omnium amorum, super pectus recumbens tuum, hausit plenitudinem.

Numquid, beate Joannes, ad praeceptum eius, propter te, volabit aquila, * plena plumis, et varietatibus formosissimis?

Quam certe altissime volavit, contemplando Solem in rota; idest Verbum in sinu Patris; et in libro scribendo Apocalypsi, quae vidit; * et quae ventura sunt in fine mundi prophetavit.

Iste testimonium perhibet de his;* et scimus, quia verum est testimonium eius.

Quidquid est alta pietate mirum
Exhibet purus, niveumque morem;
Omne virtutum rutilare cernis
Lumen in illo.

Doctor et virgo, duplici corona
Fulget in Coelis, sed amore plenus,
Quotquot hinc languent, miseri fideles
Respicit omnes. —

— O dulcissime Jesu omnium perfectus amator, * dum omnia praedicta in secreto considero mentis meae, corde, prae timore deficio.

Non aliquam ex causis praedictis in me sentio, ob quam tu me diligere debeas, * sed potius, ob opposita, odio habere.

Liberasti me de perditione; * et de tempore iniquo eripuisti me.

Nomen laudabo assidue tuum; et illud in confessione collaudabo, * deprecationem humilitatis exaudies meae. —

— Beati Joannis gloriosa apud te intercessio, * me suscipiat et protegat;

Ut ad fontem immensi amoris tui aethereos exsorbeam haustus, * et, amando, supremum expleam diem.

Dispone in me, interim, cogitationes, locutiones, et opera, * ut tibi, per innovationem placeam vitae.

Et, ut te, vivum accipiens et verum in hoc Sacramento, per infinita possideam saecula.

POST COMMUNIO

Sicut vivens Pater misit Filium suum; * ita Filius dilectus iste, inter mille, vivit in Patre;

Non iudicemus, viri Fratres, rem ex gustu; * sed, citra ullam dubitationem, Fides nos certos reddit, quod digni facti sumus participare Corpus et Sanguinem Christi;

Realiter concorporei et consanguinei Christi facti sumus; * idest Christiferi.

Sed, si accepimus hodie visibilem cibum, * aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti amoris huius.

Judas accepit etiam; * et ei mortis venenum fuit Dominica buccella;

Non accepit malum; * sed, malus, male accepit bonum.

Nostra te conscientia graviter offendisse monstrat; * quam emendes, supplicamus, ab omnibus piaculis.

Da tempus acceptabile; et poenitens cor tribue; * convertat ut benignitas, quos longa suffert pietas. —

— Ab indigna Sacramenti huius susceptione, * Domine Jesu, per sanctum, libera nos, et aeternum Sacerdotium tuum;

Fidem, imo, reverentiam, ac devotionem huius admirabilis infunde Sacramenti, * et nobis adauge. —

— Ave, Domina nostra Maria, * mater nostra, cor et anima, ave, nostra.

Salve cordium raptrix, * cur non nostra in tua dilectione, et Filii rapis tui?

Beati qui tibi famulantur; * et qui te, pulchrae dilectionis et amoris invocant matrem.

Hic laudes, virgo, taceat tuas, * qui te in suis necessitatibus invocatam defuisse senserit.

Virgo mirabiliter singularis; * et singulariter mirabilis,

Parentum reparatrix; * posterorum vivificatrix,

Virgo superplena Gratia, * de cuius exundantia plenitudinis, respersa omnis creatura vivescit.

Pia mater et humilis,
Naturae memor fragilis,
In huius vitae fluctibus
Nos rege tuis precibus.

Jesu et Maria, vestri continuo amore, cor langueat meum; * anima liquefiat mea.

Supplicanti animae amorem reddite vestrum, * non propter meum meritum, sed in quantum amari digni estis,

Pro vice et ego una, dilectus sicut Discipulus, super pectus Jesu recumbam tui. * pro sacrosanctis mysteriis tibi ferventissimas reddens gratias.

Interveniat, bone Jesu apud te, beatus iste Apostolus, * vas insigne dilectionis tuae.

Pauper, amavit pauperes; in miseriis misericors fuit; * intrepidus in perditos; plusquam mitis in humiles.

Virginitate, niveus; doctrinae luce splendidus; * praedicator amantissimus; clarumque ardoris specimen.

Qui creas mundum Genitor superne;
Nate qui mundi scelus abstulisti;
Spiritus semper par utrique regnans
Parcite lapsis.

—

CANTICUM LVII.

APPARITIO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Christe sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanae Sator et Redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in aedes
Coelitus nostras veniat, serenae
Auctor et pacis: lacrymosa in Orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos; et amica Coelo,
Quae Triumphator statuit per orbem
Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e Coelo Raphael, ut omnes
Sanet aegrotos: dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo, dux pacis, genitrixque lucis;
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia Coeli.

Stetis Angelus iuxta aram Templi,* aureum in manu sua habens thuribulum.

Et data sunt ei incensa multa;* et fumus aromatum in conspectu ascendit Dei.

Concussum est mare, et contremuit terra ubi Archangelus de Coelo descendit Michaël, * Princeps in Ecclesia Dei.

Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius; * ad audiendum vocem sermonum eius. —

— Ignosce, Domine, ignosce pie, ignosce et miserere; * et me noli, tanquam temerarium, reprobare.

Angeli tui, te adorantes et laudantes contremiscunt, * mira exultatione repleti.

Et ego, peccator, dum augustissimo assisto Sacrificio cur non palleo? cur labiis non tremo? * cur non tota inhorresco anima?

Confige, quaeso, timore tuo carnes meas, * timeat cor meum nomen tuum.

Universa enim salus nostra magna misericordia tua est, * purgationem faciens peccatorum nostrorum.

Per Gratiam ipsam tuam, stabilem me fac in Fide, * et in opere efficacem.

Tu, Domine, dixisti, * mansuetis dabo Gratiam.

Et alibi, * a Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Dona mihi mansuetudinem hanc et humilitatem; * propter quam, superbiam aversantem Diaboli, nullam sentiam amplius animi amaritudinem.

Et ita omnino curram post te, bone Jesu, * propter mansuetudinem tuam.

Ita etiam per Fidem rectam, et Fidei condigna opera, * dignum me redde Gloriam videre tuam.

Quando veniam, Domine, * et ante faciem apparebo tuam?

— Accipiamus, viri Fratres, armaturam Dei, * ut possimus in die mala diabolo resistere et satellitibus eius; et in omnibus perfecti stare.

Succincti lumbos in veritate; induti loricam charitatis; * sumtum assumamus Fidei; galeam spei; et gladium spiritus, quod est Verbum Dei.

Sancte Michael, Angelus pacis, defende nos in praelio, * ne in tremendo pereamus iudicio.

Ipse apud te Domine intercedente, supplices deprecamur ut quod ore prosequimur contingamus et mente. —

— Adeamus etiam, cum fiducia ad thronum Gratiae et Misericordiae Matris misericordiarum, * ut auxilium et pietatem, apud Jesum inveniamus, filium eius;

Per ipsam, viri Fratres, elementa renovantur, * Inferna debellantur; Angeli redintegrantur; homines salvantur.

Salve vere vitae principium; * Dei Verbi habitaculum immaculatum, et realiter incontaminatum.

In te mirabilia adoramus, Altissimi opera, * gloriosa, absconsa et immensa.

Gloria Patri, qui nos creavit; Gloria Filio, qui nos redemit, * gloria et Spiritui sancto, qui nos sanctificavit.

Gloria summae et individuae Trinitati; * cuius opera excelsa omnia sunt; cuius, sine fine, manet imperium.

Tibique, sancta Trinitas, et humanitati Domini nostri Jesu Christi, * virtus in saecula;

Et gratiarum actio ab Angelis, atque ab hominibus * propter misericordiam Sacramenti pietatis huius.

POST COMMUNIO

Ave, bone Jesu; * te sursum sedentem, adoratum ab Angelis, hic degustavimus.

Animarum amator, * te ipsum nobis immiscuisti quid simus, corpus capiti tanquam coaptatum.

Ardentium enim amantium hoc est; * ideoque magis magisque corda excita nostra in ardentis amoris tui flammas.

Unitas, ergo, nos compaginet, * ut corporis sanctissimi tui efficiamur membra.

Sed, ut compaginet unitas, * tua necesse est operetur charitas;

Animas curando nostras ab insanabili vulnere, * pedesque eripiendo o lapsu in deceptionem.

Charitas; quae in nostris diffusa est cordibus, * per Spiritum sanctum qui datus est nobis,

Spiritus enim viva reddit membra; * spiritus ergo est qui vivificat.

Nec spiritus iste sanctus vivificat, * quae a corpore invenit separata membra.

Ita etiam, anima, quae est in nobis, * membra tantum vivificat, quae in carne nostra sunt.

Amemus, ideo, viri fratres, unitatem; * et separationem a sacratissimo Jesu Christi corpore timeamus;

Separati ab eo, membra eius minime sumus; * nec ideo in spiritu vegetamur sancto.

Et, qui spiritum non habet Christi, * hic non est eius.

Spiritus est enim qui vivificat; * caro autem quidquam non prodest.

Spem ita bonam, Jesu Angelorum gaudium, nobis de futuris praebes; * et confirmes.

Quippe, qui nobis hic semetipsum tradis; * multo magis id in futurum facies.

Flos vitae immaculatissimus; Gratiarum multifluum flumen, * rectissima Coeli scala;

Maria, Angelorum gaudium, per Gratiam, quam meruisti, * amoris ac beatitudinis Filii tui et Gloriae, nos redde participes. —

— Semper Parenti et Filio
Sit laus, honor, et gloria;
Sancto simul Paraclyto
In saeculorum saecula. Amen.

CANTICUM LVIII.

DOMINICA IV. POST PASCHAE — FESTUM CORONAE D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra, pag. 1.).

Ecce plasmator meus, tu nullum spernis; neminem abiicis vel perhorrescis, * nisi forte qui te exhorruerit amens.

Licet in cunctis operibus tuis mirabilis sis; * mirabiliorem te esse credo in operibus pietatis tuae.

Susceptor meus ab infantia mea, Deus meus est, * et miserationes eius super omnia opera eius.

Infelix ego, te irritavi; et malum coram te feci; * furorem provocavi tuum, et iram promerui.

Peccavi, et passus es; * deliqui, et adhuc sustines.

Si me poenitet, parcis; si revertor suscipis; * insuper, dum differo praestolaris.

Expectas torpentem; et errantem revocas; * repugnantem invitas; et amplexaris redeuntem.

Initium superbiae hominis, apostatare a Deo, * quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius;

Incrassatus, dilatatus, impinguatus, * dereliqui et ego miser Dominum factorem meum.

Interea, miserationes tuae, * stultum supergressae sunt caput meum;

Propter hoc antea confessus sum miserationes tuas, * omnia longe supergredere opera omnipotentiae tuae.

Dona mane mihi spiritum contribulatum, * et contritum renova in me et humiliatum. —

— In memoriam, pie Deus, passionis Filii tui Jesu Christi, * spineam eius, in terris, veneramur coronam;

Ut ab Ipso domino nostro, * gloria et honore mereamur coronari in Coelis. —

— Apprehendit Pilatus Jesum, * et flagellavit;

Et milites, plectentes, coronam de spinis capiti imposuerunt eius.

Æterno Regi gloriae, devota laudum cantica, Fideles solvant hodie, * pro Corona Dominica.

Gaude felix mater Ecclesia, adsunt tibi nova solemnia, * nam Corona quondam in gloria, nunc, per orbem fulget gloria.

Adsunt Dominici serti solemnia, * laude multiplici plaudat Ecclesia.

Coronat Regem omnium
Corona contumeliae
Cuius nobis oprobrium
Corona confert gloriae.

Christum, sub serto spineo, deridet plebs perfidiae, * cuius eruore roseo, sertum confertur gloriae.

De spinarum aculeis
Christo Corona plectitur,
Quae ministris tartareis
Mundi potestas tollitur.

Corona Christi capitis,
Sacro perfusa sanguine
Poenis solutis debitis
Reos purgat a crimine.

Coronat Regem omnium, Judaea serto spineo, * stat inter spinas Lilium, vernans cruore roseo.

O decus Ecclesiae, gloriosa Spina, * sertum Regis gloriae, mundi medicina.

Praesentis angustiae dulcor et resina, * te laudantes hodie, serves a ruina,

Per hoc ludibrium, hostis deluditur, * mortis dominium per mortem tollitur.

Ita, dum mea tardat malignitas, * tua hortatur benignitas;

Amor ita tuus dissipat, * coecus quod meus timor ministrat.

Et, dum memoria meae formidinem ingerit vitae, * praesens pietas tua maximam ingerit fiduciam. —

— Domini nostri, viri fratres, Jesu Christi adorantes Coronam, * suum recolimus gloriosum triumphum.

Sertum exultationis eius, nostrorum malorum spincta suscipiens omnia, * Coronam de lapide pretioso nobis in Regno praeparat suo.

Surge triumphator, et in requiem ingredere tuam, * coronatus ingredere, tu et arca sanctificationis tuae.

Surge, Domine, * et in tua excita pietate desiderium parandi tibi locum in cordibus nostris.

Nos pauperes coelesti pasce pabulo; * et Sacerdotes, iustitia indutos, glorifica,

Sancti tui adoratores, ita in Ecclesia exaltabunt; * quam in habitationem elegisti tuam.

Et coelesti nos refecti cibo, * canticum in aeternum psallemus Domino Deo nostro.

POST COMMUNIO

Beatus ille, cuius spes est in te Domine, * qui Coelum et terram fecisti, mare et omnia quae in eis sunt;

Qui eloquium emittis tuum terrae,

ut fructus edat, et velociter impleatur sermo tuus;

Qui das nivem sicut lanam; * qui pruinam sicut cinerem spargis;

Qui summe iustus, iudicium facis nationibus; * et, summe bonus, indigentibus das escam;

Qui solvis compeditos; * et illuminas coecos;

Qui elisos erigis; pupillum custodis, * et viduam ad defensionem suscipis;

Diligis qui iustos; * et vias disperdis opprimentium illos;

Nostris qui ponis finibus pacem; * et adipe frumenti electorum, quod nunc cernimus in aenigmate, satias nos, —

— Ecce vidimus dilectum Filium tuum speciem non habentem; * neque decorem;

Qui peccata pertulit nostra; * et, spinis coronatus, pro nobis dolet;

Ipse Corona gloriae; ipse Diadema in doloribus et curis est, * ut nos poenis curaremur et doloribus.

Pro nobis, perfrictae frontis homines * numeroso verre benignus, nectere sinis frontem venustam tuam.

Spina carens flos, spina pungitur; * per quam culpae configitur spina,

O quam felix punctio, * o quam beata spina, de qua fluit unctio, mundi medicina;

Spinae rubent Sanguine, Christum cruentantes; * mundum lavant crimine, Coelum reserantes;

Felix spina, cuius aculei, * guttis rubent notis sanguineis;

Vires frangunt Regis Tartarei; * seras pandunt regni siderei.

O Spinarum immensa gloria; * quae tot nobis praestant remedia. —

— Ave dulcis Mater Christi,
Quae dilectum Filium
Capi, caedi, flens vidisti
Manibus crudelium!

O, per ensem huius doloris,
Qui tuam scidit animam;
Fac me finet vis amoris
Mortis ad victoriam.

Ave Christi mater, legum custodia; * quae antiquas Prophetarum praedictiones ad finem perduxisti.

Salve vestis purpureo Regis terribilissima; * thronus, salve, Cherubicus cruciformis; * in nostras afflicta respice afflictionibus. —

— Summi ad Parentis dexteram
Sedenti, habenda est gratia;
Qui nos redemit sanguine
Sanctoque firmat Spiritu.

CANTICUM LIX.

FESTUM S. FRANCISCI DE HIERONYMO, INCLYTUM SOCIETATIS JESU.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Speciosa est domus societatis nominis Jesu, * in deliciis affluens;

Diligo decorem tuum; * quia habitatio est te in dilectionis et gloriae Dei mei.

Haec est vera *fraternitas*, quae vicit mundi crimina; * Christum secuta est, excelsa tenens caelestia regna.

Tibi nocte peregrinatio suspirat mea; et tibi in die cor inhiat meum;

Mente etiam ad Societatem nominis Jesu; * quae ad Societatem conglutinatur civium supernorum.

Sanctam et mirabilem pulchritudinem tuam, * non mea propter merita, sed, per sanguinem eius, quo redemptus sum adipisci non despero. —

— Sed, erravi Domine, sicut ovis deperdita; * ideoque incolatus prolungatus est meus.

Immo et procul proiectus sum a facie Dei mei, * in hanc exilii coecitatem.

Deus, mansuetudinem, dulcedinem, et laborem considero servorum tuorum suavitatemque conspicio, et misericordiam; * et cognosco e via me erravisse veritatis.

Et, dum bonitatem, clementiam, et humilitatem admiror, * fateor et deliquisse. —

— Apparuit nobis benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei, * erudiens nos;

Et dicens, * « discite a me, quia mitis sum et humilis corde, » et cum iniquis misericors,

Et ecce servus tuus Franciscus de Hieronymo, inclytae Societatis tuae Jesu; * benignus inter egenos, infirmos et tribulatos, nobis dulcis apparuit et suavis.

Cum ei malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; * egregium mansuetudinis testimonium et humilitatis Salvatoris nostri Jesu Christi extitit.

Mitis, pacificus, utilis et misericors, gaude, beate et exulta, * quia merces tua magna jam nimis est in Coelis. —

— Dominus noster Jesus Christus, cum dives esset, * egenus propter nos terrae vermiculos factus est.

Et amodo voluntariam coluit paupertatem, ut matrem habere maluit pauperem, * pauperemque nutritium, pauperesque discipulos.

Non habebat in Praesepio ubi reclinaret caput, * egenum in domo Parentum, et in Cruce nudum vidimus etiam et expoliatum!

Ipse et pauper pro Christi nomine Franciscus, factus est, * non aurum, non argentum, non peram, nec duas habuit tunicas. —

— Benedictus Dominus Deus Israel, qui pauperem eruit de manu violenti, * de angustia eripit eum et adiuvat de inopia.

Benedictus qui iudicium pauperi tribuit ut saturetur in suis propriis bonis; * Ipse eius exaudit sanctum desiderium.

Ita, qui despicit pauperem, exprobat dactori eius; * et vae qui leges condunt iniquas ad opprimendum eum in vlis eius.

Eloquia Domini iuxta et casta; * ipse est veritas, ipse puritas, et puritatis plenitudo;

Dilectus noster Jesus, pascitur inter Lilia, choreis septus virginum, * quem mater illa concipit, quae sola virgo parturit.

Speciosus es dilectus noster prae filiis hominum; * speculum sine macula; et aeternae lucis candor.

Et ego, undequaque, * omni inquinatus sorde,

Summae, tamen, tuae, Jesu pie, puritatis amator, * tibi, flos virginum, matri tuae castissimae, curiaeque Coelesti, castam promitte vitam. —

— Adeamus, viri Fratres, ad misericordiae thronum * cum fiducia;

Et ad aram adeamus beati Francisci, animarum zelatorem, casti eloquii Dei eximi praeconis, * et immaculatae vitae aemulatoris;

Ut, intercessione eius, legis mandata ingiter in corde scrutari obtineamus; * fideliterque operibus exequi.

Expulsi a Paradisi gaudiis, modulamur quotidie lugubre nobiscum Carmen; * ingentesque lamentationes;

Sed spes reviviscit nostra in eo, * qui inimicitias in carne dissolvit sua;

Et qui, omnia quae in Coelis sunt, et quae in terra, * in sanguine vult pacificare suo.

O Dux et glorificator, * in sinu nos tuo reportari volumus;

O bone Pastor, * super tuis nos sublevа humeris.

Ut inenarrabili illo gaudio tripudiemus tuo, * quo laetantur illi, qui in sanctam perveniunt Hierusalem. —

— Et tu, mea Mater, potentia seda tua animae meae passionum impetum; * et mortiferarum affectionum simulacra amove, o casta, o pia.

O splendor mystici inoccidui sideris, o mea matutina Stella, * mihi Solem fulgidissimum qui ab utero processit tuo, clementer ostende.

O casta o dulcis virgo Maria, * decorem tandem vultus videam tui.

Et speciosum videam vultum eius, quem, vagientem, in ulnas recepisti tuas; et lacte, de Coelo praestito, cibasti eum. —

— Credentes, viri Fratres, in Christum, quem non videmus, * exultabimus laetitia inenarrabili et glorificata;

Communicantes in Eucharistica mensa Christum Jesum, vivum et verum, in anima corpore et Divinitate, * finem reportamus Fidei nostrae, idest salutem animarum nostrarum.

POST COMMUNIO

Exquisivimus faciem tuam, Domine Jesu; speciosus in omnia, * faciem adhuc et semper requiremus tuam.

Torrente voluptatis tuae in praecelso ac venerabili Sacramento potasti nos; * hoc fidei mysterium et memoriale tuum in desiderium est omnium populorum.

Largire nunc nobis per infinitam pietatem tuam, * ut labor vitae huius, qui est pro te, semper nos delectet;

Et taediosa omnis sit quies, * quae est sine te.

Frequenter fac nos cor ad te dirigere; * et in defectione nostra, cum emendationis proposito, dolenter recogitare.

Obedientes nos redde, sine contradictione, et abiectione, * patientes, sine remuneratione; et humiles, sine fictione;

Judicia timentes tua, * sine disperatione.

Fac nos veraces sine duplicatione, * et bona operantes sine presumptione.

Proximos corrigentes sine elatione, * et ipsos aedificantes, verbo et exemplo, sine simulatione.

Has, beate Francisce, Nationes et Populi, in te admirati sunt virtutes, * et nobis easdem, te intercedente a Deo expectamus.

Impetra et etiam cor firmum nobis specialiter fratribus tuis, * quod nulla obducat a Deo pusillanimis cogitatio;

Nobile impetra, * quod nulla obliquet sinistra intentio;

Pariterque invictum, * quod nulla, temporibus iniquis nostris, frangat tribulatio vel angustia.

Et liberum etiam; * quod nulla sibi vindicet perversa aut violentia affectio.

Quicumque ab imo pectore
Dolens trahis suspiria
Francisci ad aram sistito,
Opemque fidens invoca.

Ille arcet hic furentium
Procul catervas Daemonum;
Obesse nec nobis sinit
Artes eorum subdolae.

Illi ignis, aer, flumina,
Tellusque victa subditur,
Suisque prona iussibus
Tristes refrenat impetus.

Illo Patrono et auspice,
Infanda cedunt crimina.
Niror redit virtutibus,
Quiesque menti redditur.

O qui perenni promicas
Miraculorum gloria,
Audi, benignus, supplices,
Nostrisque votis annue. —

— Ad Mariam, viri fratres, rapidi cordis properantis amores; * illic tuta quies, * ac levamen erit.

Cum Mariae species animo, cum cura recurrit, * dulcescit vitae haec, quidquid amara vehit;

Illa graves animi solabitur una labores; * corporis illa etiam triste levabit onus.

Nos Mariae cultum, Mariae nos signa sequentes, * auspice ad pugnam quam meliora vocant. —

— Aeterna Patri gloria,
Aeterna Proli et unicae,
Aeterna sit Paraclyto
Per saeculorum saecula. — Amen.

—

CANTICUM LX.

INVENTIO SANCTAE CRUCIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Inventricem Gratiae, o Maria, * te appellant Patres et Doctores;

Hortus diliciarum, mysticum Paradisum, * illaborate auctorem gignentem Gratiae;

Et immortalitatis florentem, * semperque viventem et vigentem.

In te lignum vitae plantatum fuit; * et genitrix extitisti vitae, et gaudii mundo perdito.

Ideoque inventrix es totius veniae, et vere pacis dispensatrix, * in merito crucis Domini nostri Jesu Christi.

Spes et fortitudo nostra, salve, * turris esto fortissima nostra. * quia carissima Deo, quantum et nobis clementissima;

Armatura esto insuperabilis; spiritualium hostium phalanges a nobis repellens.

Scutum, refugium, et solamen in angustiis et tribulationibus, * quibus circumdamur.

— Si omnia suscipimus bona de manu Dei, idest Jesum Christum et Mariam; * mala quidem possumus, et libenter sustinere debemus.

Nonne scriptum est; * « qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me? » —

— Dies mei, velocius transierunt, quam a texente tela succiditur; * et quod peius vacui et inanes.

Consumpti sunt absque ulla spe; * memento mei, Domine, quoniam ventus est vita mea.

In misericordia tua corripe me, Domine; * et non in furore tuo, ne forte ad nihilum me redigas.

Non abscondas a me, Domine, faciem tuam; * manum tantum longe fac a me, ne formido me terreat tua;

Et constitue mihi tempus, in quo recorderis mei; * crucemque ex humeribus sublevа meis.

Spem in alio alique numquam habui; * praeterquam in te Deus Israel;

Qui irasceris, et modo propitius faciem mihi ostendis tuam; * omnium peccata in tribulatione dimittis.

Ideo video recogitans necessitatem meam et benignitatem tuam; * et considero quantum tibi amoris debeo.

Pondus originalis peccati, deorsum me trahebat, * et me onus premebat imperturbabilis iudicii tui.

Inimici Daemones, ut me damnabiliorem facerent, quantum in ipsis erat, vehementer insistebant, * ad vultum arma ponens meum; * et gressus adigens supplantare meos.

Sic omni destituto auxilio, tu, benignissime, per Crucem illuxisti mihi; * et, quomodo eram, ostendisti.

Et quia ego nondum hoc noscere poteram, sancta mater Ecclesia, quae pro me noverat pro me postulavit; * et postea me docuit.

Peccatum, in quo conceptus et natus eram, et damnationem, * per Sacramentum amovisti Baptismi;

Et malignos prohibuisti Spiritus; * ne vim animae facerent meae.

Christianum me fecisti, de nomine vocare tuo, per quod ego te confiteor; * et me inter redemptos adnumerasti tuos.

Fecisti me confidere de salute animae meae, pro qua, in cruce, tuam dedisti animam; * et ultro mihi Gloriam pollicitus es tuam.

Et ecce, nondum te sequor sicut consuluisti, * immo multa, quae tu prohibuisti, committo peccata.

Sed adhuc clementer expectus ut te sequar; * et dones quod tu promisisti, fructum, videlicet almae *Crucis* tuae,

Crux, ergo, tua semper sit mecum; * et ipsa mihi in refugium;

Salve perpetuae volvenda in saecula pacis signum, * cui stetit impavido pectore fida Comes.

In te animus Portum; curae solatia poscunt; * in te delicias spiritus inveniat.

In Cruce vita, salus pax, et victoria; * nulla, in cruce, qui vivit, damna minasque timet.

Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet, * super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior;

Arbor dignissima, in Paradisi medio sita; * in qua, salutis auctor, propria morte, mortem superavit omnium.

POST COMMUNIO.

Gustate et videte, quam suavis est Dominus; * ecquis amare valeat quod ignorat?

Ore probemus nostro huius cibi dulcedinem; * cuius delicias sancti esuriunt omnes.

Appetamus inde, quia appetitus esurientem facit; * et, satietas, novum gignit appetitum.

Cogitemus, viri fratres, quali fruamur mensa; * et quali insigniti simus honore.

Angeli, videntes, horrescunt; * neque libere intueri audent ob emicantem inde maiestatem.

Benedicimus, gratias agimus tibi, Domine Jesu, * propter ardentissimam charitatem tuam.

Benedicimus et exaltamus sanctum et aeternum sacerdotium tuum; * et desiderium illud quo desiderasti Pascha in perpetuum manducare nobiscum.

Benedictus Dominus in donis suis; * et sanctus in omnibus operibus eius.

Crux Christi vincit; * crux regnat; et saeculum imperat saeculi.

Non timebo quid mali eveniat mihi; * sub umbra crucis sperabo tuae, donec transeat iniquitas.

In quacumque die, et quotiescumque crucem sanctam invocavero tuam; * tu, benigne, me exaudies.

— Et me, per dulcissimam exaudies matrem tuam; * quae pro nobis stabat iuxta crucem tuam.

Andriani.

Praeelegisti Mariam ad matrem tuam, * ut quos, instituta salvare renuebat tua, per suam reconciliares pietatem.

O Maria, Filius tuus Jesus, non iustos, sed peccatores vocare venit; * ideo magis propter istos, quam propter iustos, facta es Dei mater.

Et non abhorres peccatores; * sine quibus nunquam tanto fores digna filio.

A te salutem speramus; * quia non immanitas nostra cogere nos potest veniam per te non adipiscere.

Sancta Dei Genitrix, * in die iudicii sis nobis auxiliatrix.

Jesus Mariae Filius, nobis sit per matrem suam propitius et clemens, cui hymnum gloriae cantabimus in saecula.

Lustra sex, qui iam peregit
Tempus implens corporis
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus, ecce languet
Spina, Clavi, Lancea
Mite corpus perforarunt,
Unda manat et cruor
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine,
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos arbor alta
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam;
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit
Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Aequa Patri, Filioque,
Par decus Paraclyto;
Unius trinique nomen
Laudet universitas.

CANTICUM LXI.

DOMINICA QUINTA POST PASCH.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Te Domine Deus, absentem nunc quaero, * et in nocte exclamo « cur faciem a me abscondis tuam? »

At stulte, nam in omnibus es mihi praesens; * in Sole, ut mihi luceas; in aere, ut refrigeres; in igne, ut calefacias; et in pane, ut me nutrias.

Video prata, fontes, arbores fructus et flores; * et suavitatem, fragrantiam, dulcedinemque video tuam.

Sed tu, dilectus meus, pulchrior, dulcior; * et amabilior es his omnibus;

Nam florum odor, fructuum suavitas, * et gemmarum splendor a te progignuntur.

Coecus tamen essem, Domine Jesu, et ne adhuc quidem te viderem, nisi praesentem te in templis haberem; * in sacris aediculis, imaginibus, rebusque sanctis.

Cerei, urceoli, candelabra, linteola, vasa sacra, et paramenta mihi dicunt; * ibi Dominus Jesus et amor requiescit tuus.

Ibique te expectat; * et ibi, pro tua immolatur salute.

Revera hic adoratur Christus; * hic me, patiens, longanimis, praestolatur, et misericors.

Semet ipsius vox in auribus suavissima meis dum sacram audio psalmodiam; * nunciosque ausculto, et legis eius praecones concionantes;

Video Sacramenta conferri, et dico, * « *Christus baptizat meus; confirmat, et absolvit;* ipse est qui *consecrat et Missam celebrat.*

Hic sua dona, merita hic sua; * hic, vere et realiter, praesens, Carnes et Sanguinem largitur suum.

Multitudo Christianorum hic adest; * in quos tam saepe ipse ingressus est.

Quos mundavit; quos meritis ditavit, * gratiisque conciliavit;

Christiani omnes templa sunt Christi; * membra eius; et anima eius;

Ita modo credo, dulcissime Jesu, * amabiliter te esse mihi praesentem;

Ita te in fratribus agnosco meis, * imago, magnificentia, et amor tuus, proximus meus est.

Nam in superioribus, honoro te ut Patrem, * in aequalibus, et in inferioribus, ut fratrem;

Et in praelatis, * ut pastorem, et legis doctorem.

Sed praestabilius nobis erit habere te tantum prae oculis in rebus sacris et in proximo, * potius quam simul in oculis, et in sinu?

Revera, si me amare digneris, si misereberis mihi; * praesentem te, realiter cupio et corporaliter, ardenterque desidero;

Et intimum adesse mihi; * et in corde requiescere meo sicut et prae oculis.

Animam istam meam, tuo emptam sanguine; quam tibi toties consecravi votis; * totam tibi coniunctam esse flagito.

Et quia non sum incorporeus, et ipsa anima corpori conserta est; * non incorporea tantum dona, sed, in sensibilibus, intelligibilia ei praebeas oro.

Non enim quis in te erit, * nisi in quo tu ipse fueris;

Nec tuam tantum sibi coniunctam habet carnem, * ni qui tuam etiam recipit gratiarum copiam.

Oh! pietatis Sacramentum; o unitatis nostrae cum Deo signum; * et etiam intima coniunctione sacratissimi Corporis, Sanguinis, Divinitatisque tuae.

POST COMMUNIO

Victricem manum tuam, Domine,

laudamus nos omnes, pariter dicentes, *alleluia.*

Quia sapientia os aperuit mutum; * et infantium linguas fecit disertas;

Ne memineris iniquitatum antiquarum nostrarum; * nec ebrietatum, quas furor suscitavit, sive mali desiderii fervor. —

— O Maria, quia tibi coelestis Regni claves et thesauri commissi sunt, * te *ianuam* salutamus Coeli.

Et etiam te Paradisi salutamus *scalam*; * quia per te Deus in terram descendit.

Tuus sum ego utpote Filius tuus; * et; per te, confido ad Coelum ascendere.

Dirigere, sanctificare, et custodire, Domina Maria, corda et corpora dignare nostra; * sensus et sermones nostros;

Actus quoque in operibus mandatorum; * ut fideles, liberi, et salvi esse mereamur.

Tui sumus, et Filii tui, * et, per te, confidimus repristinare salutem.

Surrexit Jesus filius tuus et frater noster; * et, pro nobis moriens, humani misertus est generis.

Et tu, nostra mater, cum illo compassa es, nostris condolens miseriis; * et subveniens aerumnis.

Salve igitur, hominum et Angelorum Regina, * salve Domina Principatibus ipsis superior.

Salve immaculatum Christi promptuarium; * salve felix ianua, per quam nobis aditus ad vitam patet omnibus.

Vellus, salve animatum, * et nostrarum unica spes animarum. —

— Exaudi nos, Domine Jesu, ut nostra sancta redemptionis commercia, vitae nobis conferant praesentis auxilium, * et sempiterna concilient gaudia. —

—Sit Patri, Nato, pariter coaevo
Flamini sancto, salus una, cuius
Nomen in Coelis sine fine laudat
Spiritus omnis.

CANTICUM LXII.

ASCENSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN COELUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Ascendit Deus in iubilatione,* et Dominus in voce tubae, captivam ducens captivitatem.

A summo coelo egressio eius, * et occursus eius usque ad summum eius.

Reges terrae, et omnes populi, * cantent te Deus;

Psallant Domino nostro Jesu Christo, * qui ascendit super coelum coeli, in orientem.

Exaltare, Domine, in virtute tua; * cantabimus et psallemus, *alleluia, alleluia.*

Unigenitum tuum Deus ad Coelum rediisse credimus, * concede nos mentibus in coelestibus habitare; et tandem pervenire.

Ipse est corona spei nostrae; * qui ornavit gloriam vincentibus praeparatam.

Ipse famelicorum aeterna satietas; * esurientibus danda.

Consolatio ipse sempiterna; * quae solis se tribuit illis, qui mundi huius consolationem pro sua contemnunt perpetua consolatione.

Nemo in utroque saeculo consolationem habere potest, * unum necesse est ut perdat, qui alterum possidere velit.

Et iustum est te amittat quicumque idolorum colit simulacra; * vel in alio aliquo magis satisfieri eligit, quam in te. —

— Tu Jesu, dulcedo inaestimabilis in gaudiis, et in vita tribulata; * per quam dulcedinem cuncta dulcorantur amara.

Dulcedo ista Stephano protomartyri, lapidationis tormentum dulce reddidit, * et craticulam beato Laurentio.

Prae dulcedine tua Apostoli gauden

tes ibant a conspectu Concilii, * quoniam digni habiti sunt pro tuo nomine contumeliam pati.

Securus Andreas ibat ad crucem et gaudens, * quoniam ad tuam properabat infinitam dulcedinem.

Pro hac mercede Bartholomaeus propriam dedit cuticulam; * et veneni poculum Joannes ebibit.

Apostolorum Princeps, unus, pro hac tua dulcedine, Crucis elegit patibulum; * et caput quoque alter feriendi gladio supponere non timuit.

Ipse Petrus, et Andreas, et Joannes, unam antea in *transfiguratione*, dulcedinis tuae gustaverant stillam, * et omnem, pro tuo nomine, deinceps, fastidivere dulcedinem aliam.

Haec est enim magna illa multitudo dulcedinis Divinitatis tuae, * quam nobis praeparasti in coelum ascendens.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta Lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?

Perrumpis Infernum, chaos,
Vinctis catenas detrahis;
Victor triumpho nobili,
Ad dexteram Patris sedes,

Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias;
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu Dux ad astra, et semita;
Sis meta nostris cordibus;
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium.

POST COMMUNIO

Amo te Deus meus captivus in hoc ciborio; * te peramanter amo, potus, cibus meus, substantiaque mea.

Amo te, qui in Coelis es, mecumque in hoc exilio; * amo et magis magisque amare cupio.

Omni qui es melle dulcior; omni nutribilior lacte; * omnique luce clarior.

O ignis, qui semper ardes, * et numquam extingueris, nec tepescis;

O amor, qui semper ferves; * et numquam extingueris, nec tepesces;

Accende me, * ut totus, quantus sum te diligam.

Diligam te, Domine, fortitudo mea, * quoniam tu prior dilexisti me.

Grates ex toto cano corde tibi; * tota ex anima propter magnam misericordiam tuam,

Et propter innumera beneficia; * quibus, ab initio, educasti me;

Discrevisti me ab infidelibus; * pariter et a sensibilibus creaturis;

Insuper honorificasti me, et exaltasti, signans cor meum lumine vultus tui, et paulo minus ab Angelis minuisti me;

Quotidianis, et singularibus donariis beneficiorum me nutricasti tuorum; * et quasi filium tenellum, uberibus consolationis tuae lactasti et corroborasti.

Ab omnibus me liberasti periculis, * et in aerumnis et infirmitatibus me sanasti.

Tu autem, Domine, expectatio et desiderium Israel, * ad quod cor suspirat meum, festina ne tardaveris.

Surge, propera, et veni, ut de isto me educas carcere ad confitendum nomini tuo; * et ut te glorificer in lumine *Ascensionis* tuae.

Mihi, Pater, quotidianum dedisti panem, in cuius fortitudine ambulabo, * usque quo perveniam et ascendam ad montem sanctum Oreb.

Parvulus inter familiae tuae parvulos, Deus Pater et virtus mea, veniam; * et securus apparebo in conspectu maiestatis tuae.

Ut qui nunc confiteor ad tempus, * confitear et tunc in aeternum tibi.

Omnis pulchritudo Jesu Christi mei, exaltata est super sidera; species eius in nubibus Coeli; * et nomen eius adoratur in terra, sicut et in Coelis.

Qui in via ambulavit immaculata, *

ministrabunt coram te in excelsis.

Ubi, absque ulla penuria, panem comedemus vitae, * et rerum omnia abundantia perfruemur.

Ubi Gloria, Claritas, Jucunditas; loci amoenitas, * in Congregatione gaudebimus bonorum.

Æternitas haec, tecum simul, est optabilis sublimitas; * et tota simul et perfecta interminabilis beatae vitae possessio;

Ibique, ex hac lacrymarum valle, Unigenitum, Domine, adoramus tuum et Mariam ad dexteris eius, * mater est ipsa, veri gaudii, et clarissima Coeli stella.

O Maria! Columba puritatis, columna veritatis, corona virginitatis, * et deliciae sanctissimae Trinitatis;

O Maria! Tabernaculum Dei non manufactum, magnes Coeli, arca sanctificationis, * et Altissimi adiutorium.

O Maria! in Hierusalem potestas est tua, * idest adprecando, et imperando quod vis.

Coelestis aulae ianua, * filiorum tuorum eiulatum audi.

Quid de pietatis Filii tui fonte, * nisi in nobis tua exerceatur pietas?

Jam morte victor obruta
Ab Inferis Christus redit,
Fractisque culpae vinculis
Coeli recludit limina;

Visus satis mortalibus,
Ascendit ad coelestia
Dextraeque Patris assidet
Consors Paternae gloriae.

Quem iam suis promiserat
Sanctum daturus Spiritum,
Linguis amoris igneis
Moestis alumnis impluit. —

— Jesu tibi sit gloria
Qui victor ad Coelum redis
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula — Amen.

CANTICUM LXIII.

FESTUM S. PASCHALIS BAYLON.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

O dies praeclara et pulchra, nesciens vesperum non habens occasum, * in qua vocem audiam exultationis « intra in gaudium Domini tui. »

In domum Dei mei, ubi sunt inscrutabilia; * et, sine mensura, vel numero, mirabilia;

Ubi est gaudium sine tristitia; * quod aeternam continet laetitiam,

Et ubi est securitas; * et secura tranquillitas;

Quia, ibi est beata Trinitas; * et Trinitatis unitas;

Unitatis Deitas; et Deitatis beata visio; * quae gaudium nostrum erit.

Videbo, perveniens tandem ad hanc visionem grandem. * Quid est quod me, senescentem, adhuc detinet?

Quamdiu miser iactabor in fluctibus mortalitatis huius? * clamans ad te, Domine, et non exaudies?

Audi, Domine, clamantem de hoc gurgite vasto, * et adduc me ad portum securitatis aeternae.

Quamdiu dicetur mihi expecta et reexpecta? * et nunc, quae est expectatio mea, nonne tu Domine?

Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum; * qui corpus reformabit caducitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.

Expectamus Jesum Dominum quando revertatur a nuptiis; * ut ad suas nos inducat mansiones;

Veni, Domine, et noli tardare, visita nos in pace; et vinctos de carcere trahe; * ut laetemur coram te corde perfecto.

Felices, qui de procellarum salvati periculis, * ad te tutissimum asylum pervenire meruerunt, et in perpetuum remanere,

Qui de pelago ad litus, de exilio ad patriam; * de carcere ad palatium, optata, iam beati, potiuntur quiete;

Qui bravium illud perpetuae gloriae, quod hic per multas quaesierunt tribulationes, * iam felici iucunditate adepti, regnum concinunt decoris. —

— Ecce, iam, in hac expetita laetitia, gloria indutus, Paschalis iucundatur Baylon; * quam in terris lacera contexit vestis! —

— Videamus viri fratres, nonne quod non nobiles, non potentes, vel sapientes, * sed quae stulta oculis apparent nostris, elegit Deus ut sapientes confunderet?

Almo precanti famulo,
Cor, Christe, nostrum suscita;
Ne quando pulsas ianuam
Stulto sopore torpeat.

Et ad te accipiendum vivum et verum in hoc mirabili Sacramento, * oret ut animae accendantur nostrae sui ipsius amore.

POST COMMUNIO

Spes humani generis, Christe, Deus de Deo, * nostrum refugium et virtus;

Cuius lumen, inter caliginosas nebulas, * quasi stella, oculos nunc irradiat nostros;

Clavo crucis tuae, piissime, vitam guberna nostram; * ne pereamus in periculis, et ne profundum nos absorbeat.

Exaudi nos, spes omnium finium terrae et in mari longe, * nos, qui in turbulento versamur gurgite.

Vanum est nobis surgere ante diluculum pro salvatione nostra, * si tu non adiuveris nos.

Nisi tu ipse aedificaveris in nobis mansionem tibi dignam; * in vanum laboramus ad aedificandam et custodiendam illam; —

— O Maria, in te gratia omnis viae et veritatis, * in te omnis virtutis spes et vitae.

Beati qui fidem et desiderium suum de benignitate implent tua et filii tui; * non confundentur quando inimici loquentur eis in porta aeternitatis.

Et beati servi filii tui, qui tuum invocant nomen; * quia, o beata mater, in plenitudine sanctorum est detentio tua.

Ave primitia communionis, * et coniunctionum omnium Dei cum suo figmento.

Ave Rosa coelicolae amoenitatis, et concha margharitifera;

In te spem reponimus nostram; * ne excidamus a salute.

Salva nos, in omnibus periculis, auxilio destitutis; * et adversariorum nostrorum consilia dissipa. —

— Jesu bone, largire mihi charitatem, mansuetudinem et humilitatem Paschalis servi tui; * largire et contemptum mei.

Temerarium fac, Domine, effugiam iudicium * et humanum contemnam.

Nec me existimans in propria confidem conscientia; * sed omne iudicium tribuam tibi; et laudem a te tantum quaerem.

Sepi aures meas spinis; * et libera me a lingua iniqua, periuri blasphematoris, detractoris, et ab iniustis et coinquinatis hominibus.

Et tuis, inclyte Baylon, precibus animum lassis et robur adauge, * sic largo, in nos cunctos, gratia fonte veniat.

Laeta devote celebret minorum
Turba Paschalem, recolens frequenter
Quam pie sanctam venerans Synaxim
Arsit amore.

Dum puer pascit pecus iste, seque
Pane iam pasci cupit Angelorum,
Hunc in excelsis meruit patente
Cernere Coelo.

Jugiter sacras inhians ad aras,
Dum cibum vitae meditatur, haeret
Totus; et, sancto liquefactus igne,
Lucet et ardet.

Increpans hostes Fidei: « fidelis
Pane, ait, Christum recipit sacrato. »
Martyrem non dat gladius, sed ipsum
Prompta voluntas.

Qui, quoad vixit, coluit supernum
Tam pie panem; reserat beatos
Morte, iam clausos oculos, veinique
Vivus adorat.

Christe, Paschalis meritis, ut omnes
Corde nos mundo facias, precamur
Coelica ut digne, mereamus Esca
Saepe cibari. —

CANTICUM LXIV.

DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Optatus nobis omnibus
Sacratus illuxit dies;
Quo Christus, mundi spes, Deus
Conscendit Coelos arduos.

Ascendens in altis Dominus,
Propriam ad sedem remeans,
Gavisa sunt Coeli regna
Reditu Unigeniti.

Magni triumphum praelii,
Mundi perempto Principe
Patri praesentans vultibus
Victricis carnis gloriam.

Est elevatus nubibus,
Et spem facit credentibus,
Aperiens Paradisum
Quem protoplastus clauserat.

O grande cunctis gaudium
Quod partus nostrae Virginis
Post sputa, flagra, post Crucem
Paternae sedi iungitur.

Agamus, ergo, gratias
Nostrae salutis vindici,
Nostrum quod corpus vexerit
Sublimem ad Coeli regiam.

Sit nobis cum Coelestibus
Commune manens gaudium:
Illis, quod se praesentavit;
Nobis, quod se non abstulit.

Nunc provocatis actibus,
Christum expectare nos decet;
Vitaque tali vivere
Quae possit coelos scandere.

Clementissime Domine, diligenti te postulata facillime concedis; * « Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae. »

Et exuberans amor tuus, * una cum spiritualibus bonis, temporalia quoque amanti tribuit et concedit.

« Si mandatis obedieritis meis, dicit Dominus, pluviam dabo temporaneam et serotinam; * ut fructum colligatis vini, et olei, et foenum ex agris. »

Ostendis etiam amanti et tuam extendis dilectionem; * « faciens misericordiam in millia millium, iis qui diligunt me. »

Et sapientiam infundis, sicut etiam scriptum est « Unus est Altissimus, et sapientiam suam praebet diligentibus se.

Gaudium, et etiam, cum laetitia tribuis * « dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo laetitiae. »

Domine Jesu amantium remunerator largissime; * et nos, quamquam poenam non gloriam, in tua tamen confidimus pietate.

Fons inexauribilis amoris, * cor ad amandum inflamma;

Ita, ut spretis transitoriis, et huius miserae vitae caducis, * in te, per assiduam maneamus contemplationem.

Jugum tuum suave est, et onus leve, * nullus causam habet vel excusationem te non diligendi;

Fragilitas corporis, aeris paupertas, et vitae infirmitas, * a ieiunando, a peregrinando ad *Sanctuaria* excusant;

Sed quonam modo, a non diligendo excusabitur quispiam, Dominum Deum; * et proximum nostrum?

A non adorando Deum? * debitusque ei rependendo gratias?

Forsitan pes, amando te, claudicat? vexatur venter, et caput dolet? * forsan et evacuatur crumena?

Minime, * quia dilectio consistit in anima.

Et qui amat non pauperatur, neque laborat: * vel si etiam laborat, laborem non sentit.

Amoris scientiam non nostram exsuperat facultatem; nec est ultra hominis cognitionem; * Deo iuvante, apprehendere et perficere possumus.

In mente est et in corde amare te Domine summe delectabilis, et summe pretiosus; * in ore est te confiteri.

Ex dilectione vitam vivit homo gratiae, * opera multiplicat bona, ut terram possideat viventium.

Domine Jesu, valde amabilis et perquam bone, facilis est in quocumque statu gradu et conditione amare te, * qui fons amoris es.

O miser ego et miserabilis peccator, qui oculata haec video fide, * et cognosco quod facere deberem et non facio.

In peccatis permaneo, delector, et obduresco; * in illis, fere continue, prostratus iaceo.

Animam, piissime Domine, respice meam, * oculo mirericordiae tuae.

Purga eam, ut te vivum, accipiens, et verum; * dilectionem obtineam sempiternam.

POST COMMUNIO

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, * dele iniquitatem meam.

Et infinitum amorem tuum, * in animam infunde meam.

— Initium Sapientiae est timor Domini; * ideoque Sapientiae exordium est tebro renuntiare huic saeculo.

Dilectio sancta custodia legum est; * quia omnis Sapientia timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum; * et laudatio eius manet in saeculum saeculi. —

— Oculorum extollentiam et malignum desiderium averte a me Domine; * et animo irreverenti et infrunito ne tradas me.

Ne derelinquas me, Domine; * et ne ignorantiae accrescant meae, et mea multiplicentur delicta, aufer a me concupiscentias.

Aeternae lucis conditor
Qui magna Coeli sidera
Splendore ditas novo,
Miroque volvis ordine;

Quaecumque terras incolunt,
Quaecumque tranant aetera,
Quaecumque pontum permeant,
Te sospitante gestiunt.

Tu cuncta spargis Artifex
Quae procreasti semina,
Et providenter exeris,
Et providenter elevas.

Vitae dator, vitae Sator,
Cunctis ades, cunctos regis,
Pascens, et omne vestiens
Late genus mortalium. —

— Pietate tua propinquos, amicos et proximum mecum custodi; * et oculos misericordiae tuae super nos adducere et nunquam amovere digneris. —

— Filia Regum, Regis Regum mater, et Regina martyrum, * pro nobis exora;

Omnes nos viscera adoramus misericordiarum tuarum, * amamus et laudamus.

Flos de spinis, spina carens, sed flos gloria spineti, * memento mei, et omnium qui sese meis commendarunt precibus;

Salve gentis nostrae laetitia, * honorificentia populi nostri, et gloria Israel.

Conclude ora Leonis et dentes eius; * labiaque constringe persequentes nos.

Tui vultus splendor fulgeat super nos, * ut munda semper conscientia appareat nostra apud Altissimum. —

— Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera,
Cum Patre et sancto Spiritu
In sempiterna saecula. — Amen

—

—

CANTICUM LXV.

F. S. MARIAE MAGDALENAE DE PAZZIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.).

Audi Domine Deus meus, audi oculorum meorum lumen, audi quae peto, * et da ut quod peto exaudias.

Si despicis, pereo; * si respicis, vivo.

Si iustitiam requiris meam, * utpote mortuus, foeteo;

Sed si cum misericordia respexeris, * foetentem resuscitas de sepulchro.

Quod in me odisti, longe fac a me; * et charitatis et continentiae spiritum insere in me.

Deus unus et trinus, qui semper es, et in omnibus, * Deus benedictus in saecula, tibi visum et auditum, tibi gustum odoratum et tactum commendo meum.

Memoriam, locutiones, insuper et actiones, * fidem et perseverantiam meam in manu bonitatis commendo et potentiae tuae. —

— Da mihi, Domine, per intercessionem sanctae Mariae Magdalenae, * timorem tuum cum amore.

Compunctionem etiam concede mentis, * humilitatem puramque conscientiam.

Tanto divini amoris igne aestuabat ipsa, * ut cum impar ferendo, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur.

Diuturnas et admirabiles passa est extases, * in quibus arcana penetravit coelestia; et eximiis donis a Deo illustrata fuit.

Multis ante obitum annis, universis Coeli deliciis heroica renuntians virtute, illud frequenter in ore habebat * « pati et non mori. »

In vita, et post mortem, multis claruit miraculis; * corpus suum, in praesentem usque diem, incorruptum conservatur.

Praesta nobis, Domine, ut, per istam Magdalenam, * tui cordis fraternam ardentissimam semper amare valeamus charitatem.

Et, mala non obliviscens nostra aliena odiose non inquiramus.

— Exaudi nos Trinitas sancta, et libera nos ab omnibus insidiis, et Daemonum infestationibus; * a visibilibus et invisibilibus inimicis.

Exaudi nos per orationes, et per merita Patriarcharum et Prophetarum, * et per Apostolorum suffragia.

Per constantiam exaudi Martyrum; * per fidem Confessorum, per castitatem Virginum;

Et per intercessionem Sanctorum omnium. * qui tibi ab initio placuerunt mundi;

Per merita exaudi beatae Mariae Virginis, * Filiae Sponsae et Domini mei matris.

Plagas tibi ostendimus nostras, * simulque ipsa quae suxisti dulcissima ubera.

Mariae collum est sicut turris David, * cum propugnaculis aedificatum.

Aspice, Domine, mille ex eo pendent in nostram defensionem, clypei, * omnis armatura fortium.

Benedictus Deus et Pater omnipotens, qui mundo succurrens perdito, et saluti providens hominum, * Mariam virginem in dulcissimam nobis dedit matrem.

Tanto suffulti praesidio, eadem promptitudine ac impetu, quo pueri labia uberibus figunt, * ad ubera accedemus spiritualis gratiae tuae.

Et sic tanto desiderio, tantaque alacritate, * etiam ad opiperam hanc Angelorum mensam nobis accubere licebit.

POST COMMUNIO

Crucem pro nobis subiit; stans in illa sitivit Jesus * nostram salvationem;

Lancea cruce, clavis, vulnera, quae tolleravit, * ad nostrum ostendit tutum ac invariabile refugium.

Quia pro mundi vita fuit crucifixus;* et nostra sanguine lavit crimina. —

— Noster voluisti fieri frater; * carni, propter nostram salutem, et sanguini communicasti nostro;

Nobis, vicissim, ipsam tradis carnem et sanguinem; * per quae cognatus factus es noster. —

— Consideramus, interim, quibus digni facti sumus mysteriis, * talisque cogitatio zelum in nobis excitet salutis.

Hei mihi, quot ad salutem nobis viae! nos corpus effecit suum, nobis suum communicavit corpus, * et horum me nihil a malo avertit.

Factus sum sicut uter in pruina; * in moerore comprimor, quando consolaberis me?

Ab omni via mala prohibe pedem meum, * ne declinem a iudiciis tuis.

Lucerna est pedibus meis verbum tuum; * et lumen semitis meis.

Declinate a me maligni; * adiutor et susceptor meus Deus est.

Confige, velut clavo, casto timore tuo renes meos, * ne ferantur ad prava desideria.

Non dominetur super me omnis iniustitia; * et omnem viam iniquam odio habeam.

Misericordiae tuae multae sunt, Domine; * ideo secundum iudicium miserationis tuae salvum me fac.

Multos quidem immeritos a morte tu liberas aeterna; * et quomodo ab expectatione frustraberis me confidentem in salutari tuo?

Diligam te Domine, vehementer; * pax enim multa est diligentibus; et non est illis scandalum ad cadendum. —

— Etiam te diligam, o beata Magdalena; * quia, Iesu et Mariae amor succensa, coelestibus fuisti decorata donis.

Ave virgo Florentina
Rosa florens et divina
Christi manus quam nutrivit
Atque spinis praemunivit.

Tu es Coeli dulcis risus
Tu Carmeli Paradisus;
Crucifixi sponsa cara,
Et Inferni Crux amara.

Iesum corde scriptum portas
Et a Iesu cor reportas,
Unde, sorte geminata,
Viris amans et amata.

O Maria Magdalena
Corda nostra fac serena,
Tua magna puritate
Et ardenti charitate.

— Et supramodum, totisque meis viribus, te diligam mater Dei mei, * et nostra mater, o Maria.

Commutatio tribulatorum; et infirmorum liberatio, * animus salva nostras.

Intrent; Domine Deus, in conspectu tuo postulationes meae, * gratansque Canticum tibi et matri tuae labia eructabunt mea.

Laudibus cives celebrent superni
Te Deus simplex, pariterque Trinus;
Supplices, et nos, veniam precamur
Parce redemptis.

CANTICUM LXVI.

FESTUM S. PHILIPPI NERII.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, * per inhabitationem spiritus eius in nobis, —

— Egenos et pauperes, * omni charitatis officio prosequebatur Philippus.

Ab honoribus abhorruit semper, * summas recusans dignitates.

Virginitatem perpetuo illibatam servavit, * et eos, qui eamdem colerent virtutem, ex odore dignoscebat.

Prophetiae dono illustris fuit, * plurimorum animas, splendore circumfusas, in Coelum conscendere vidit.

Ubi, tandem, obdormiens in Do-

mino, * Angeli gaudentes receperunt eum:

Pangamus Nerio debita cantica,
Quem supra nitidi sydera verticis,
Virtus et meritum sustulit inclytum,
Carpturum pia gaudia.

Noctes sub specubus, corpora martyrum,
Quas implent, vigilat sedulus integras;
Ex ipsis satagens discere mortuis
Normam, qua bene viveret.

Nocte, dum Nereus fercula pauperi
Gestans praecipitat panniger Angelus
Tecto significat, qualiter excidat
Nunquam fervida charitas.

Orantis penetrans cordis in intimum
Laxavit spatium spiritus impete
De Coelo veniens, esset ut hospiti
Immenso, locus amplior!

Coelorum Domino, dum sacra munera
Libabat Nerius, saepius advolans,
Tellurem rapido corpore deserit
Christo flat ut obvius.

Corpus deseruit, cum Deus Hostiae
Fertur sub niveae tegmine conditus
Prudens in Patriam, pergere splendide
Nolens absque Viatico.

Honestum te, beate Philippe, fecit Dominus; ab inimicis custodivit te, et a seductoribus; * tibi inde aeternam dedit claritatem.

Despiciens mundum, et terrena triumphans, * divitias Coelo condidit ore manu.

Impetra nobis spiritum discernendi inter bonum et malum; ut sensum habeamus pervigilem.

Remissionem impetra nostrorum omnium peccatorum; * per quam propitius sit nobis Deus in necessitatis tempore et angustiae.

Tuis expelle a nobis precibus mentis lactantiam; * et humilitatem perfice veram.

Suscita in nobis fletum; et cor lapideum tuis in nos mollifica manibus;

Tu, Domine, summum bonum, tu praemium es beatorum; diadema decoris, et super capita eorum, aeterna laetitia.

Tu, qui eos intus pacificas et extra, nostras tua pace pacifica animas; * quae pax omnem exuperat sensum.

Videbimus, etiam nos miseri pacem Regni tui summam; * amabimus eam, misericordias laudantes tuas;

Videbimus et cognoscemus veritatem tuam; * et gloriam maiestatis tuae.

Patris potentiam; Filii sapientiam; Spiritus sancti clementiam, * ipsius Trinitatis unam et individuam videbimus essentiam.

Domine Jesu, Angelorum gloria atque omnium Sanctorum; * Domine Jesu, bravium felicitatis nostrae;

Nostra opulenta requies et pacis pulchritudo, * ad animam, interim, in hac lacrymarum valle accede meam.

Magnus es tu, * magnaque est merces tua magna nimis;

Tu promissor et gentium promissio, * coronator et corona.

Tu remunerator et munus; * tu praemiator, et aeternae felicitatis praemium te ipsum in hoc sacro prebe nunc mihi convivio.

POST COMMUNIO

Omnipotens Deus Pater, * dispone benignus quo miserearis mihi;

Ut conculcans Tartara, * redimar a nexu criminis.

Quicquid pretiosius inveni, devote tibi offero, * quicquid carius repperi, suppliciter repraesento tibi.

Tuae expono maiestati, totamque tibi delego spem meam, videlicet amantissimum Jesum, * quem iam pectore condidi meo.

Dilectus et gloriosus filius tuus interpellat pro me, * unde et veniam consecuturum me confido.

Hunc, pueritiae pannis adstrictum; * sudoribus vexatum; ieiuniis maceratum; et vigiliis afflictum;

Hunc flagris divexatum; suppliciis laceratum; cum mortuis deputatum; *

gloria resurrectionis dilaturum, ad dexteram celsitudinis collocasti tuae!

Ipse, ergo, placatio, * ipse propitiatio mea est.

Intende plus quem genueris filium,* ut recipias quem ipse redemerit servum.

Hic aspice Coeli factorem et terrae;* ne facturam despicias,

Amplectare pastorem, * ut ovem propriis allatum eius humeris, misericors recolligas. —

— Placebo coram te, Domine Deus meus in terra viventium; * et laudationes tibi debitas utique reddam.

Mater virgo, quae Filium genuit et peperit tuum, * proprie vera Regina est et domina nostra.

Misericordiam, ergo, pariter nos amplectimur, * et carius eam tibi memoramus saepius, utiliterque invocamus.

Deipara virgo, pax eorum summa, qui bellum intra et extra sustinent;* serenitas eorum qui tempestate iactantur,

Unicum fidelium praesidium, * tuum mitte super nos auxilium.

Tu enim mortalium depellis aerumnas, * dolores sanas et moestitias sublevas;

In te nostram reponimus spem, o sanctissima mater * virgo, miserorum refugium, et certa impetratio;

Quae Nerii totis excussit flamma medullis, * fregit et angustos igne vorante sinus,

Incendat nostros, mater dulcissima, sensus; * atque ardore pari pectora corripiat. —

— Deus, qui sanctorum tuorum gloria beatum sublimasti Philippum, concede nos; qui eius solemnitate laetamur, virtutum etiam proficiamus exemplo.

Spiritum dedisti ei Sapientiae et Prudentiae multum nimis * latitudinemque addidisti cordis;

Spiritus sanctus, e throno procedens, illius penetravit cor, * novo sanctificationis signo;

Advenit divinus Ignis costolas confringens eius et mirabiliter amplians;

Advenit urens; illuminans; * et ei charismatum tribuens dona.

Amore charitatis languebat lucensus iugiter dicens; * neque mors, neque vita poterit me separare a Dei charitate. »

Virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; * per quem, in Coelo viventem, tanta coruscant miracula. —

— Almae sit Triadi gloria perpetim,
Quae terram, barathrum, sidera condidit;
Quae nobis Nerii dat prece lugia
Dulcis gaudia Patriae.

CANTICUM LXVII.

FESTUM PATROCINII S. JOSEPHI SPONSI B. MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

De profundo tribulationum clamo ad te Domine; * benigne orationem exaudi meam.

Fiant aures tuae intendentes; * in vocem deprecationis meae.

Siquidem iniquitates observaveris Domine, * Domine iuste, iram quis sustinebit tuam?

Clamo, quia apud te propitiatio est;* et sustinui, quia mihi imperasti ut sperem in te, miserationem expectans tuam;

Sustinuit adhuc anima mea, * medelam invocans in Verbo promissionis tuae;

Apud te misericordia in saeculum permanet, * et in saeculi.

Exurge, ideo, ad mihi ferendam opem; * quare non praestolaris?

Humiliata est in pulvere anima mea;* conglutinatus est in terra venter meus, ut ne repere quidem possim.

Exurge ideo nunc, Domine, et inopiae succurre meae; redime propter gloriam tuam.

Revera oblitus sum tui, et inique egi, * in testamento tuo mortis umbrae cooperuerunt me.

Tota die verecundia mea contra me est; * et confusio faciei meae.

A voce exprobrantis, et iniuriose obloquentis; * a facie inimici Daemonis et persequentis;

Tota die misericordiam flagito tuam; * et simul tota provoco die iustitiam tuam.

Merui ut animam des meam in subsannationem et derisum his, qui in circuitu sunt meo; * ut me devorent.

Sed quia probe nosti non recessisse a te cor meum, * ideo misericordiarum recordaberis tuarum.

Brachium omnipotens tuam, et vultus tui favor, * in Patribus complacuit nostris.

Tu idem ipse es, Rex meus, et Deus meus; * qui salutem mittis omni populo.

Tu solus de affligentibus nos salvas; * et, nos odientes, confundis;

Os istorum malitia abundat, * et lingua concinnat dolos;

Isti sunt, qui oderunt disciplinam: * et, eorum sermones retrorsum proiicierunt tuos.

Iccirco inimicos animarum nostrarum in nomine ventilabimus tuo; * et spernemus insurgentes in nos.

Ita, in omni tempore, et omnis homo, * a custodia matutina usque ad noctem oret Dominum;

Ipse est enim, * qui, ab iniquitatibus nostris, purgat nos.

Et ita, de relatis victoriis tota glorlabimur die, * et laudibus confitebimur tibi in saeculum saeculi.

Deus noster es tu; * et Coeli nobis gloriam annuntiant tuam;

Et quia Deus verus es, et solus iustus iudex, * holocaustum quotidie in conspectu ponimus tuo;

Veram, idest, Coeli victimam, per quam mortis solvuntur vincula; * et vitae recipiuntur proemia.

Non ferae sylvarum; non Coeli volatilia, * vel universae pecudes, et vitulorum sanguis;

Non pulchritudo et odor agri pleni, * maiestatem valent, in spiritu et veritate, glorificare tuam;

Tuus est enim terrarum orbis, * et plenitudo eius;

Sed incruentum, quod purae laudis offerimus Sacrificium, * cum quo tibi Altissimo, digna persolvimus vota;

Sacrificium, in quo factus es nobis iustitia; * sanctificatio et redemptio.

POST COMMUNIO

Dominus Jesus, Dei filius, * Deus et homo est; Deus ex substantia Patris, ante saecula genitus et homo, ex matris substantia, in saeculo natus;

Perfectus Deus, perfectus homo, * ex anima rationali, et ex humana constans carne.

Æqualis Patri, secundum Divinitatem, * Patri minor, secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem, non conversione Divinitatis in carnem, * sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino, non confusione substantiae, * sed unitate personae;

Nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo, * ita Deus et homo unus est Christus;

Qui passus est pro nostra salute, * descendit ad Inferos, et tertia a mortuis resurrexit die.

Ascendit ad Coelos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; * indeque venturus est vivos iudicare et mortuos;

Ad cuius adventum, omnes in corporibus suis resurgere debent homines; * de propriis factis reddituri rationem.

Et, qui bona egerunt, in vitam ibunt aeternam, * qui vero mala, in igne comburentur aeterno. —

— Miserorum refugium; coelestis

patriae delicium, * a morte perpetua nos libera o Maria.

Dextera tua, Domina, magnificata est in fortitudine; * quia, in multitudine misericordiae tuae, inimicos prostrasti nostros.

De ore Leonis liberasti nos; * et, tanquam infantes modo genitos, mater, suscepisti nos.

Ponimus te, sicut signaculum, super cor nostrum, * quia fortis est sicut mors dilectio tua.

Unguentum effusum et admirabile est nomen tuum, * omnibus diligentibus Deum.

Esto refugium pauperum in tribulatione, * quia virtus es miserorum omnium.

Fons conclusus, pellucidissimus, aurifluus, * perennis fluentis vivifici laticis et nectaris;

Fons divinarum illuminationum; * ex quo vita orta est, ascendens de terra ad irrigandum Paradisum.

Gaude desponsata Josepho; * et, de excelso throno tuo ad nos miseros respice gementes in hac miseriarum valle.

Domine Jesu, per intercessionem sanctissimae Genitricis tuae; et merita beati Josephi castissimi sponsi eius, a poenis nos libera Inferni;

Et, ad eorum pedes, beatam pertingere Palmam, * aeternumque, festantes, celebrare diem.

O nimis felix, nimis o beatus
Cuius extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt
Ore sereno!

Hinc Stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes, placido sopore,
Migrat aeternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernae,
Munera pacis. —

— Nobis,summa Trias,parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere Canticum.

CANTICUM LXVIII.

DOMINICA PENTECOSTES.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Hodie spiritus sanctus in igne Discipulis apparuit, * et, tribuens eis charismatum dona, misit eos in universum praedicare mundum.

Loquebantur variis linguis magnalia Dei, * qui credidit, baptizatus fuit, et salvus est.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, * a templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

Emitte spiritum, et creabuntur, * et renovabis faciem terrae.

Jam Christus astra ascenderat,
Regressus unde venerat,
Promissum Patris munere
Sanctum daturus Spiritum.

Solemnis urgebat dies
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Orantibus Apostolis
Deum venisse nunciat.

De Patris, ergo lumine
Decorus ignis missus est
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat. —

— Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia
Dimitte nunc peccamina;
Et da quieta tempora. —

— Salvator noster natus est nobis, * pro nobis crucifixus, et mortuus est, mortem ut destrueret nostram.

Et quia botrus carnis portatus fue-

rat ad crucis torcular; * expressione facta fluere coeperat divinitatis mustum;

Missus est adeo Spiritus sanctus, quo vasa praepararentur cordium nostrorum, et novum vinum in utres poneretur novos.

Primum ut a gaudio iniquitatis animae mundarentur nostrae; et contra vanitatis ligaretur gaudium;

Non enim, quod bonum est venire poterat, * nisi prius, quod malum est, recederet.

Gaudium iniquitatis sordida nostra reddit corda; * et vanitatis gaudium facit rimosa.

Gaudium vanitatis est, cum transitoria amamus; * et iniquitatis gaudium est, cum peccatum diligimus. —

— Spiritus sanctus, viri fratres, gaudium est et amor, * amaritudinem ergo effundamus; malumque eiiciamus.

Mundus vanitatem; Diabolus iniquitatem operatur, * alter occasionem culpae habet; et alter peccatum.

Amor mundi allicit, et decipit; * peccati amor polluit, et ad mortem adducit.

Jesu Christi amor, purissimus, mentem illuminat, et conscientiam mundat; * animam laetificat, Deumque nobis demonstrat. —

Jesu Nazarene in hoc magno pietatis tuae Sacramento Eucharistiae, te Creatorem adoro, * timeoque iudicem.

Amo te Redemptorem; * et Salvatorem suspiro. —

— Cupientes, viri fratres, invenire gratiam, quaeramus gratiae inventricem; * quae, quia semper invenit, nos frustrari non poterit.

Ad Christum, tanquam iudicem, punire pertinet; * ad virginem Mariam, tanquam patronam, non nisi misereri.

Salve splendor, qui Solem Christum intulisti mundo; * et gaudium nobis conciliasti.

Omnia benedicimus Filii tui opera; * et, incessanter, pro debito, veneramur et laudamus.

Ave immaculata Filia Patris, Mater Filii, * Sponsa Spiritus sancti.

Urna tota aurea; * quae Deum, tanquam manna, suscepisti.

Orthodoxorum salve anchora et praesidium, * salve nostra stabilissima spes.

Affer opem praesens, atque aegidam conente et hastam; * quae scutum fidei, lucis et arma tenes.

Sic ades eiectis, interque exordia luctus, * spondes humanae gaudia tristitiae.

POST COMMUNIO

Salve amor Patris omnipotentis * Prolisque beatissima communicatio;

Moerentium consolator Paraclyte Spiritus; * cordis mei penetralibus potenti illabere virtute.

Et tenebrosa quaeque neglectae domus latibula, * corusci luminis fulgore habitator laetifica;

Tuique roris abundantia, longo ariditatis marcescentia squalore, visitando foecunda; * nostroque refusus pectori inflamma et vivifica,

Sancia interioris hominis arcana tui amoris iacula; * et, tepentis medullas iecoris, flammis salutaribus penetrando succende;

Sancti fervoris igne illustrando, intima depasce mentis et corporis universa; * spiritus renova, superna, et inflamma omnia.

Impleta gaudent viscera
Afflata sancto Spiritu,
Voces diversas intonant,
Fantur Dei magnalia,

Ex omni gente cogniti
Graecis, Latinis, Barbaris
Cunctisque admirantibus,
Linguis loquuntur omnium.

Judaea tunc incredula
Vesana, torvo spiritu,
Ructare musti crapulam
Alumnos Christi concrepat.

Sed signis et virtutibus
Occurrit, et docet Petrus
Falsa profari perfidos,
Joelis testimonio.

— Mentes ideo nostras, Domine; * Paraclytus, qui a te procedit illuminet. Et in omnem, sicut tuus promisit Filius, inducat veritatem, * quemadmodum in Apostolis admirati sumus tuis.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris etc. etc. (*)

(*) *Recitatur integer.*



S. LUIGI GONZAGA DELLA C. DI G.

Al nome del R.° Coll.° di Lecce diretto da' P.P. d. C. d. G.

JUNIUS

CANTICUM LXIX.

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEM.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter sedentes; * et subito factus est sonus de Coelo, tanquam spiritus vehementis, et totam replevit domum.

Spiritus sanctus, procedens a throno, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit; * novum sanctificationis signum,

Ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum, apparuerunt dispartitae linguae tanquam ignis; * seditque super singulos discipulos spiritus iste sanctus.

Disciplinam et sapientiam docuit eos Dominus, * et intellectu corda implevit eorum.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita;
Cum spiritus Paraclytus
Effulsit in Discipulos.

Ignis vibrante lumine,
Linguae figuram detulit;
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.

Linguis loquuntur omnium;
Turbae pavent Gentilium:
Musto madere deputant
Quos Spiritus repleverat.

Patrata haec sunt mysteria,
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remissio. —

— Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis coelitus
Largire dona Spiritus.

Domine Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, * plebi concede tuae piae petitionis effectum;

Ut, quibus dedisti fidem, * largiaris et pacem.

Et pota nos torrente voluptatis tuae,* ut nihil iam mundanorum fontibus libeat degustare venenatae dulcedinis.

Judica nos Domine; * et causam discerne nostram de gente non sancta.

Doce nos voluntatem facere tuam; * quia Deus noster es tu.

Credimus, quod in quocumque inhabitaveris, * sanctum condis domicilium tuum;

Profanum expellens ardorem; * et septena profundens tua dona.

Beatus ideo, qui te merebitur hospitem; quoniam Pater et Filius, una tecum, apud eum mansionem faciunt.

Veni iam, veni benignissime, dolentis animae consolator optime; * protector opportune; et in tribulatione adiutor.

Veni mundator scelerum; curator vulnerum, * spes pauperum; et cordium lumen.

O lux beatissima, quae, in labore, es requies, * in aestu temperies; et in moerore serenitatis coelum.

Veni fortitudo fragilium; labentium relevator; dulcis hospes animae; dulce refrigerium;

Humilium veni doctor; * superborum destructor.

Orphanorum pater; viduarum praesidium; * virginum et infantium tutela.

Navigantium veni sidus; naufragantium, portus; * omnium viventium singulare decus;

Et in Domino morientium, * spes unica et consolatio.

Lava, quod est sordidum; riga, quod est aridum; * sana, quod est saucium;

Flecte, quod est rigidum; fove, quod est frigidum, * rege, quod est devium.

Veni sancte Spiritus, propitius condescende; * et nos in aestu absorbe flammantis amoris tui;

Magnitudini tuae nostram exiguitatem apta, * robori tuo, nostram imbecillitatem;

Ut, secundum multitudinem misericordiarum tuarum, * nobis complaceas.

Omnibus in te confidentes fidelibus,* da sacrum *septenarium*;

Da virtutis meritum; da salutis exitum; * et perenne gaudium. —

— Domine Jesu, Salvator noster, tu dulcedo amoris es in hoc Eucharistico Sacramento, * et dulcedinis amor;

Concedat te os meum; nectare amoris tui viscera impleantur mea; * et meus mea canticum eructet bonum. —

— Et usque ad thronum gratiae tuae, me Genitrix adducat immensi amoris, * Maria mea mater;

Deliciarum hortum scio esse eam; * et talem in canticis laudabo meis;

Indeque universa florum genera, et virtutum coronas, * recolligam ex ea.

POST COMMUNIO

Charitas, Deus meus, mel dulce, niveum lac cibus es grandium; * fac me crescere in te, ut sano te palato semper comedam.

Vita es, qua vivo mea; spes, cui inhaereo, * gloria, quam adipisci desidero.

Memor esto, Domine, peregrinationis meae; * sedeo ego super flumina Babylonis assidue flens;

Solve, Domine, defluentem captivitatem meam; * ad quam, dum a te recessi, deductus fui.

Tu mihi cor tene; mentem rege; * intellectum dirige;

Amorem erige; animam suspende; * et, in superna fluenta, os sitientis trahe et spiritum;

Taceant, per te, carnis tumultus; * terrena conticescant, quaeso, phantasiae; aquarum aëris et poli;

Somnia sileant et imaginariae revelationes, * omnis lingua, omne signum, et quidquid transitorium est;

Sileat sibi et anima ipsa; * et, sese transiens, de te Deo meo solummodo cogitet.

Revera, tu tota es fiducia, et salutis meae spes;

Omnes egeni et afflicti, salutem videant meam; * et laetentur;

Pariter utique te omnes quaerant; * ut in libro scribantur vitae. —

O Maria, quae inimicis pacem reperis; salutem perditis; * indulgentiam desperantibus et misericordiam, iuvamen sentiamus tuum. *

Jactati, o Mater, pavidi nos etiam trepidique rogamus; * nostra sis spes, dulcis amor, vita, magister, salus. —

— Sit Trinitati sempiterna gloria
Honor, potestas, atque iubilatio;
In unitate, quae gubernat omnia
Per universa saeculorum saecula — Am.

CANTICUM LXX.

FESTUM S. MARIAE VIRGINIS DE BONO CONSILIO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Antequam vivere inciperem; * durationem vitae meae tu, Domine, investigasti.

Et suscepisti imperfectum embryonem meum, * in occulto ventris matris meae.

Nec tantum exteriora cognovisti opera, * sed cogitationes etiam cognovisti meas;

Structuram mei ipsius mirabili compegisti consilio; * nec pertingere possum ad eam comprehendendam.

Tu, qui formasti me, et, super me manum posuisti tuam, ut tua me reges sapientia et consilio, * scis antiqua, et omnia futura novissima.

In te vivo, moveor, et sum; * quo ibo longe a spiritu tuo?

Et quia ubique es praesens, * quo a facie fugiam tua?

Si pennas diluculo sumpsero meas in Oriente, et advolavero usque ad Occidentem, * tu ibi ades;

Si in Coelum ascendero, vel in Infernum descendero, * tu illic es;

Lux et tenebrae tibi, Domine, aeque sunt perspicuae, * respicis sine materialis lucis adiutorio: respicis etiam in tenebris, et perfecte regis omnia.

Deducat me manus tua semper; * et dextera tene tua longitudinem dierum meorum;

Lex et Consilium tuum vita est animarum nostrarum; * et faucibus gratia nostris. —

— Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam; * et os bilinquis detestatur.

Tuum solummodo rectum est Consilium; tua, Domine est aequitas; * tua est prudentia et fortitudo.

Per te Reges regnant; * et legum conditores iusta decernunt. —

— Ave magni Consilii Angelus, Jesu, sapientia Patris; * proba me; interroga me;

Scito cor meum; meae consule menti; * semitas dirige; et spiritum mihi concede boni Consilii. —

— Ave Maria, mater Angeli magni Consilii, * deduc me in viam salutis aeternae;

Cor boni Consilii meum statue; * ut, dum superest mihi tempus, poenitentiam agam. —

— Ave Jesu, Coelestis Consilii arcanum: * opus in me perfice manuum tuarum. —

— Ave Maria coelestis arcani Consilium; * Consilio Sapientiae tuae consurgis sicut luna pro me in nocte tenebrosae vitae huius.

Et sicut Aurora in diluculo oriris; * et sicut Sol ascendis in meridiem.

Fiducialiter invocans nomen sanctum tuum, sub titulo *Matris boni Consilii* super Aspidem ambulabo et Basiliscum.

Leonem, absque nocumento, conculcabo, * et Draconem.

Nostra matutina Stella; * omnes qui in lumine ambulant excelsi Consilii tui protegis et liberas.

Nobiscum esto, dulcissima *boni Consilii mater*; * vigilantibus et dormientibus; peregrinantibus vel rusticantibus;

Et etiam nobiscum adesto in die tribulationis, eripiens nos citissime; * et, post mortem, Jesum benedictum filium tuum nobis ostendens.

Flos vernalis, flos Lilii * flos florum, decus virginum, diceris, et Consilii;

Fons plenus custos hominum, cuius attraxit Dominum dulcedo; * Angelorum Consiliaria; dulcis dulci Consilii odor ut terminum nobis exilii daret.

Divam precemur supplices
Matrem boni Consilii,
E barbarorum finibus
Nobis datam divinitus.

O Virgo clementissima
Rectum praebe Consilium;
Nos poenitentes aspice,
Et mortis hora suscipe. —

— **Qui perseveranter habitant in adiutorio Altissimi, * perseveranter etiam in protectione Mariae commorantur boni Consilii. —**

— **Agnus Dei, filius Mariae virginis boni Consilii, qui peccata tollis mundi, * miserere nobis;**

Agnus occisus pro nobis ab origine mundi; * tu solummodo portio es cordis nostri, et haereditas;

Tu Salvator noster, quem exquirimus anhelantes; * et, quem invenientes, in aeternum gaudebimus.

POST COMMUNIO.

In te, Domine Jesu, spem reponimus nostram, * annuntiabimus mirabilia in portas Sion.

Qui Domino adhaeret, * unus spiritus est cum eo.

Dona nobis, Domine, donec his fragilibus consistimus membris, * corde, ore, et sensibus nomini confiteri tuo sancto.

Contemplationis pennas nobis adapta, ad te sursum volabimus, * omne devitantes sinistrum, quod deorsum iacet, Consilio Legis tuae.

Tendimus, gementes, ad pacis gaudia, * delectabilem lucem, et serenissimum statum.

Quam mira est amoris tui suavitas, qua perfruuntur illi, qui nihil praeter te diligunt; * nihil quaerunt; nihilque videre concupiscunt.

Tu, aeterna Sapientia, qui habitas in Consilio, et eruditis ades cogitationibus; * tu ad felicitatis sufficis plenitudinem.

Felices, ideo, sunt Coenobitae et Eremitae, quibus tu sola cogitatio es; * et in spe perfecta, omne opus eorum, oratio est.

Admodum felices omnes qui solitarii sedent; * et, silentes, stant super custodiam suam.

Jugiter isti, die ac nocte, divinum meditantes Consilium tuum; * et expectantes auxilium.

Quanta multitudo adorantium te, Domine, * et quanta dilectionis, et contemplationis varietas!

O quam mirabiles dulcedinis proprietates et gradus, * quas cordibus amatorum infundis tuorum!

— **Jussu tuo, Domine, perstrepente mundo, conticescant omnia terrena mihi, * conticescant iterum rogo.**

Omnia pertranseam quae creata sunt; transcendam a me ipso, ut ad te perveniam; * tibi inhiem, tibique intendam.

Beati, quos elegisti; * et in tuam assumpsisti coelestem haereditatem.

Ecce sancti tui omnes florent ante te sicut Lilia; * et, torrentes voluptatis tuae, potas illos.

O quam mira, quam pulchra sunt; * et quam acceptabilia domus tuae habitacula!

Sancta et decora Sion, in atriis tuis pedes stant mei; * nec dum interiora tua dignus in propatulo factus sum prospicere.

Dilexi, Domine, a iuventute mea, decorem domus tuae; * et locum habitationis gloriae tuae.

Moriatur anima mea morte iustorum; * et, vota laetitiae et exultationis meae, in tabernaculis personent Domini Dei mei;

Ubi se perenne praemium in iubilatione cordis, dat charitate fervidis. —

— **Columba una castissima; perfecta, eiecta; * carens omni felle, pacifera es, o Maria.**

Consilium tuum nobis da; * et Consilium nobis fac complaceat tuum.

Ineffabile Consilium nomen tuum est; * conservatio mundi, quia cubiculum extitisti incarnationis Verbi.

Etiam nostra honorificata mater, sedes es divini Consilii erga nos homines; et propter nostram salutem.

Salve praeclarissima, arca sancta, et indissolubilis; * Christi nubes lucidissima; Doctrix Gratiae ineffabilis;

Consilium sanctorum omnium; * mediatrix veneranda, et ab omnibus colenda.

In hac terra tenebrarum, mater misericordiarum, * nostris consule periculis; —

— Bonorum omnium largitor Deus,* Genitricis Filii speciosam imaginem, sub titulo *boni Consilii*, mira clarificasti apparitione;

Eamque, per sanctos Angelos tuos, admirabili prodigio, * Turcarum manibus, nobis peregre contulisti.

Concede nunc nobis, eiusdem beatae Virginis intercessione, * omnia operemus secundum voluntatis tuae Consilium.

Atque pari ardore, ipsa auxiliante,* in die posito, coeli triumphantes potiamur gaudiis.

Plaude festivo, pia gens, honore,
Dum Genessani veneraris aedem;
Qua Dei magnae Genitricis alma
Splendet imago.

Haec ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Ipsa tunc aegris aderat, molestos
Corporis morbos, animique pellens
Longe, et aerumnas, Latio imminentes,
Ipsa fugabat.

Virgo, quae magna decorata signis
Nunc quoque effulges, miseris iuvamen
Affer; et fusis patiens clientum
Annue votis.

Gratias summas habeamus omnes
Filio magni Genitoris almo;
Spiritum sanctum veneremur, et sit
Laus tamen una.

—

CANTICUM LXXI.

FESTUM SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas; * confitemur tibi, quia nobiscum misericordiam fecisti tuam.

O altitudo divitiarum Sapientiae et Scientiae Dei, ex te, in te, et per te sunt omnia; * tibi honor et gloria in saecula.

Magnus es, Domine, et laudabilis nimis, * terribilis contra omnes falsos Deos.

Confessionis laus, et plenitudo decet in conspectu tuo; * sanctimonia insuper et magnificentia coruscant in sanctificatione tua.

Tu verus Deus, in personis Trinus es; * et, in una natura, unus es Deus.

Unum Deum in Trinitate; * et Trinitatem in unitate adoramus;

Non confundentes personas;* neque substantiam separantes;

Alia est Persona Patris; alia Filii; * alia et Spiritus sancti;

Et tamen una est Divinitas Patris et Filii et Spiritus sancti; * aequalis gloria, coaeterna maiestas;

Totus pater in Filio et Spiritu sancto est; * totus quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio est;

Pater a nullo est factus; * nec creatus, nec genitus;

Filius, a Patre solo est, * non factus, non creatus, sed genitus;

Spiritus sanctus a Patre et Filio est,* non factus, non creatus, sed procedens.

Pater, vere Pater est; Filius, vere Filius est, * Spiritus sanctus, vere Spiritus sanctus est;

Nemo alium aeternitate praecedit, * aut magnitudine excedit, aut potestate superat.

Increatus Pater; increatus Filius; * increatus et Spiritus sanctus;

Immensus Pater; immensus Filius; * immensus et Spiritus sanctus.

Et tamen non tres increati; tres aeterni; tres immensi; * sed unus increatus, unus aeternus; unus immensus.

Dominus Deus est Pater; Dominus Deus est Filius; * Dominus Deus est Spiritus sanctus;

Et, tamen, non tres Domini, sed unus Deus Dominus.

Ita, in Trinitate, nil prius ac posterius; nil maius aut minus; * sed, totae tres Personae, coaeternae sibi sunt et coaequales.

Perfecta Trinitas in unitate consistens; * quam scilicet unius profitemur substantiae.

Ita ut, per omnia unitatem in Trinitate; * et Trinitatem in unitate credimus et veneramur. —

— Salve unus in Trinitate Deus; salve una in unitate Trinitas; in Trinitate unitas, aeterna maiestas. —

— Afferent omnes patriae gentium gloriam nomini tuo debitam, sancta et individua Trinitas.

Immolantes Hostiam adorent te Deum vivum et verum * in atrio sancto tuo.

Commoveatur prae pavore et reverentia universa terra, * Christus Filius Dei Patris, regnat e ligno crucis;

Corrigit gentes in iustitia et aequitate, * et populos in veritate dirigit. —

POST COMMUNIO

Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, * Deus et homo est.

Deus ex substantia Patris ante saecula genitus, * et homo ex substantia matris Mariae in saeculo natus.

Mater et virgo, quae Regem hominum genuisti et peperisti, * unam habes carnem cum Filio tuo, et nominationem.

Constituta Regina, * totum iure Filii tui possides regnum.

Salve, igitur Hirundo felicis augurii, * et Columba, quae serenitatem attulisti.

Arca sancta indissolubilis; favus Christi mellis; * salve clementiae fluvius;

Nobis, misericordiae mater miserere peccatoribus;

Qui retroacta negligimus peccata deflere; * ac multa quotidie poenitenda committimus.

Domina rerum; sancta Sanctorum omnium; et nostra virtus, * agnosce diligentes te, et recupera ad salutem.

Filia Dei Patris; mater Dei Filii; Spiritus sancti sponsa, * adiuva nos cantico iternum Triadem invocantes augustissimam. —

— Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Filius et Spiritus sanctus; * et hi tres unum sunt.

Te unum in substantia, Trinum in personis confitemur; * sanctus, sanctus, sanctus;

Deum unum in Trinitate; et Trinitatem in unitate adoramus; * sanctus, sanctus, sanctus;

Gratias tibi Deus; gratias tibi vera et una Trinitas; una et summa Deitas; * sanctus, sanctus, sanctus;

Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas ante omnia saecula; * laus a nobis tibi nunc sit et in perpetuum.

Laus et perennis honor Deo Patri et Filio; * sancto simul Paraclyto in saeculorum saeculo.

Et ista laudis gloria in ore omnium Patri, genitaeque Proli, et Spiritui sancto, * pariter resultet voce perenni.

Laus ergo; Deo Patri, parilique Proli * et tibi studio perenni, sancte Spiritus, os promat nostrum omne per aevum.

Te invocamus; te laudamus; te, spes nostra, adoramus cernui, * salus et honor noster, vivifica, o beata Trinitas.

Charitas Pater est; Gratia, Filius; Communicatio, Spiritus sanctus; * vivifica nos, beata Trinitas, et adure;

Veritas est Pater; veritas est Filius; veritas est Spiritus sanctus; * vivifica nos, o beata Trinitas, et illumina.

Pater, et Filius, et Spiritus sanctus

una substantia est, * vivifica nos, o beata Trinitas, et sanctifica.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, * ipsi gloria, laus, honor a cunctis tribuatur et virtus.

Et omnibus data sit gratia, in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere; * et, in potentia maiestatis, adorare unitatem. —

— Jubilate Deo, omnis terra; * cantate, exultate; et vocibus psallite ei exultationis;

Commoveatur ad laetandum plenitudo etiam maris; * et amplitudo eius;

Nobiscum, utique, gaudeant campi;* et omnia quae in eis sunt, canticis et hymnis, nobiscum plaudant ei.

Salvavit enim nos dextera sua ad adhaerendum et confitendum sibi; * et brachium sanctum eius fecit nos populum acquisitionis.

Benedicamus unanimiter Patrem, Filium, cum sancto Spiritu, * laudemus, et superexaltemus Deum Trinum in saecula et unum.

CANTICUM LXXII.

SOLEMNITAS SACRATISSIMI CORPORIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Sapientia aedificavit sibi domum; suas mactavit victimas; * suum, in cratere, miscuit vinum; et mensam paravit suam. —

— Sacerdos in aeternum Christus Dominus, secundum ordinem Melchisedech, * panem et vinum obtulit.

In qua nocte tradebatur, accepit panem; et, gratias agens, fregit, et dixit; * « accipite et manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur »,

« Quotiescumque manducabitis Panem hunc, et Calicem bibetis, * mortem Domini annuntiabitis, donec veniat ». —

— Coelum non erat; nec mare erat; * ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

Jussit, Dominus, et omnis creatura facta est, * omnia sunt opera sermonis eius.

Si voce omnipotentiae Dei incipiunt esse quae non sunt, * quanto magis, quae erant, in aliud commutare valet.

Adstruamus, igitur, quod Panis istepropositionis, et Calix, vi sermonis Domini, Corpus fit et Sanguis propitiationis; * expiationis et mundationis.

Immensa ista divinae largitatis beneficia, populo exhibita Christiano, * inaestimabilem nobis conferunt dignitatem.

Neque enim est, aut antea fuit aliquando, tam grandis natio, * quae Deos habeat appropinquantes sibi, sicut Deus noster.

Qui, realiter et corporaliter, * nobis nocte diuque adest!

Unigenitus, siquidem, Dei Filius, suae nos volens Divinitatis esse participes, nostram assumpsit naturam, * ut nos homines Deos faceret, factus ipse homo.

Et hoc insuper addidit, quod de nostro assumpsit, * totum ad nostram contulit salutem.

Et quod iter, a nobis, in tenebrosae huius vitae peregrinatione, tenendum esset, * vivens et moriens factis ostendit.

Corpus namque suum, in ara Crucis, Hostiam Deo obtulit Patri, * pro nostra reconciliatione;

Sanguinemque fudit suum in pretium, * simul ac lavacrum,

Ut, e miserabili redempti servitute,* crucem amplectentes nostram, per virtutem tuae Crucis, a veteribus et novis nostris mundaremur peccatis.

Panis, quam nobis quotidie amantissimus dat Jesus, panis de Coelo verus est, * idest ipsa sua sacratissima Caro, pro mundi vita;

Est eadem illa mensa, et magnum in Coenaculo Convivium; * nec aliquid minus habet.

Ipse Christus hoc quoque in altari nostro, * ut illud perficit;

Et, cum video Sacerdotem offerentem, non ipsum puto hoc facientem,* sed Christi manus invisibiliter extensas. —

— Comedamus, viri fratres, panem hunc; * et Vinum bibamus,

Jesus nobis miscuit, * ideo Coelestia agimus convivia.

Convenit devotioni Fidelium omnium tam salutiferi Sacramenti institutionem recolere; * tamque mirabilis celebrare.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium, etc. (*)

POST COMMUNIO

O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus; * et quam amabilis!

Qui, ut dulcedinem tuam in Filios demonstrares, Pane suavissimo, de Coelo praestito, esurientes reples bonis;* et fastidiosos divites dimittis inanes.

O praeclarissimum et admirandum Convivium; * beneficentissimum, omnique varietate repletum.

Domine Jesu, Verbum Patris, qui in hunc venisti Mundum peccatores salvos facere, vitam emenda meam; * actus meliora, et mores compone.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, * nisi tu solus Deus et homo?

Tolle de me quod mihi nocet, tibique displicet; * et da quod nosti tibi placere, mihique prodesse.

Tu, Deus omnipotens et infinitate pietatis, iustificas impium; * et mortuum, propter peccatum, vivificas.

Coram te, Domine, sanitas est, et infirmitas nostra; * illam, precamur, serva; istam sana, et sanatam conserva —

—Alma virgo virginum, et tua dulcissima ac benignissima Mater, * pro nobis apud te intercedat.

Descende ad nos, o Maria, cum Filio tuo; in capite tuo corona est duodecim stellarum, idest gratiarum omnium et virtutum congeries.

Veni, et pertinaciae nostrae age triumphum, * coronaberis de montibus Pardorum, et de cubilibus Leonum.

Sana nos, Domina nostra, et sanabimur; * salva nos et salvabimur.

Digito scribe tuo in corde et in ore dulcem memoriam nominis Jesu et tui, * nulla unquam oblivione delendam.

Scribe in tabulis mentis nostrae iustificationes legis Domini; * ut voluntatem eius semper et ubique prae oculis habeamus nostris.

In visceribus insere nostris mirabilia eius; * et quomodo Angelorum esca plebem nutricat suam.

Vitis vera, quae racemum aluit maturum, * et vinum stillat, quo exhilarantur animae.

Coelestes animo praebe, virgo inclyta, sensus, * ne mala formidet, quae brevis hora rapit. —

— In voce, viri fratres, exultationis resonemus epulantes, * in mensa Domini nostri Jesu Christi.

Qui, tempore suae Passionis pavit nos; * et quotidie pascit.

De petra melle saturat nos; * ut hilares vivamus, et requiescamus in pace.

Tuum, Domine, pie et benigne, gustantes Nectar suavissimum; * tuis semper concede placidis deservire monitis.

— Sacris solemniis iuncta sint gaudia,
Et ex praecordiis sonent praeconia,
Recedant vetera, nova sint omnia
Corda, voces, et opes.

Noctis recolitur coena novissima,
Qua Christus creditur Agnum et azyma
Dedisse Fratribus, iuxta legitima
Priscis indulta Patribus.

Post Agnum typicum, expletis epulis:
Corpus Dominicum datum Discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis
Eius fatemur manibus.

(*) *Integre, memoriter, hic ab omnibus recitatur.*

Dedit fragilibus Corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum
Dicens: accipite, quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic Sacrificium istud instituit;
Cuius officium committi voluit,
Solis Presbyteris; quibus sic congruit
Ut sumant, et dent caeteris.

Panis angelicus, fit panis hominum,
Dat panis Coelicus figuris terminum,
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus et humilis. —

— Te Trina Deitas, Unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas, duc nos quo tendimus
Ad lucem, quam inhabitas.

CANTICUM LXXIII.

FESTUM S. ANTONII DE PADUA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

Confitebor tibi Deus, * et sanctum invocabo nomen tuum.

Lex tua immaculata est: * et a malo tramite convertit animas.

Testimonium tuum fidele, * sapientiam praestans parvulis.

Rectae sunt viae iustitiae tuae; * et laetificantes corda.

Praeceptum tuum lucidum est; * illuminans mentis oculos ad te cognoscendum.

Sanctus est timor tuus; * iudicia tua vera sunt, et iustificata in semetipsa.

Desiderabilia etiam super aurum et lapidem pretiosum multum; * et dulciora super mel et favum.

Ego, ante te, tanquam nihilum; * istam in bonitate tua indignitatem erige et miseriam.

Adiutor meus, ab occultis peccatis meis munda me; * et ab alienis, Redemptor meus, indulge mihi.

Complaceant insuper tibi eloquia balbutientis oris mei; * et meditatio cordis mei sit in conspectu tuo semper.

— O proles Hispaniae, pavor infidelium, * nova lux Italiae, nobile depositum urbis Paduanae.

Totus in te Deus sitiebat; * et ad eum, tu vigilans extitisti de luce,

Et tu lux indeficiens, tu qui in cruce pro omnibus sitisti, * lux illi rutilans fuisti.

Laetetur Israel in eo, qui fecit eum, * et semper redemit eum.

Laus nostra resonet in Concilio electorum, * quia beneplacitum est in populo suo;

Qui sublimat mansuetos in salutem; * et protegit eos in cubilibus suis;

Qui exaltat sanctos cultores suos in gloria, * et exaltationes eius in Coelo reboant in gutture eorum;

Qui communione Hostiae et Calicis consecrati, * quibuscumque seipsum sumendum dans et manducandum.

Per hoc filios multiplicat suos; * et congregat.

Memor sis, Domine, huius Sacrificii nostri, * et Holocaustum, quod ponimus ante te, pingue fiat.

Ingrediamur, viri fratres, et altare Dei, * epulas nobis conquisitissimas curavit.

Et eas nobis ante posuit, * adversus omnes qui tribulant nos.

POST COMMUNIO

Dulcis Christe, bone Jesu, sicut desidero, da mihi amorem tui castum et sanctum; me repleat, totumque possideat.

Et evidens amoris tui signum expecto; * idest, irriguum lacrymarum fontem, iugiter manantem.

Istae tuum in me testentur amorem; * istae prodant, et fateantur quantum te anima diligit mea.

Respice in me Deus et miserere mei; * quia dolores cordis mei multiplicati sunt.

Coelestem consolationem tuam da mihi; * et noli spernere indignum, pro

quo teipsum exinanisti, pendens in cruce.

Tu quidem Rex gloriae, et omnium virtutum Magister, docuisti nos gemere et flere, dicens, * « beati qui lugent quoniam consolabuntur ».

Ipse tu defunctum Lazarum amicum flevisti tuum; * et iterum lacrymatus es super perituram civitatem Hierusalem. —

— Salve, o Maria; salve Rubus incombustus; * et maledictionum dissolutio;

Salve dulcium aquarum vena; et veniae fons, cor mollifica nostrum; * et pietatem ad nos Filii flecte tui.

Charitate tua cor vulnera nostrum; * dignos fac muneribus semper nos frui tuis.

Liqueat, caro nostra, in timore tuo; * et desiderio tui, anima inardescat semper nostra.

Per illas tuas sanctissimas lacrymas, et per omnes miserationes tuas, * cor lapideum ad fletum compunge nostrum.

Pia mater Maria, fac me tecum pie flere; * crucifixo condolere, donec ego vixero.

— Coeli, terrae, maria, creaturae cunctae, benedicant Dominum; * quia, tot per Antonium, signis auget hominibus, vitae spem futurae.

Per ignem compunctionis efficiar, Domine, ipso intercedente, * in conspectu Filii tui, holocaustum pingue et medullatum.

Lampade non vacua, lumen mihi det Relligio, charitas ardorem, * donec in domo tua frui praemium dones post laborem;

Per hoc tuum nos Pater hominum, * lumen signes:

Et Lux de lumine illustrator hominum, cum Spiritus munimine, * in rectas nos dirige semitas.

En gratulamur hodie
Christo Regi iucundius,
In cuius aula gloriae
Jam iubilat Antonius

Francisci Patris aemulus,
Sic ille se contemperat,
Ut fonte manans rivulus
Aquas vitae circumferat.

Longe, lateque diffluit,
Sitique mortis aridos
Verbo salutis imbuit,
Dans rore sacro vividos.

Opes, decusque nobilis
Spernet vetusti sanguinis;
Et, vana Mundi respuens
Crucis rigorem diligit.

Et nocte longas protrahit
Divina volvens, lacrymas
Ignita dum suspiria
Deducit imo e pectore.

Afferat Christi gratiam, Antonii patrocinium, * ne prolapsis veniae tempus breve creditum, diffluat inane;

Coeli, terrae, dicam iterum maria, creaturae cunctae benedicant Dominum, * qui tot per Antonium signis auget hominibus vitae spem futurae.

Vidit morantes, aequore
Stupente, pisces, impia
Cervice, quae verum negat
Audire, gens incredula.

Mors, lepra, morbi, Daemones,
Aequor tumens et vincula;
Et, quae flerunt incendia,
Hoc victa cedunt nomine.

Error, lues, calamitas,
Quae clade terras occupant,
Votis precantis obtinent,
Ut semper absint noxia.

O qui perenni promicas
Miraculorum gloria
Audi, benigne supplices,
Nostrisque votis annue.

Nobis Olympi e vertice
Adsis vocatus, turbines,
Ferrum, famem, contagia,
Iram repelle Numinis.

Praestet hoc Nati Genitor
Hoc Genitoris Genitus,
Ac par utrique Conditor,
Paraclytus hoc Spiritus. —

CANTICUM LXXIV.

DOMINICA INF. OCT. CORP. CHRISTI, ET II. P. PENTECOSTEM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (ut supra, pag. 1).

Descendat, Jesu pie, in cor nostrum odor tui suavissimus; * amor tuus dulcissimus in anima ingrediatur nostra.

Immensus es; * ideoque, sine mensura, amari a nobis debes. —

— Tam forti homo hominem diligit dilectione, * ut alter alterum vix abesse patiatur.

Et sponsa, sponso tanto conglutinatur mentis ardore; * ut, prae amoris magnitudine, nulla perfrui requie valeat, cari sui absentiam non sine moerore ferens.

Qua, ergo, dilectione, quo studio ac fervore, anima, quam tibi desponsasti Fide; debet diligere te Deum, * et pulcherrimum sponsum?

Mundani amores suas habent delectationes; * sed perturbatas;

Animas, quas ingrediuntur, sollicitant timoribus; * suspicionibus et perturbationibus.

Tuus, contra, amor suavis est, et quietus; * et pectora, quae possidet, dulcedine et tranquillitate replet. —

— Dominus, viri fratres, possideat nos, * et nos regat.

Dominus nostra est imperturbabilis vita, * et rectorum delectatio.

Carnalia deponamus desideria; * quae animas impugnant et aggravant nostras.

Duo enim amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter irrequietus et amarus;

Alter transitorius, et alter aeternus, * non simul in nostro sustinent pectore. —

— Christe, bone Jesu; charitas Deus meus, dulcedinis amor, et charitatis dulcedo; * tuus amor sincere casteque permanet in saeculum saeculi.

Sis, quaesumus, in corde, in ore, et prae oculis semper nostris; * ut nullus unquam adulterinus in nobis amoribus aditus pateat.

Audi Deus noster, ne nobis, propter peccata efficieris inexorabilis; * sed ob tuam bonitatem preces suscipe nostras.

Tu refugium pauperi; * eiusque adiutor in opportunitatibus, et in tribulatione. —

Petitiones exaudi nostras, intercedente et impetrante Maria, Domina nostra; * cum omnibus sanctis orantibus tuis.

Da nobis, beata Virgo, nostri desiderii effectum, sanctam et castam dilectionem tuam.

Sperent ideo omnes in te, amoris tui agnoscentes dulcedinem; * quia numquam dereliquisti quaerentes te.

Sicut pupillam oculi
Servos servas summo Regi,
Tu solamen es saeculi,
Refugium tui gregis.

Summa Sponsa, summi Regis
Caput conteris Diabuli
Tu es verus liber legis
Tu arca Tabernaculi.

Columba tu simplicior
Omni; Tutrix humilium;
Salus hominum tutior
Mundo attulisti gaudium

Enixa Dei Filium.
Omni veneno fortior,
Medicina peccantium
Signo Serpentis promptior. —

— Christum Regem adoramus, viri fratres, dominantem gentibus, * qui, se manducantibus, dat spiritus pinguedinem.

Misit eum vivens Pater, * ut nos pane cibaret vitae, et intellectus.

Vincenti saeculi huius amores, manna praebet absconditum; * charismata cordis sui, et nomen novum. —

POST COMMUNIO

Mane nunc in me, bone Jesu, * saevientem legem seda membrorum meorum.

Pietatem corrobora; * animique perturbationes expelle;

Ægrotum cura; collisum redintegra; * et ab omni me eripe adverso casu.

Proba et defende me a meipso; * non enim ignoro, quod iudicium sibi manducat, qui de Pane indigne edit; et indigne de Calice bibit.

Eripuisti me in Sanguine tuo de ore leonis; et de manu bestiae liberasti me.

Unge nunc me misericordiae tuae unctione ne peccatum peccato adiiciam; * neve de peccato propitiato sim sine metu.

Omnipotens Deus Pater, Jesus a te missus, meam suscepit humanitatem; * in qua dignum duxit alapas, vincula, sputa et irrisiones perferre:

Clavos et Crucem, * telumque in corde suscipere;

Ex quo aqua manavit et Sanguinis flumen, * unde tellus, pontus lavantur et astra.

Hic est fidelissimus Pastor ille, qui ovem errabundam, per abrupta montium, per vallium praecipitia, multis variisque quaesierat laboribus.

Quique, tandem, gaudens inventa, miro charitatis excessu, super humeros imposuit suos, * et ad beatas reportavit caulas.

Ita, de profunda confusionis abysso annexam levavit; * suisque adstrictam complexibus, ad nonaginta novem, unam, quae perierat, reportavit. —

— Ecce, Domine mi Rex, Pastor bonus refert tibi quod ei, mittens in mundum, commisisti.

— Suscepit, te disponente, ad salvandum hominem; * quem tibi restituit omni labe immunem.

Ecce tuus, tibi castissimus Natus, plasma reconciliavit, * quod a te procul deviaverat.

En, Pater mitis et fortis, * gregi reportat tuo, quod violentus abegerat leo praedo;

Servum tuis reddit conspectibus, quem sua fecerit conscientia fugitivum.

Qui per se meruit poenam; * et per huius sanctificationem, veniam meretur. —

Potui per me, Pater sancte, te offendere, * sed per me, non valeo te placare.

Memorare, quod Filius dilectus tuus factus est adiutor meus; * meam participans humanitatem.

Quatenus, unde causa offensionis emerserat; * inde tibi placationis immolaret Sacrificium.

Spes et fiducia mea est, quod Ipse ad dexteram sedens tuam, * semper sese meae substantiae ostendit tibi esse consortem.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati; pariterque sancti
Spiritus, cuius resonet per omnem
Gloria mundum.—Am.

CANTICUM LXXV.

OCTAVA SACRATISS. CORPORIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Quid deliquit homo, * quod Filius non redimeret Dei.

Quae tanta hominis tumeret superbia; * quod non sterneret eius humilitas?

Quodnam tantum mortis imperium, * quod Nati Dei non destrueret supplicium?

Nimirum, si delicta peccantis hominis, et redimentis auctoris Gratia, aequa libraretur lance, non tantum oriens ab occidente separaretur, * sed inferior a summo coeli cardine.

Ita, si nos, pro nostra ut dignum est, despicis iniquitate; * saltem pro

dilectae nos sobolis charitate misericors respice;

Et quoties beata prolis patent vulnera, * nostra, obsecramus delitescant scelera.

Sic et quoties rubet pretiosus pio de latere Sanguis, * diluantur, obsecramus, pollutionis nostrae labes.

Immunda te ad iram lacessivit caro; * mundissima, imploramus, te caro ad miserationem flectat.

Aspice, benignissime Pater, corporis Filii tui Sacramentum, * et nostrae remitte carnis reatum.

Multum quidem est quod nostra meretur impietas, * longe autem maius, quod Redemptoris nostri iure reposcit pietas.

Quanto, namque Deus homine superior est, tanto hominis malitia inferior est bonitate eius, qualitate et quantitate.

Humilitas in hac pacis Hostia, * nostram vincit superbiam.

Patientia, benignitas, suavitas et dulcedo, * nostram inobedientiam exuperat, duritiem, iram, et crudelitatem. —

— In misericordia tua elegisti nos, ad videndam pacem Hierusalem, * in benedictione filiorum.

Non taliter omni fecisti nationi; * et iudicia tua non manifestasti eis.

Quis nnquam confidet in quibuscumque filiis hominum; * cuius spiritus vitae, serius ocius, exibit de corpore?

Domine Deus noster, regna super nos in generatione et generationem; * sicut regnasti in saecula.

Laudet te anima nostra; * et tibi psallat quamdiu vixerimus;

Laudet te in operibus et prodigiis tuis in hoc pietatis Sacramento; * secundum multitudinem misericordiarum tuarum —

— Et oret ad te, ut exaudias, voce pia, * pro nobis virgo Maria.

Ipsa beata spes est mortalium;* laudabitis valde in Ecclesia Sanctorum;

Ave pacifica, posita inter summa et infima; * Dei et hominum.

Nutrix, ave, dulcem refovens pietatem, * per te, amor Jesu in excelso, ad nostras loquitur animas.

Ave aditus peregrinationis Verbi Dei, * usque ad nos terrae vermiculos;

Janua illuminata, per quam tenebrae pulsae sunt, et lux introducta est, * lex in te inclaruit et gratia nobis.

Audi, Domina, verba precesque nostras; *et in conspectu angelorum laudes cantabimus tibi.

In quacumque die invocaverimus te, exaudi nos; * et virtutes in cordibus multiplica nostris.

Confiteantur tibi omnes tribus et linguae; *quia per te salus restituta est nobis.

Ave, gratia plena, si quid spei, si quid salutis est in nobis a Filio tuo, * a dignitate maternitatis tuae exoriri novimus et redundare.

In hoc sacro convivio, in hac opipara mensa, Christum vivum sumentes, et verum, * de tuis beata Mater, precamur, nobis ministrari manibus.

POST COMMUNIO

Angelorum esca, panis pinguis et vitalis, * parce nobis, Domine.

Panis supersubstantialis, Filiorum Panis et deliciae regum; * exaudi nos, Domine;

Panis vivus et saturans, qui de coelo descendisti; Caro, cibus, Sanguis, Potus, * miserere nobis, Domine.

Panis, omnipotentia Verbi caro factus, * cibus et conviva; cibus viatorum, ab omni nos, Domine, libera peccato.

Divinae affluentia largitatis; dulcissimum convivium, in quo assistunt Angeli ministrantes; potus immortalitatis; * ab omni nos, Domine, libera malo.

Oblatio munda; frumentum electorum, vinum germinans virgines, tuae charitatis abundantia, * inebria nos Domine.

Manna absconditum; mensa purissi-

ma; Agnus absque macula; * sanctifica nos, Domine.

Verbum caro factum; Hostia sancta, habitans in nobis, * salva nos, Domine.

Transubstantiatio verissima; Calix benedictionis inebrians; memoria mirabilium Dei; * salva nos, Domine;

Agnus Paschalis; incruentum Sacrificium; Manna Patrum; * salva nos, Domine.

Offerens et oblatio, Sacramentum pietatis; Viaticum viatorum; * salva nos, Domine

Sacramentum augustissimum; praecelsum ac tremendum fidei mysterium; sacrificium omnium sanctissimum; * salva nos, Domine;

Stupendum supra omne miraculum; coeleste antitodum, quoa peccatis praeservamur; * salva nos, Domine,

Sanctissimae dominicae Passionis commemoratio; praecipuum divinae dilectionis memoriale; vinculum charitatis; * salva nos Domine.

Donum omnem transcendens plenitudinem; spiritualis dulcedo in proprio fonte gustata; * salva nos, Domine;

Refectio et consolatio animarum sanctarum, * salva nos, Domine;

Fortitudo in Domino morientium; pignus futurae gloriae; salva nos, Domine;

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis; salva nos, propter magnam misericordiam tuam. —

— Concomitantiam, viri Fratres, Dei Patris, et Spiritus sancti Paraclyti in Hostia consecrata, * nunc et semper toto confiteamur corde et ore.

Te, igitur, sanctam et individuam Trinitatem laudamus; atque benedicimus; * tibique perennem tribuimus gloriam in saeculorum saecula.

—

CANTICUM LXXVI.

FESTUM SS. CORDIS JESU.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Tu solus Dominus; * tu solus in consilio sanctorum glorificaris excelsissime.

Omnes confiteantur tibi mirabilia tua, * et nos omnipotentiam et bonitatem tuam in aeternum cantabimus. —

— Bone Deus, vitam meam afflictissimam annuntio tibi; * lacrymas repono meas in sacro corde tuo.

Jampridem cognovi, quod, ex sacro tuo ciborio, inopias respexisti meas; * thesaurus meus in corde conditus est tuo.

Benigne Domine, fac mecum bonum propter nomen tuum; * suave est cor tuum et clemens;

Deficiens factus sum, sicut umbra cum decliuat Sol; * ablatus sum et excussus, sicut ab agricolis, de ramis arborum excutiuntur Locustae.

Verumtamen tibi subiectum est cor meum, * tu, unicuique reddis iuxta opera, patientiam et expectationem non frustraberis meam,

Benedictus in aeternum, * qui non dedisti me in captivitatem eorum, qui forte deglutissent me.

Anima mea, sicut Passer erepta est de laqueo venantium; * laqueus contritus est et a perditione liberatus sum.

Vota mea in medio cordis tui sunt; * eripuisti pedes meos a lapsu; et benignitate summa, me de morte liberasti aeterna. —

— O Maria, cor tuum dulcissimum, commune est etiam propitiatorium nostrum; * quia, per te, cor Jesu, loquitur ad cor nostrum;

Per te benignitatis et veniae cordis sui thesauros nobis reserat; * inde munera et omnia largitur spiritualia bona;

Per te placebimus coram Deo nostro in lumine viventium; * propterea lau-

dationes tibi, Canticum et Hymnum cordi Filii reddemus tui.

Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum; Paradisus in te morientium, * divino quo ardes amore requiem in saeculum saeculi nostris concede cordibus.

— Summi Parentis Filio
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi
Promamus ora canticum.

Qui vulneratus pectore,
Amoris ictum pertulit,
Amoris urens ignibus
Ipsum qui amantem diligunt.

Jesu, doloris victima,
Quis te innocentem compulit,
Dura ut apertum lancea
Latus pateret vulneri?

O fons amoris inclyte;
O vena, aquarum limpida;
O flamma adurens crimina
O cordis ardens charitas!

Cor Jesu, sanctitate sanctum; Dei bonitate, bonum; Dei Maiestate dignum; * Divino, quo ardes amore, cor inflamma meum;

Cor Jesu, Patris aeterni Templum dignissimum; proprium Spiritus sancti habitaculum; et sanctissimae Trinitatis sanctuarium; * divino, quo ardes amore, cor adure meum.

Cor Jesu, divinae charitatis dignissima sedes, Sapientiae et scientiae Dei thesaurus infinitus; * divino, quo ardes amore, mentem illumina meum.

Cor Jesu, dives in omnes qui te invocant; et, de cuius plenitudine, omnes accepimus, * divino quo ardes amore trahe me post te.

Cor Jesu, puteus aquarum viventium; pax et reconciliatio nostra; principium et omnium virtutum exemplar; * divino quo ardes amore, debilitatem reflce meam.

Cor Jesu, Hostia vivens, sancta, propitia, in qua sibi Pater bene complacuit; * Divino quo ardes amore, reforma cor meum iuxta voluntatem tuam.

Cor Jesu, opprobriis saturatum, propter nostra attritum scelera, et lancea perforatum, * divino quo ardes amore, cor transfige meum.

Cor Jesu, peregrinantis animae solatium; fons totius consolationis; portum in die tribulationis; * divino, quo ardes amore, cor laetifica meum.

Cor Jesu amantissimum, suavissimum, et salus in te sperantium; * divino, quo ardes, amore cor lapideum de pectore aufer meo, et cor immitte carneum.

Cor Jesu, mite cor; humile; et deliciae Sanctorum omnium; * Spiritum cordis sui in medio infunde cordis mei.

Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter coniunctum, * divino, quo ardes, amore, corda omnium nostrorum cordi conglutinatur;

Cor Jesu, ex Maria virgine in tempore conceptum; in eius sinu ab Angelis adoratum, Patri, pro Mundi vita, ab ipsa praesentatum, * divino, quo ardes amore, nostri cordis exaudi preces.

In corde Jesu iugiter
Reconde nos, ut ubere
Dono fruamur gratiae
Coelique tandem praemiis,—

— Semper Parenti et Filio
Sit laus, honor, et gloria
Sancto simul Paraclyto
In saeculorum saecula. — Amen.

CANTICUM LXXVII.

DOMINICA III. POST. PENTEC. FESTUM S. ALOYSII GONZAGA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Domine Jesu, amor tuus lucerna fulgoris est, * ardens in mente per desiderium; et in facie splendens per exemplum.

Natura amoris huius est indesinenter amare * propria postponere, et communia praeferre;

Contraria vel diversa connectere corda; * et pacem inquirere semper.

Numquam verus otiatur amor;* de die crescit in diem et grandescit.

In angustiis, in fame, in siti, in adversitatibus, * laetificat corda, et a terrenis sublevat;

Est animarum vita; * nam qui non amat, inter mortuos deputatur.

Omnia sustinet, omnia patienter portat; * et virtutes perficit.

Ab intellectu iste oritur dulcissimus amor, * et per fidem, cadit in cor.

Sancti per fidem vicerunt regna; * Fides ergo, est fundamentum stabilitatis amantium et constantiae.

Provenit amor a gratia Dei Patris, sicut de te Jesu, amantium vita, dixisti, * « nemo potest ad me venire, nisi pater meus traxerit illum. » —

—O tu, iuvenis angelice, qui miram innocentiam vitae, pari cum poenitentia sociasti, * impetra nobis, ut te, innocentem non secuti, poenitentem imitemur.

Infensus hostis gloriae
Omnisque culpae nescius,
Et mollis osor Curiae
Laudetur Aloysius.

Alma iuvante Virgine
Ex matris alvo ducitur
Simulque sacro flumine
Nascens puer renascitur.

Primis ab incunabulis,
Piae loquelae semina
Castis fluunt labellulis,
Jesu et Mariae nomina.

Summo sacer iam Numini;
Curas profanas abdicat,
Et se decennem, Virgini
Per castitatem dedicat.

Deo trahente coelitus,
Sic mente pergit vivere
Ut carnis expers spiritus,
Vel Angelus cum corpore.

Non hunc honores saeculi,
Non magna tangunt nomina
Non aulici, non serviti
Non cara gentis agmina.

Sed haec habens despectui,
Sacrisque captus gaudiis,
Adiunctus almo coetui
Christi meret stipendiis,

Illo nihil perfectius,
Nihil fuit constantius,
Omni carens labecula
Fit sanctitatis regula. —

— O amor praeceps, amor Jesu flagrans; amor vehemens; * amor qui te intra cohibere non valens, praeter te aliud cogitare non sinis.

Tu dulciter capis; * et contemnere facis et fastidire omnia;

Tu strenue stringis; * sapienter erudis; gloriose illaqueas;

Delectabiliter oneras; feliciter uris; beatifice consumis; * et tempora citissime facis explere multa.

Affectu es desiderabilis; experientia dulcis; * iucunditate plenus; fruitione aeternus.

Reficiens, sanans, satians; * et nunquam nauseam generans;

Amo te, Domine; * et magis magisque amare cupio;

Amo te praecelsum ac tremendum fidei mysterium, *Sacramentum augustissimum;

Amo te divinae charitatis sedes, * pax in sempiternum et reconciliatio nostra—

POST COMMUNIO

Domine Jesu, fons amoris, amore tuo, in hoc amoris Sacramento, nil suavius, nil dulcius, nil utilius, * nihilque iucundius.

Libertatem donat; timorem pellit;* laborem sentire non facit; nec exquirere praemium;

Fessos alleviat; debiles roborat; * moestos laetificat; esurientes reficit;

Et deficientes, * robustos iucundosque reddit.

Mentis pestes sanat; cordis secreta illuminat; intellectum, fovendo, saginat; * et animam, exhilarando corroborat.

Ad istum amorem tuum, praeveniendo nos invitas, proripis, et protrahis;* et, qui prius torpebat, cum se praeamari sentit, se excitat;

Quod si iam pervebat; * cum se amari et praeamari didicit, magis accenditur.

O clementissime, ego semper surdus fui, et ab amore tuo multipliciter elongatus; * et totus vix ingratitudine plenus.

Quodammodum etiam inimicum adversum te me posui, * sibi contraria et displicentia, corde voce et opere cum mundanis exercendo. —

— Qui se a carnali, viri fratres non abstrahit generatione, * ad innocentiam, ad fervorem, ea ad puritatem non pertingit filiorum Dei.

Mundanus amor cum divino non coniungitur amore, * et nunquam congruit ei.

Curramus, ipso iuvante Jesu, et matre intercedente sua, * ad compunctionem et confessionem;

De sterquilinio exeamus miserrimae conscientiae, * ut, ad amantium regnum, per amoris gratiam, pervenire mereamus. -

Jesu Christi mater, Sponsa immensi amoris est, * fons omnis gaudii, et nostra auctrix laetitiae.

Flumen est Dei, * a Deo discerrens plenitudinem gratiarum.

Invocamus, viri fratres, eam cum fiducia et affectu; * ut phalanges a nobis repellat Daemonum.

Ave Virgo ruga carens,
Da intacta Dei parens,
Ut laus tua cum dulcore,
Meo semper sit in ore.

Ave Virgo, lux astrorum,
Educ, quaeso, vitiorum
Lutulenta me de fece
Pro me Deo fusa prece.

Innocentibus, reverendum tu es alabastrum spiritualis Gratiae unguenti;* et turris firmissima, quae inimicorum retundit superbiam.

Benignissime Jesu, abysso et violentia amoris tui, * summus tu omnium, infimus factus es.

Et ideo, nil violentius de te triumphat, * quam sincerus et humilis amor.

Temetipsum exinanisti, ut plenitudinem sciremus amoris tui effusam esse in nobis, * altitudinem, adaequatam; et singularitatem associatam.

Inclinasti te ut nos erigeres; * maiestatem exinanisti tuam in hoc Sacramento Eucharistiae, ut tua nos divinitate impleres.

Usque ad imum descendisti nostrum;* ut ad te ascenderemus.

Piissime Jesu, qui non potes non amare, * per violentiam dulcissimi amoris tui, rebelles nostras ad amandum compelle voluntates. —

— Uni ter almo Numini,
Sanctoque Jesu nomini
Sit laus, decus, dilectio;
Sit laus et Aloysio.

CANTICUM LXXVIII.

NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Gabriel Angelus apparuit Zachariae, dicens, * « nascetur tibi filius, nomen eius Joannes vocabitur, et multi in nativitate gaudebunt eius ».

« Erit magnus coram Domino;* manus eius ipso est. »

» Vinum et siceram non bibet; * et omne immundum non manducabit ex utero matris suae».

» Ipse praeibit ante Illum, in spiritu et virtute Eliae, * parare Domino plebem perfectam ». —

— Priusquam te, Joannes, formaret Deus in utero, * novit te;

Et, antequam exires de vulva, sanctificavit te; * et prophetam in gentibus dedit te.

Elisabeth, Zachariae magno viro,

genuit te praecursorem Domini; qui viam in Eremo praeparasti Domino.

Erat quidem infoecunda corpore, sed servata mysterio, * caruitque sterilitatis opprobrio gignendo Filium de Coelo promissum. —

Apertus est os Zachariae, qui mutus erat, et prophetavit dicens, * « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae ».

— Solus es Prophetarum, * qui Dominum nostrum propriis meruisti videre oculis;

Et solus annuntiasti praesentem, * quem futurum in longa praecinerunt saecula.

Te, inspirante Deo, annuntiavit Isaias, dicens, * « vox clamantis in Deserto parate viam Domini ».

Tu concutiens naturae terminos, sexto matris tuae mense, * in utero ex utero Salvatorem, et salutationis gratiam aspexisti eius.

Repletus Spiritu sancto, audiens Mariae dulcissimam vocem, * in utero exultasti.

Nondum lucem aspiciebas, * et Solem indicasti iustitiae.

Figura tu veteris extitisti Testamenti et formam in te praetulisti legis; * ideoque praenuntiasti Salvatorem, sicut Lex praecinit Gratiam.

Nullus revera maior, inter natos surrexit mulierum; * testimonium advenisti ut testimonium perhiberes de lumine, et vias ante Dominum parares eius.

Praecursor dilectus, et lucerna ante Dominum, vias illuminasti hominum; * illis Dei demonstrans Agnum.

Antecellis Prophetas; supergrederis Patriarchas, * praecellis omnes, emines universis! —

— O sanctissima Maria, firmamentum es tu dogmatum Christi * os Apostolorum, Prophetarum, Confessorum et Martyrum, et exultatio olei unctionis.

Salve Deo desponsata, maledictionum salve ablatrix; * et Christi Dei vox sapientissima.

O beata Domini mei mater, * en video in ista tua salutatione, quod in plenitudine detentio est sanctorum tua.

Imo cognosco, * quod Sanctos in plenitudine omnes detines tua;

Sydus inclytum, e throno procedis eburneo in excelso decore tuo, * circumdata filiatus Regis tui.

Descende, o beata mater, de throno excelsae sanctitatis tuae; * et nos etiam visita remedia fragilitati conferens nostrae.

Nobis faciem pulcherrimam ostende tuam, visitans nos in pace; * vox tua, quae vox est Christi, in auribus etiam dulcissima personet nostris;

Facies enim tua decora, et vox tua suavis nimis, * tua audientes verba iubilabimus, exaltabimus.

Exultabimus certe et iubilabimus in te nobis dicente, * « Ecce vobis Agnus Dei, quem totus non capit orbis, et in meis se clausit visceribus, factus homo ».

« Ac iterum in pectore unisquisque vestrum Eucharistice clauditur, * vere cibus ac filiorum potus. »

POST COMMUNIO

Magna sunt opera tua Domine, * et exquisita in omnes voluntates tuas.

Benedictus Dominus Deus Israel; * quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

— Domine, redemptio tua ad nostram in saeculum salvationem durabit; * opera manuum tuarum in nos peracta ne despicias.

Ut, sine timore de manu inimicorum liberati, * serviamus tibi.

Per viscera misericordiae tuae, * in quibus visitasti nos óriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra sedent mortis; * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis;

Et tu puer, propheta Altissimi, qui ante faciem praeisti Domini, * memen-

to mei, et omnium qui nobiscum tibi hunc pium canet hymnum.

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum
Solve polluti labii reatum
Sancte Johannes.

Nuncius celso venies Olympo
Te patri magno fore nasciturum;
Nomen et vitae seriem gerendae
Ordine promit.

Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptae modulos loquelae
Sed reformasti genitus peremptae
Organa vocis.

Ventris obstruso positus cubili,
Senseras Regem thalamo manentem
Hinc parens, nati meritis, uterque
Abdita pandit. —

— Antra Deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti
Ne levi saltem maculare vitam
Flamine posses.

Praebuit hirtum tegumen Camelus
Artubus sacris, strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella Locustis.

Caeteri tantum cecinere vatum
Corde praesago iubar affuturum,
Tu quidem Mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctius quisquam genitus Joanne,
Qui nefas saecli meruit lavantem
Tingere lymphis.

O nimis felix, meritique celsi
Nesciens labem nivei pudoris;
Praepotens martyr, Eremique cultor
Maxime vatum.

Serta ter denis alios coronant,
Aucta crementis, duplicata quosdam;
Trina centeno cumulata fructu
Te, sacer, ornant.

Hic potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles.

Ut pius mundi Sator et redemptor,
Mentibus pulsa levione puris
Rite dignetur veniens sacratos
Ponere gressus.

CANTICUM LXXIX.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEM

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra pag. 1.)

Pauper sum;* et in laboribus meis a iuventute mea anima contristatur mea usque ad lacrymas.

Desidero pacis gaudium; * filiorum tuorum pacem flagito, qui in lumine consolationis a te pascuntur.

Laetetur in te servus tuus, non in se, neque in aliquo alio, * quia tu solus laetitia mea, tu gaudium et honor meus.

Super caput meum lucerna splendeat tua; * et sub umbra alarum tuarum, ab irruentibus me protege tentationibus.

Pater iuste; Pater amande, Pater perpetue venerande, * dignum et iustum est ut adveniat hora, in quo probetur, et servus exerceatur tuus.

Bonum mihi pater, quia humiliasti me, ut iuas tandem iustificationes discam, * omnes cordis elationes abiiciam et mentis praesumptiones.

Utile est mihi, quod confusio faciem cooperiat meam; ut, deinceps, te potius quam homines ad me consolandum requiram.

Gratiam tibi, quia malis non pepercisti meis; * sed amaris me attrivisti verberibus; infligens dolores; et angustias foris inmittens, et intus;

Tu perculis et sanas; deducis ad inferos et reducis; disciplina tua super me; virga et baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Pater sancte esto nunc et in aeternum benedictus; * sic voluisti, et sic ordinasti; et factum est quod ipse praecepisti.

Didici, etiam, ex hoc inscrutabile pavescere iudicium tuum; * qui affligis

impium, sed non aequitate et misericordia.

Ecce ego peccator in manibus tuis sum, sub virga quam iustissima; * et contritioni tuae me inclino.

Tibi me, et omnia mea ad corrigendum commendo; * melius est hic, quam in altera corripi vita.

Percute dorsum meum, collum, et viscera mea; * totam percute tortuositatem meam, ut ad tuam incurvem voluntatem faciendam.

Scis, quid ad profectum expedit meum; * et quantum deservit tribulatio ad vitiorum rubiginem expurgandam, et virtutes excolendas.

Non sunt condignae passiones huius temporis, * ad futuram quae revelabitur in nobis gloriam.

Quamdiu mortale gerimus corpus taedium sentimus, et cordis gravamen; * saepe in carne de carnis gementes onere.

Falluntur nostri in iudicando sensus; falluntur et saeculi Doctores.

Huius praeterit figura mundi; fallax, fallacem; vanus, vanum; infirmus, infirmum decipit; * et coecus, coecum in foveam impellit. —

— Mater verae Fidei, Sapientiae Mater, et Sanctorum omnium exultatio; * gressus dirige nostros in viam lucis et veritatis.

Adminiculum contra invincibiles hostes; arca sancta et indissolubilis; * sancta sanctorum omnium, nos ad fontem dirige gratiae et misericordiae.

Et nobis salutare tuum, quod bonitatis, et totius puritatis est largitor, * clemens ostende, o pia, o dulcis virgo Maria —

— Duo nobis, viri fratres in hac sentimus vita maxime necessaria, * cibum scilicet et lumen.

Lucernam posuit Deus pedibus nostris Verbum suum; * et cibum ad mentis et corporis refectionem nobis reliquit in Sacramento Eucharistiae.

Adeamus, ergo, cum fiducia et hilaritate ad claritatis mensam, et coelestium satietatis, * epulantes in gaudio Domini nostri Jesu Christi.

POST COMMUNIO

O quanta est devotae animae suavitas, * tecum, Domine Jesu splendide in convivio epulantis tuo.

Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua, ex intimo affectu, lacrymas fundere, * et, cum pia Magdalena, pedes irrigare tuos.

Certo, in conspectu tuo et sanctorum Angelorum, totum deberet cor meum ardere; * et, ex nimio; flere gaudio.

Habemus enim te unicum dilectum cordis nostri in Sacramento praesentem; * quamvis aliena occultatum specie.

In hoc imbecillitati consuluisti nostrae; * nam oculi nostri ferre non possunt in propria tua conspicere claritate.

Totus ipse non subsisteret mundus, * in conspectu fulgoris maiestatis gloriae tuae.

Vincit sidera, * et ardentes Seraphim catervas.

Et tamen, in Hostia consecrata, realiter ipsum adoramus Deum; * ipsum quem Apostoli in coelis adorant;

Nos per speculum et in aenigmate, idest Fidei fidelibus intuitibus; * illi autem sine velamine.

Et hoc in modo * donec dies, pro nobis, aeternae claritatis aspiret, et figurarum inclinentur umbrae.

Cum autem venerit quod perfectum est, usus cessabit Sacramentorum; * quia beati, in gloria aeternitatis, hoc non egent medicamine.

Gratias tibi Creator et Redemptor hominum, qui non Agnum typicum, * sed tuum Sacratissimum Corpus et Sanguinem nobis, in coena tua magna ad manducandum parasti. —

— O quam magnum et honorabile sacerdotis est officium; * quia coeli et terrae Dominum sacris consecrat verbis!

Et qui labiis benedicit; manibus contrectat; ore sumit proprio; * et caeteris ministrat!

O quam mundae manus esse debent iliae; * et os quam purum!

O quam corpus nostrum deberet immaculatum esse, * ad quod puritatis ingreditur auctor.

Tua nos Domine adinvet gratia ad sanctitatem acquirendam; * quoniam tu sanctus es —

— Patri perennis sit per aevum gloriae,
Tibique laudes concinamus inclytas
Aeternae Nate; sit superne Spiritus
Honor tibi, decusque; sancta iugiter
Laudetur omne, Trinitas, per aevum.

CANTICUM LXXX.

FESTUM SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.).

— Aurea luce et decore roseo,
Lux lucis, omne perfudisti saeculum
Decorans Coelos inclyto martirio
Haec sacra dies, quae dat reis veniam.—

— Posuit Deus duo luminaria magna in Ecclesia sua sancta, * Petrus et Paulus.

Ave Petre, apostolorum princeps; * ave Paule apostole, praedicator veritatis et doctor gentium;

Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est etiam tibi inter gentes; * ut gratiam cognoscant eius, quae data est tibi. —

— Isti sunt, viri fratres, duae olivae; * et duo ante Dominum lucentia candelabra;

Potestatem habent claudere coelum nubibus et portas aperire eius; * quia linguae eorum factae sunt coeli claves.

— Isti sunt duo viri, per quos tibi Evangelium Christi Roma resplendit; * quae antea magistra erroris eras, et inde facta es discipula veritatis;

Quae, cum pene omnibus dominabaris gentibus omnium gentilium serviebas erroribus; * nullum eorum respuens falsitatem;

Unde, quanto tenacius per Diabolum alligata eras, * tanto per Christum mirabilius absoluta fuisti!

Propterea, Isti et alii, Patres tui sunt, * verique Doctores et Pastores.

Qui, te regnis coelestibus inferendam, multo felicius condiderunt, * quam illi, quorum studio, prima moenium tuorum fundamenta locata sunt.

Qui te ad hanc provexerunt gloriam; * ut semper gens sancta, populus electus, Regia sis civitas et simul sacerdotalis.

Et, per sacram beati Petri sedem caput effecta orbis, * latius hodie religione praesides divina, quam terrena dominatione olim.

Cathedram sanctificavit ipse, * qui lavacro Sanguinis et aquae mundavit eam in Verbo vitae.

Ideoque aurum et multitudo gemmarum, * et vas pretiosum labia sunt scientiae ejus.

Et quamvis olim, multis aucta victoriis, ius imperii tui, terra marique protulisti; * minus tamen est quod tibi bellicus subdidit labor, quam quod christiana subiecit pax. —

Mundi magister, atque Coeli ianitor,
Romae parentes; arbitrique Gentium,
Per ensis ille hic, per crucis victor necem
Vitae, Senatum laureati possident.

O Roma felix, quae duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine;
Horum cruore purpurata caeteras
Excellis orbis una pulchritudines.

Olivae binae pietatis unicae;
Fide devotos, spe robustos maxime;
Fonte repletos charitatis geminae,
Post mortem carnis impetrate vivere.

Tu, Petre, pastor es ovium, * princeps apostolorum; * tibi omnia tradidit Deus, et successoribus tuis, regna mundi.

« Si diligis me, aiebat tibi Jesus, pasce oves meas; tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. »

Portae inferi non praevalebunt adversus eam; * et tibi dabo claves regni Coelorum ».

Beate Petre, clemens accipe
Voces precantium, criminumque vin-
(cula.
Verbo resolve; cui potestas tradita,
Aperire terris Coelum; apertum clau-
(dere.

Quodcumque in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum, Petre, in arce Siderum,
Et quod resolvit hic potestas tradita
Erit solutum Coeli in alto vertice.

Amodo, ideo verum ac certum est,* quod, in fine mundi, stultitiam iudicabis saeculi furentis huius. —

— Et Sol quidem hominibus est Paulus; * qui totum prorsus orbem fulgentibus linguae suae illuminavit radiis;

Quique, universas circumeundo gentes, * cursum omnino Solis imitatus est.

Ideoque de te dixit Jesus; « vas electionis mihi est iste; * ut portet nomen meum coram Gentibus, et Regibus, et Filiis Israel ».

Propterea tibi, totius mundi bellum, omni erat pace iucundius; * delectabat enim quicumque illum, ab Evangelium vulnerabat.

Non haud aliter delectabatur naufragiis; * quam caeteri acquisitis solent gaudere inventis thesauris.

Squalore carceris, * utpote Paradisi iucundabatur amoenitate.

Infractus vi malorum, nil illi dulcius arridebat vel pretiosius, * quam pro Christi gloria agonizzare.

Cui, te Paule, istorum veteris vel novi testamenti comparare audeam? qui semper ardenti resonante sacrum pectore verbum, coram populis exitabas?

Omnium quippe virtutes, quasi in arca quadam, * sed, cum multo prorsus cumulo, contulisti.

Magnus sanctus Paulus, vas electionis, vere dignus es glorificandus; * qui Apostolorum meruisti possidere thronum.

Gratia Christi in te vacua non fuit; bonum certasti certamen; cursum consumasti; fidem servasti; * et gratia eius semper in te mansit.

Doctor egregie Paule, mores instrue;
Et mente polum nos transferre satage;
Donum perfectum largiatur plenius
Evacuato quod ex parte gerimus. —

— Domine Jesu, tu es Religionis fundator, Apostolorum auctor, et omnis sanctitatis dator.

Tu cor purum, et spiritum quaeris humiliatum et contritum; * ibique locum requietionis eligis;

Vetus in me expurga fermentum, per intercessionem sancti Petri et Pauli; * et cordis mei munda habitaculum;

Indeque mihi coenaculum exhibe tuum grande stratum; * ibique faciam apud te Pascha cum Apostolis fidelibus, amicis et domesticis tuis;

Ex sola pietate et gratia, ad istam accedere audeo mensam; * ac si mendicus et famelicus ad divitis vocaretur prandium.

Nihil aliud habeo ad tuis retribuendum beneficiis, * nisi me ipsum, inabisso miseriae meae me humiliando, et tibi gratias agendo.

POST COMMUNIO

Bone Jesu cordis mei, et Deus meus, tu es, quem exquisivi; et quem obtinui; * tibique in aeternum adhaerebo.

Caro et cor meum exultent anhelantes in te; * Deum vivum et verum;

Eligo ex nunc abiectum esse in domo tua una tantum die; * quam, cum honore in perpetuum et divitiis in tabernaculis habitare peccatorum.

Mihi enim optimum est inseparabiliter tecum esse unicum bonum; * et ponere in te Deo meo spem omnem meam.

Beatus vir, cuius est auxilium a te; disponet ascensiones in corde suo; iterque perficiet in hac lacrymarum valle.

De virtute ibit in virtutem, * vide-

bit tandem Deum in Sion, et laetabitur in aeternum. —

— Et Beatus, qui confidit in te o Maria; * quia quod Jesus Christus imperio, tu prece virgo potes.

Materna, viri fratres, Maria, in Deum auctoritate pollet, etiam pro iis qui enormiter peccant, * ipsa eximiam remissionis gratiam poenitentibus conciliat.

Domina rerum; Domina Mundi, Coelorum Regina: * et Christi dextera est, ad perditos omnes salvandos extensa.

Benedicta sis Dei mei mater; quia per te visitavit, et fecit Deus redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutaris castitatis tuae, * in domo David pueri sui.

Salutem, o virgo virginum, ex inimicis praesta; * et manu omnium, qui nos oderunt, pacem nobis praepara.

Misericordiam fac nobiscum pro parentibus et proximis, * ut memor sis testamentum omnipotentis Dei nostri in pace iustorum.

Ante Mundi originem
Te Dominus ordinavit,
Dum Coeli latitudinem
Sapienter aedificavit,

Ex tunc, sancta mente cavit;
Per te matrem et virginem,
Protoplasti, qui peccavit
Extirpare voraginem.

Gaude virgo mater gaude,
Per te mundum restauratur,
Cum civibus Coeli plaude,
Quia honor tibi datur,

Deus tecum collaudatur,
Semper maior omni laude,
Quia per te liberatur,
Omnis homo sui fraude. —

— Exaltate, viri fratres, Dominum Deum nostrum, * et scabellum adorate pedum eius, quoniam sanctum est.

Convertantur ad Dominum, per Apostolos suos, omnes fines terrae, * et orent in cospectu eius.

Et propter Mariam, universae exultent familiae gentium; * et ei gratias agant.

— Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque iubilatio;
In unitate cui manet imperium,
Ex tunc et modo per aeterna saecula.

JULIUS

CANTICUM LXXXI.

VISITATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Quae est ista, quae procedit sicut Sol, * formosa tanquam coelestis Hierusalem?

Est Maria, flos campi, et Lilium inter spinas, * quae, cum esset parvula, placuit Altissimo; et de suis visceribus, Deum genuit et hominem.

Benedicta et venerabilis es o Maria;* quae, sine tactu pudoris, inventa es mater Salvatoris.

Imo beatissima; quia omnium nostrum Creatorem portasti; * genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes virgo.

— In tempore sanctissimae gestationis tuae, exurgens, abiisti, per montana, cum festinatione in civitatem Juda; * et in domum intrasti Zachariae;

Et statim ac dulcissima vox salutationis tuae facta est in auribus Elisabeth, * exultavit, prae gaudio, infans in utero eius.

Joannes Praecursor non sustinuit expectare amplius naturae terminos; * rumpere contendit ventris carcerem; et praesignificare studuit venientem Salvatorem.

Suavissimam illam salutationis vocem, mater audivit eius; * sed ipse prius gratiam adventus et salutationis Mariae in anima sensit sua.

Repletus iam Spiritu Sancto, matrem replevit suam, quae exclamavit, dicens: « Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. »

Et Maria, Verbo foeta, Deo plena, respondit, « Magnificat anima mea Dominum; * et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. » —

— Beata Mater, ora pro populo interveni pro Clero; * intercede pro devoto femineo sexu;

Sentiant omnes tuum iuvamen; * quicumque tuam sanctam celebrant *Visitationem*.

Nos omnes tua cum sumus hinc, inter corruptilia vitae discrimina; * visita nos in pace, et usque ad extremum protege ac defende.

Audi nos orantes; * visita nos in pace, et usque ad extremum, protege ac defende.

Audi nos orantes; * nos, hymnum canentes, exaudi.

Diva replata Numine
Verbique facta germine,
Ardens, graduque concito,
Montana iam virgo subit.

Audita vox Elisabeth,
Vox est supernae Virginis,
Cum laetus infans exilit,
Venisse testatur Deum.



S. CUORE DI GESÙ

O Cuore del mio Gesù, o fonte d'ogni bene, vi adoro, vi amo, vi presento questo mio povero cuore. Rendetelo paziente, puro e conforme in tutto alle volontà di Dio. Fate, divin Gesù, che io viva e muoia in Voi e per Voi. Amen.



A. P. Roma Via de S. Pantaleo N.° 14.

Solnta lingnae vinoula
Parens sacerdos praedicat;
Sanctisque tota laudibus
Domus Prophetae personat.

— Vox ista nostris auribus
Fac, sancta mater, insonet,
Qua corda, mentem, et corpora
Vera salute sospitet.

Hinc sancta nobis gaudia,
Et gratiarum munera:
Hinc laeta laudis cantica
Ceu fonte fugi profluant. —

— Virgo, propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nunciat.

— Verbum quod ante saecula
E mente Patria prodiit,
Et matris alvo Virginis
Mortalis infans nascitur,

Templo puellus sistitur,
Legique paret Légifer,
Hic se Redemptor, paupere
Pretio redemptus immolat.

— Coelestis Gratiae munus, quaesumus famulis, Domine, impertire tuis; * ut quibus beatae virginis partus salutis extitit exordium.

Et visitationis eius votiva solemnitas, * pacis nobis tribuat incrementum.

Sua intercessione, nostrae, ante thronum Maiestatis tuae, perveniant preces, * nos piacutis exuentes.

Et oblationem, quam nomini tuo sacrandam offerimus, * tibi Jesu Christe, Domino nostro, faciat acceptam. —

— Ecce ad nos iam dilectus venit noster, saliens in montibus; colles transiliens; * similis est Capreae hymuloque Cervorum.

Ecce Dei venit Agnus, qui Mundi tollit peccata; * qui nos exaudit, et miserefur nostri.

Ave Paradisus in te viventium; * Propitiatorium, ave pro viris et pro defunctis.

POST COMMUNIO.

Corporis sacri, et pretiosi sanguinis repleti libamine, quaesumus, Domine; * ut quod pia gerimus devotione certa capiamus protectione.

Fidem da nobis solidam; * spem congruam; charitatemque continuàm.

Tu, qui cuncta scis et vales; qui nos pascis hic mortales; * tuos tibi commensales; cohaeredes et sodales, fac sanctorum civium.

— Coelestis aulae nuncius,
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratia
Dei parentem Virginem.

Andriani.

Gratias tibi agimus lux nostra; * qui illuminasti nos ut te cognoscamus.

Cognoscimus te, Deum vivum et verum; Coeli creatorem et terrae, * visibilium omnium et invisibilium:

Qui, tua virtute, ab initio temporis, utramque condidisti creaturam, * spiritualem et corporalem.

Angelicam, videlicet et mundanam, * ac deinde humanam, quasi communem, ex corpore et spiritu constitutam.

Omnipotentem te cognoscimus; immortalem; inaccessibilem; * imperscrutabilem; incommutabilem et infinitum;

Te unum solum Deum aeternum, * Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum.

Tres quidem personas, * sed unam essentiam, omnino simplicem indivisamque naturam.

Et cognoscimus Patrem, a nullo; Filium a Patre solo; Spiritum sanctum, ab utroque.

Absque initio, semper, et sine fine, trinum et unum solum Deum. —

— Cognoscimus te Deum verum et hominem Jesum Christum, * et adoramus.

Confitemur Patrem te habere Deum, * indeque te venturum Judicem expectamus in fine saeculi, et vivos iudices et mortuos.

A voce virtutis tuae omnes resurgent in illa tremenda die, * quotquot humanae animae in carne his habuerunt sua;

Ut totus homo, pro meritis, * vel gloriam, vel gehennam suscipiat. —

— Deus noster, Verbum Patris, ab aeterno ante Luciferum genitus, * Deus de Deo, constitutus est Rex super omnem creaturam.

Noli nos, bone Jesu, confringere in ira tua, tamquam vas figuli reprobatum; neque, in die iudicii ira exardeat tua super nos peccatores.

— Apprehendamus, viri fratres, disciplinam bonam; * ne quando irascatur Dominus; et aberrantes de via iusta, pereamus.

Ipse est vita et refectio nostra, * qui corpus reformabit humilitatis nostrae, corpori configuratum claritatis suae. —

— Cognoscimus te Deum verum, et unum Spiritum sanctum; * Patris et Filii ab utroque procedentem;

Consubstantialem, et coaeternum Patri et Filio * Paracletum et advocatum nostrum.

Qui, super eundem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, in Columbae specie descendisti; et super Apostolos, in linguis igneis;

Qui omnes sanctos et electos Dei, a principio, tuae gratiae docuisti munere, * oraque aperuisti Prophetarum, ut mirabilia enarrarent Regni Dei.

Vera lux, lumen viridicum, ignis Dei, et spiritum magister, * unctione tua omnem doces virtutem;

Et ab omnibus cum Patre et Filio * simul adoraris et conglorificaris.

— Quis similis tibi Domine, quis tibi aequales? magnificus in sanctitate, terribilis, laudabilis, et mirabilia faciens?

Non nos te quaerebamus, * et tu nos benigne vocasti.

Non te invocabamus; * et tu nos exaudisti.

Domine Deus noster, visitasti nos oriens ex alto, * et de tenebris extraxisti et umbra mortis, misericors et miserator,

In admirabile lumen nos adduxisti tuum, * et nomen, claritatem, et vocem nos cognovimus salutationis tuae.

Conversi sumus et expavimus, * tenebras et abyssum aspicientes, ex quo salvasti nos.

Pater, Deus totius consolationis, gratias agimus tibi, nunc et in saecula, * propter magnam miserationem tuam.

Regi Regum salus, vita,
Decus et imperium:
Trinitati laus et honor
Sit per omne saeculum;
Qui concives nos adscribat
Supernorum civium — Amen.

CANTICUM LXXXII.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Quomodo peccatores abundant in saeculo robore, divitiis et longaevitate.

Prodit, quasi ex adipe, iniquitas eorum, * transeunt in malum affectum cordis depravati.

Cogitant apud te, et nequitiam loquuntur; ponunt et etiam os suum in Coelum, blasphemantes quae ignorant!

Existimabam prosperitatem istorum esse absurdam; * et frustra angebar hoc mysterium viribus cognoscerem meis.

Sed ecce prosperitas istorum evanescit, * velut somnium surgentium;

Defecerunt propter iniquitatem eorum; * et facti sunt in desolationem.

Odio sunt Deo impius, et impietas eius; * ab aeterno perdidisti omnes, qui Fidem violant tibi debitam. —

— Et ego, quid boni egi: * vel quid merui nisi infernum?

Quid reus dicam, et omni confusione plenus? non habeo os loquendi, nisi hoc tantum verbum, * « peccavi, Domine; miserere mei ».

Dignus sum flagellari et puniri, quia graviter et saepe te offendi, et in multis deliqui.

Sed sine paululum dolorem plangam meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, * opertam mortis caligine.

Humilis peccatorum contritio accep-

tabilis est tibi; * cordis sacrificium longe suavius in conspectu olet tuo; quam thus incensum.

Domine Deus meus, qui me ad imaginem et similitudinem creasti tuam, * fac ut pessimam vincam naturam meam, ad perditionem me trahentem.

Sentio, enim, in carne mea turpem legem contradicentem legi mentis meae, * et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati.

Recta a te condita nostra natura fuit, * sed modica vis, quae remansit ei, post Protoplastae corruptionem, est tanquam latens scintilla in cinere doloso.

Impotens est ad implendum omne quod debet; * et potiri jam pleno veritatis lumine non valet.

Deus meus, legi condelector tuae secundum interiorem hominem; sciens mandatum tuum bonum iustum et sanctum; * et arguens fugiendum omne malum.

Sed lamen, velle bonum mihi semper adiacet; * perficere autem in meis non invenio viribus;

A Daemonum fraudibus graviter abstructus, et propriae corruptionis pondere pressus, * ad perfectiora non assurgo.

Opus ideo est Gratia tua, et magna ad naturae imbecillitatem superandam et perversitatem, * ad bonum inchoandum, prosequendum, et perficiendum.

O beatissima Gratia; quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis; * et in multis divitem bonis, humilem reddis.

— Ipsa Gratia, viri fratres, fortitudo nostra est, * cunctis potentior hostibus; sapientior imo universis sapientibus consilium confert et auxilium;

Doctrix est disciplinae, * cordis, lumen; pressurae solamen;

Tristitiae fugatrix; timoris ablatrix; – et laetitiae ac devotionis, productrix.

O quam dilecta est Gratia tua, Domine Jesu, * iustus et misericors, non privabis promissis bonis eos qui sperant in te.

Tua ergo, Domine, Gratia nos praeveniat semper et sequatur, * ac optimis praestet nos jugiter operibus intentos esse.

Aspice nos, Deus, benignus in faciem Christi respice tui, * et ad tam inaestimabile pietatis suae sacrificium.

Ignosce nobis; * quia nos nostra acriter remordet conscientia.

— Si iram pertimescimus Dei, accedamus, viri fratres, accurramus ad Mariam; * genus enim nostrum in ea aspicimus.

Daemon circuit quaerens quem devoret; * sed Mater divinae Gratiae satagit ut habeat quem salvet.

Pia est exorantibus; * dulcis et clemens diligentibus.

Ipsa est civitas munita Dei, * causa salutis humano diverso generi.

Lacrymarum nostrarum ablatio, * et calamitatum restauratio.

Ipsa est, * quae nobis filium, in hoc Sacramento, adminuistrat Altissimum suum.

POST COMMUNIO

Recollige nunc, bone Jesu, sensus ad te, fac omnium me oblivisci mundanorum; * da cito abiicere et contemnere transitoria omnia.

Succurre mihi aeterna veritas; * ut nulla amplius me moveat vanitas.

Consolare, dulcis animae hospes, exilium meum; quia omne desiderium ad te suspiro;

Relictus sum pauper et exul in terra hostili, * ubi bella sunt quotidiana et maxima infortunia.

Onus est mihi nunc quidquid Mundus ad solatium offert; * sordent adhuc et vilescunt ista, quae peccantium oculis placita sunt.

Coelestibus inhaerere opto; et te intima solitudine frui; * sed modum et viam apprehendere nequeo.

Sic; homo infelix, intus pugno et

extra, * et factus sum mihimetipsi gravis.

Jesu, amor meus et spes mea, quando stabo ad te videndum? * quando gloriam regni contemplabor tui? et in omnibus eris mihi omnia?

Quando mihi erit pax solida, imperturbabilis et secura? * pax intus et foris, ex omni parte firmissima?

Quando, ab omni mentis gravamine liberatus, et corporis; in una et constanti spiritus libertate vivam expeditus?

Vocem, qua clamo ad te, Domine, exaudi meam; adiutor esto meus, ne derelinquas, neque despicias me Deus salutis meae.

Tu, qui, te diligentibus, invisibilia praeparasti charismata; * amoris tui affectum cordi infunde meo.

Ut te in omnibus, et super omnia diligens; * promissiones consequar tuas, quae omnem exsuperant desiderium.

Et ut tibi hymnum, sancta Trinitas et una Deitas, * misericors in muneribus gratiae tuae et miseratrix, ex nunc me canere et in saecula sinas. —

— Corde Patris genita Sapientia est, * Filius ipse est.

Sanctus, ab aeterno subsistit Spiritus ore, * tempore, nec senior Patre, nec Numine maior,

Nam sapiens retro semper Deus, edidit ex se, * per quod gignenda erant saecula Verbum;

Edere, sed Verbum Patris est; * at caetera Verbi.

Adsumptum gestare hominem, reparare peremptum; * conciliare Patri, dextraque in sede locari.

Spiritus, ista, Dei complet; Deus ipse fideles in Populos charisma suum diffundere promptus; * et Patris et Christi virtutem in corpore confert.—

Deo sit uni gloria
Pro multiformi Gratia
Qui culpas et supplicia
Remittit, et dat praemia. —

CANTICUM LXXXIII.

DOMINICA VI. P. PENTECOSTEM. — FESTUM S. MARIAE MAGDALENAE POENITENTIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Amor, Domine Jesu, et amantium vita, * qui vehementer te diligit, etiam a te vehementius diligi dubium non est.

Et qui ardenter studet, quo pacto placeat tibi, * multo magis sollicitum, diligentem et studiosum te, in cum reamando, agnoscit.

Amor tuus animae amorem parit; * et, qualem se praeparaverit anima tibi, talis tu, eminenter misericordiosior, appares ei;

Et si anima ad te vigilat, et, in nocte, ad laudandum consurgit, * te invenit amantissimum et gustat;

Certe, amans, cum amante, vacans; cum vacante, intentus; * cum intento, sollicitus es tu cordis mei Deus.

Semperque amando, et gratias gratiis addendo tuis, plus quoque amoris ad ipsam extendis animam, * et dilatas et firmas. —

— Quas omnes amoris perfectiones, devota considerans Magdalena et grata, * saeculi contempsit blandimenta.

Et praesentiae tuae ineffabilem admirans maiestatem; * ardore claritatis tuae succensa vixit.

Secus pedes, dulce Jesu, astans quotidie tuos, * tibi intendere soli gloriabatur;

Et se, te donante, * tibi soli, postpositis curis omnibus, toto custodivit corde.

Satagebat Martha, Mariae soror, circa ministeria; * et illa sedens circa Domini pedes, verbum aridissime audiebat sanctissimi oris eius.

» Non est, inquit Martha, tibi curae, quod soror mea, me solam reliquerit

ministrare? * Iube, Domine Jesu, ut me adiuvet ».

Et ille, respondens, dixit, * « Unum est necesse; * Mariam optimam elegit partem, quae non auferetur ab ea ».

— Maria, viri fratres, ad Jesum immunda accessit, sed corde compuncta, * munda redivit;

Accessit aegra, et sana redintegratur; * confessa advenit, et professa in Fide, Spe et Charitate cognita fuit.

O nimium felix et beata, quae Nardi onoriferi exhibuisti unguenta, * et Salvatoris nostri unxisti pedes, obortisque rigasti lacrymis!

Et fracto quoque alabastro, praecipuis afficiebas odoribus; * atque capillorum detergebas officio.

Plurimum dilexisti, propterea multa tibi remissa fuere peccamina; * tuus fiducialis amor salvam te fecit. —

— Quaesumus nos quoque te, Domine, * ipsius gloriosa merita, nostra tibi accepta reddant munera.

Quia tu eius oblationis obsequium, * clementer suscepisti impensum.

Jesu medela vulnerum,
Spes una poenitentium,
Per Magdalenae lacrymas
Peccata nostra diluas. —

— O amantissime Jesu, Panis supersubstantialis * adoramus et amamus te in operibus et prodigiis tuis in hoc pietatis Sacramento.

Per istam sanctam Communionem libera nos ab occulto venantium laqueo; * et insidiose quaerentium animas perdere nostras;

Tu scutum nostrum, nostra tu corona, * protege nos adversus saeva Diaboli iacula;

Et in te, gratia amoris tui, nobis benedicente, * semper gloriabimur.

POST COMMUNIO

Suscepto unico et salutari remedio Corpore et Sanguine pretioso tuo, * ab omnibus malis, sanctae Mariae Magdalenae, nos erue patrociniis.

Deus, Salvator noster, inaestimabili tu redundans bonitate, amando nos praevenis; * quaerentibus te exhibes.

Et istam immensam dilectionem * ad inimicos usque extendis.

Nulli te negas, nullum spernis; * sed omnes amica vocas manu, et recipis;

Nec reiicis nisi qui, a te invito et nolente, * contumaciter recedit;

Imo in peccatis miserabiliter iacentes, exuberanti dilectione tua, * ad poenitentiam expectas.

Et etiam rebelles * ad te interdum redire compellis.

Praebens adeo, bone Jesu gratiam misericordiarum scientibus te, et iis, qui recto sunt corde; * ne obliviscaris mei, qui duro et obstinato sum corde.

Tua praeveniente, adsistente, et subsequente Gratia, * opera studiosa et tibi placita, humiliter exerceam semper et amanter.

Haec omnia gratuita sunt munera; * prohibe, ergo, a me superbiae affectum.

Angelos, propter superbiam, e coelo expulisti; * nec potuerunt consistere in loco gloriae tuae.

Justitia tua excelsa sicut montes; * et iudicia tua abyssus multa. —

— O Maria, mater nostra, * amore ad te suspiramus, et etiam dolore.

Dei Parens piissima,
Hevae nepotes flebiles
De mille vitae fluctibus
Salutis ad portum vehas.

Eia viri fratres, ad beatae Mariae Magdalenae suffragia, * denuo et efficaciter recurramus.

Laudamus Dei opus in Maria genitrice sed virgine; * et laudemus in Maria Magdalena peccatrice, sed poenitente.

Illam, et istam laudemus Mariam, * ut in omni opere magnificentiae et pietatis Dei in laude gloriemur; et nomini confiteamur sancto suo.

Suis exorat Jesum precibus, * et Lazarus quatriduanus, e tumulo vivus exivit;

Sic et nobis a morte peccati, resuscitari impetret.

Celsi meriti, Maria, quae Solem resurgentem videre meruisti, inter Discipulos prima; * obtine ut nos visu gloriae in Coelo laetificet suae. —

Aeterni Patris Unice
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriae.

In thesauro reposita
Regis est drachma perdita;
Et gemma lucet inclyta
De luto luci reddita.

Lauda, Mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia
Per septiformem Gratiam.

Maria soror Lazari;
Quae tot commisit crimina
Ab ipsa fauce Tartari
Redit ad vitae limina.

Post fluxae carnis scandala
Fit ex-labete phiala,
In vas translata gloriae,
De vaso contumeliae.

Aegra currit ad Medicum
Vas ferens aromaticum;
Et a morbo multiplici
Verbo curatur Medici.

Maria castis labiis
Lambit Dei vestigia,
Fletu rigat tergit comis,
Detersa nardo perfluit.

Adstare non timet Cruci.
Sepulchro inhaeret anxia
Truces non horret milites
Pellit timorem charitas.

Surgentem cum victoria,
Jesum videt ab inferis
Prima meretur gaudia
Quae plus ardebat caeteris, —

— Jesu dulce refugium,
Spes una poenitentium:
Per peccatricis meritum,
Peccati solve debitum. —

— Uni Deo sit gloria
Pro multiformi Gratia
Qui culpas et supplicia
Remittit et dat praemia, —

CANTICUM LXXXIV.

FESTUM BEATAE MARIAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc, (ut supra, pag.)

Carmeli ad altum mente celsa verticem, * iuvat volentes scandere,

Invitat almas dulce nomen Virginis, * iugis quod illis praesidet;

Illic adumbrat Rex supernus gloriam matris, * decus potentiam.

Et nos praealti celsa sacri culminis pueri volentes eminus, * optata dona divae matris, saepius collata ab ipsa sensimus.

Mater, decus Carmelidum,
Quae celsa scandentes iuga,
Benigna, ductu provehis,
Coelique regnis inseris.

Et nos per altas semitas,
Ad montis educ verticem,
Ubi Angelorum coetibus
Te concinamus iugiter.

Per te sereni luminis
Puris fruamur haustibus
Te et praecinente canticum
Pongamus auctori novum.

Illo licebit cardine
Vera intueri, et ludricas
Curas agentis saeculi
Luce in micanti spernere.

Fundamenta tua, mater decor Carmeli in montibus sanctis; * diligit de Dominus quia porta es Sion.

Sicut dies verni circumdant te, o

Maria, flores Rosarum; * et Lilia convallium:

— Per te, Dei Genitrix, nobis data est vita, * quae de Coelo suscepisti Prolem.

Et Mundo genuisti Salvatorem * mater decor Carmeli, et advocata nostra.

Quomodo ergo ad te non suspirabimus miserorum solamen:* refugium expulsorum et captivorum liberatio?

Memoria prodigiorum tuorum de generatione transit in generationem; * potens es Domina nostra ad nos sublevandum.

Ne faciem a nobis avertas tuam, * nunc cum maxime et undique tribulamur;

Et, ad nos, exorantes, hymnumque canentes, * mater et Filia regis, aures inclina tuas.

Ave Virgo, vitae lignum,
Quae perenni laude dignum
Salvo voto, quod vovisti,
Mundo fructum attulisti.

Ave cui, sine fine
Reges astant et Reginae,
Tu Regina saeculorum
Regnum Princeps et regnorum.

Ave David germen iustum
Ut vitalem Dei gustum
Mereamur experiri
Fac de Monte nos audiri.

Ave plena gratiarum
Domus septem columnarum
Dei manu fabricata
Nec ab eo violata.

Ave Coelum spiritale,
Summum intellectuale,
Tu Mons ille non incisus,
Non confractus, non divisus.

Ave Virgo Deo iuncta,
Te tollente mala cuncta,
Viae meae prosperentur
Res adversae secundentur.

Ave scala Coelum tangens
Ad te Virgo clamo plangens
Ut a malo, Stella maris
De Sion me tuearis.

Ave Mater, Virgo vera;
Doce mente me sincera
Sion semper recordari,
Non de mundo meditari.

Ave palmis vitis verae,
Bona Sion me videre
Cunctis Virgo fac diebus,
Ut abundem laetis rebus.

Erecti in fiduciam, * nostras ad *montem* sanctum tuum expandimus manus.

Et sitientes sicut Terra sitit aquam* animae tibi inhiant nostrae.

Per te mons coagulatus, *mons* Dei pinguis et medullatus, * nive dealbabimur in Salmon.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, * super cacumina caeterorum *montium*

Velociter, ergo, exaudi nos, o Maria, e monte sancto tuo; * et ex vertice Gratiarum *montium*;

Nos positos in tenebrosa exaudi valle; * ubi pene noster, prae pavore, deficit spiritus

Notas nobis redde vias, in quibus securi ambulemus, * ad te confugimus, eripe nos de inimicis nostris.

Flecte iustitiam benedicti Filii tui ad nobis parcendum; * spiritus eius bonus deducat nos, et, in aequitate sua, vivificet nos.

Non intret nobiscum in iudicio, dum perpetuam intercessionem, et misericordiam imploramus; * nec aliter omnis vivens in conspectu iustificabitur suo.

Humilitatem et contritionem nostram in medio colloca cordis Filii tui; * ut in omni nos subveniat tribulationi et angustia:

Cor arcae legem continens,
Non servitutis veteris,
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae.

Cor sanctuarium novi,
Intemeratum foederis,
Templum vetusto sanctius;
Velumque scisso utilius.

Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruento, et mystico,
Utrumque Sacrificium
Christus sacerdos obtulit.

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat?
Nec corde in isto seligat
Æterna tabernacula? —

POST COMMUNIO.

Oblata quaesumus Domine, sanctifica libamina; * et, beatae Mariae Genitricis saluberrima intercessione nobis salutaria concede. —

— Dominum Jesum, vivi fratres, et Dominam oremus Mariam, * ut nostras propitius intueatur tribulationes.

Pericula populorum; captivorum gemitus, * et orphanorum miserias, respiciant clementer;

Succurrant et ipsi navigantibus; peregrinantibus, languentibus; * senescentibus, et morientibus.

Misericorditer necessitatibus provideant omnium, * inopiis, defectibus, votis, lamentationibus, et desperationibus. —

—Christe, Carmeli decus atque norma; * gaudium mentis, pietatis auctor,

Christe, porta, qua in Coelum gradimur superne, * nostra accipe vota.

In cordibus insere nostris amorem tui nominis; et religionis in nobis augmentum praesta; * ut, quae bona sunt, nutrices; et nutrita custodias.

Mirifica misericordias tuas in nobis, * qui salvos facit omnes sperantes in te;

Nullius nostrum irritum sit votum; * nulliusque vacua sit postulatio.

Et cum Genitricis tuae singulari tituloCarmeli, inclytum mo nachorum decorasti ordinem; * nobis, eius solemniter commemorationem celebrantes, clementer tribue muniamur praesidiis.

Ave Stella matutina,
Peccatorum medicina,
Mundi Princeps et Regina,
Virgo sola digna dici.
Contra tela inimici
Clypeum pone salutis
Tuae titulum virtutis.
Tu es enim Virgo Jesse,
In qua Deus fecit esse
Aaron amygdalum,
Mundi tollens scandalum.
Tu es arca compluta,
Coelesti rore imbuta,
Sicco tamen vellere.
Tu nos, in hoc carcere,
Solare propitia,
Dei plena gratia.
O sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta
Ad aeterna gaudia;
Ubi pax est, et gloria.
Tu nos semper aure pia,
Dulcis exaudi Maria.

O Maria, * voca nos ad benedicendum in omni tempore pietatem tuam.

Nos, qui vesticulam gerimus, collo suspensam tuam, * signum salutis, salutem in periculis.

Pia Mater et humilis,
Naturae memor fragilis;
In huius vitae fluctibus,
Nos rege tuis precibus.

Voce nostra ad te, Domina clamamus, * ut nos de monte exaudias Carmelo sancto tuo.

Flos Carmeli,
Vitis florigera
Splendor Coeli
Virgo, puerpera
Singularis;
Mater mitis
Et viri nescia,
Carmelitis
Da privilegia
Stella maris.

Pura, pudica, pia, * miseris succurre o Maria.

— Splendor paternae gloriae,
Incomprehensa Charitas,
Nobis amoris copiam
Largire per praesentiam. —

CANTICUM LXXXV.

F. S. CAMILLI DE LELLIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

Domine Jesu, totius dilectionis auctor, si contingat, eum quem diligis errare, castigas; * et omnes, quos recipis in filios, dulciter exerces.

Et istis aeternam praeparans gloriam, * quam nec oculus vidit; nec auris audivit; nec unquam in cor ascendit hominis!

Te diligentes, utpote amicos, protegis, defendis, * et a malo praeservas.

Dominus animas sanctorum custodit;* et, in infirmitate, a manu liberat peccatorum.

Ad poenitentiam suscipit; eisdemque remittit offensas, * et, inaestimabili largitate, gratiam misericordiae donat et tribuit.

—Ista dilectio, est nuptialis vestis; * quam, ad coelestes invitatus nuptiis, deferre debet et valet.

Per tuam designatur, domine Jesu, inconsutilem tunicam; * quae nec scissa, nec divisa fuit.

Quia tuis contexta beneficiis, * subtili decorata est magisterio.

Nos a frigore defendit cupiditatis, * et, ab aestu concupiscentiae;

Ad tuum nos inflammat amorem; * et multitudinem operit peccatorum.

Ex te procedit, * et a tua dilectione

Et, quia fortis ut mors dilectio est,* qui istam induuntur vestem, muniuntur, ditantur, et in aeternum virescunt. —

— Praetereaque, quia tota lex ex dilectione pendet, * ideo plenitudo legis dilectio est Dei et proximi.

Duo enim sunt praecepta nobis tradita, dilectio nempe Dei et proximi, *et, licet duo sint praecepta, unus tamen est amor.

Non est dissimilis amor, quo quis proximum diligit, et quo Deum; * alioquin non esset propter Deum.

Nec quispiam Deum diligere potest; * qui in proximi dilectione aberrare noscitur.

Quid et etiam est quod scribitur « qui diligit proximum, legem implet »? nisi quod, qui proximum sicut seipsum diligit, Deum diligit.

Ita per proximi amorem, amor cognoscitur Dei; * nutricatur, conservatur.

Et pariter qui Deum amare negligit,* proximum diligere nescit.

Ergo eadem est virtus eademque dilectio utpote idem est radius, quo quis ipsum intuitur solem et terram, * Deus in summo, et proximum in imo dilectionis diligens radio.—

Exemplar vivissimum perfectae dilectionis huius fuit beatus Camillus de Lellis, * inclytae congregationis clericorum regularium, infirmis ministrantium, primus fundator.

Ardens Camilli in miseros
Latere nescit Charitas;
Sacris adurit ignibus,
Totisque membris aestuat.

Aegrorum turba languida,
Quam dirus angor opprimit,
Unam languentis, Lellio,
Christi refert imaginem.

Noctis, lucisque tempora
Dat fortis illi muneri;
Prosternit illis lectulos,
His sordes purgat sedulus.

Quo quisque plagis foedior,
Huic ipse servit promptior;
Tabem nec horret ulcerum,
Horrere nescit charitas.

Agone in summo positis
Praesens auxilium porrigit
Quo justi firmet pectora;
Reique fleat crimina.

Pater benigne, impetra
Tua nos sequi vestigia;
Nos charitatis victimae
Fac mereamur effici.

Extremo vitae in limine,
Omni solutos foenore;
Et sancto amore sanctos
Perducas ad coelestia.

Succurre mihi, Domine Jesu, aeterni nuptialis convivii dispensator largissime; * ego, miserabilis peccator nudus sum amoris tui, et proximi mei.

Et, tua benignitate, * gloriosam da mihi hanc dilectionis vestem;

Ut, invitatus, et vocatus ad agni nuptias; * illuc intrem; ibique cum amicis tuis, magni fruar convivio amoris.

Ave agnus absque macula; mensa purissima, * Verbum caro factum.

Ave cibus viatorum; * ave frumentum electorum.

Domine non sum dignus, ut intres in conspectum meum, * sed tantum dic verbum, et infirma sanabitur anima mea.

POST COMMUNIO

Ecce quod brevi mensura, mensurabiles dies posuisti meos; * substantia mea est tanquam nihilum ante te.

Etiamsi diu viverem, summa vanitas est omnis homo, * sive divitiis abundet, sive floreat honoribus; sive ad nutum omnia teneat.

Sollicite thesaurizat; et, cui congregat ignorat; * inanibus conturbatur curis, dum velut umbra, pertransit.

Advena ego sum apud te Domine, super terram, * et peregrinus sum sicut omnes patres mei, qui olim decesserunt.

Pone mihi legem sapientiae tuae, et luminis tui; * amorem in corde infunde meo, animam dirigens meam, et intellectum in semitas charitatis.

Diligam te ex tota mente, anima, et viribus meis; * et proximum; diligam, sicut meipsum.

Intelligam, et etiam super infirmum et pauperem; * mecum, inops et egenus, sanctum laudent nomen tuum. —

— Induamus, viri fratres, et nos, sicut electi Dei, viscera misericordiae; * benignitatem et humilitatem.

Modestiam et patientiam, * supportantes nos ad invicem;

Et quaecumque volumus faciant nobis homines; * faciamus et illis.

Benignos cum egenis, tribulatis, et infirmis, * dulces et suaves; —

— En beatus de Lellis, qui, ad animarum subsidium in extremo luctantium agone, * singulari dotatus fuit charitatis privilegio.

Infirmum sese cum infirmis reddidit; ut infirmos lucrifaceret.

Satagamus, orantes, * ut eius meritis Deo nobis eamdem infundet dilectionem;

Et ut, inter suavissima Jesu, Josephi, et Mariae nomina, exhalantes animam, * requiem obtineamus aeternam.

Inclytam laeti populi frequentes,
Quae sacros condit cineres Camilli,
Ambiant aram, cumulentque votis
Et prece multa.

Hunc Deus, summa miseratus arce
Sustulit lassum studiis iniquis;
Et dedit partes scelus expiandi
Fletibus aequis.

Tum novo divum recreatus igne,
Non timet neglecta redire virtus
Semita iam tentat iter negata
Fortiter audens.

Rebus angustis animosus Heros
Semper apparet; bene praeparatum
Pectus horrendo haud qualitat labores
Durare egestas.

Custos almi propositi severus
Sortibus vitae variis, maligni
Egerit iustis domitos triumphis
Aestus amoris. —

Ergo, qui saevis scelerum catenis
Turpiter moesti premimur, Camille,
Impetres nobis veniam, rogamus,
Et decus omne.

Usque dum vita fruimur, dolosos
Ne sinas hostes inhiare multos;
Laetus intersis; dubiosque mortis
Dirige casus. —

— Ecquid in vitae et mortis agone, non matrem, praesertim, invocabimus pulchrae dilectionis, * amoris, timoris, et sanctae spei?

Nonne, sine comparatione, nos ipsa plus diligit, * et bona nobis procurat, quam carnalis mater?

Salve ornamentum, et eximium humanae naturae decus; * salve expletio dispensationis Conditoris;

Quam optime nobis est in egestatibus, in periculis, in mortis discrimine; sub praesidio dilectionis tantae matris, quis de sinu audebit detrahere eius? —

— Simplex, o Deitas; Trinaque, supplices
Exaudi gemitus, votaque resp se;
Da Matris precibus, limina coelitum
Eius scandere Filios. — Amen.

CANTICUM LXXXVI.

DOMINICA VII. P. PENTECOSTEM. — FESTUM SS. REDEMPTORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Redemptorem misit Dominus populo suo; * suum in aeternum mandavit testamentum.

Redemptorem, viri fratres, saeculorum; * ipsum Angelorum Regem adoramus cernui.

Tibi, qui sacro iactatus turbine, mundum lavasti Sanguine, * decus sit perenne, atque virtus.

Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrorum, * qui, cum iratus fueris, misericordiam recordaris; —

Et, in tempore tribulationis, * peccata dimittis his, qui te invocant.

Tu es ipse Rex noster, qui salutem mandas in Jacob; * tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.

Deus, qui sedes super thronum, aequitatem iudicas, et iusta decernis; * nostrum esto refugium.

Tu solus laborem remuneras; et dolorem consideras nostrum.

Creator alme siderum
Aeterna lux credentium
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum,

Commune, qui mundi nefas
Ut expiares ad crucem,
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Cuius potestas gloriae
Nomenque cum primum sonat,
Et Coelites et inferi
Tremantes curvantur genu.

Qui Daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Te, sancte Christe poscimus,
Ignosce culpis omnibus,
Nos a quiete noxia,
Mersos sopore, libera.

Te deprecamur ultimae
Magnum diei Judicem,
Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.

— Effunde super nos, Domine Jesu, gratiae Spiritum et precum; * ut aspiciamus ad te pro nobis crucifixum.

Dederunt in escam tuam fel, * in siti tua potaverunt te aceto;

Improperium cor expectavit tuum et miseriam, * consolantem te quaesivisti, et non invenisti.

Vere sotus languores tulisti nostros; * et ipse tu nostros portasti dolores.

Ave Rex noster, qui nostros miseratus es errores, * Patri obediens factus ut mansuetus agnus ad occisionem. —

— Peccavimus super numerum arenae maris; * et peccata multiplicavimus super peccata;

Averte furorem tuum a nobis, culpas enim confitemur, * denuntiamus aerumnas, indulgentiamque obsecramus;

Tuis ergo subveni Filiis; * quos tuo recuperasti pretioso Sanguine. —

— Convertimini, fratres, ad Redemptorem nostrum, toto ex corde; * ipse liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum. —

— Domine Deus, qui, Unigenitum tuum, Redemptorem constituisti; * et, per eum, devicta morte, nos misericorditer ad vitam recuperasti;

Nobis haec beneficia recolentibus, * tibi perpetua adhaerere concede charitate, ut eiusdem Redemptoris fructum percipere mereamur. —

— O bone Jesu, coeleste antidodum, quo a peccatis preservamus; Viaticum viatorum; vinculum charitatis, * cito ad nos esurientes adveni. —

POST COMMUNIO

Pie Pellicane, Jesu Domine
Immundum me munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

— Domine Jesu, per Sanguinem pretiosum tuum, quem in remissionem fudisti peccatorum; * dona nobis mereamur adstare, in die Iudicii, ad dexteram tuam.

Ideo oblatum tibi, Domine, hoc Sacrificium, * Filii tui intercedente passione, nos semper verificet et muniat.

— Da, Domine, per istam sanctam Communionem, virtutem in interiori corroborari homine, * ut ab omni inutili sollicitudine et angore, cor evacuem meum.

Ab inordinato, etiam, amore, et futili laetitia, * animam libera meam.

Libera ab omni vano mentis timore, inquietudine, * et sensuum distractione.

Non appetam hominibus placere, nec displicere timeam; * ut secura tua perfruar pace.

Omnia sicut transitoria aspiciam, * et me pariter cum illis transiturum.

Coelestem mihi largire Sapientiam, * ut discam te quaerere super omnia, et invenire.

Da prudenter blandientem declinare; * pariterque adversantem sustinere.

Super omnia, mandata discam tua, et diligam, * et caetera prout sunt secundum Sapientiae tuae ordinem intelligam et perficiam. —

— Indeficientem erga Matrem meam Mariam amorem in corde infunde meum * quae, pia et clemens, quotidie mihi subveniat.

Salve totius naturae eminentia; et gaudii receptaculum; * pugnantium fortitudo, et corona morientium.

Tuis me fac confici poenis, per poenitentiam; tuis in vita beneficiis uti per Gratiam; * et tandem, tuis in Patria gaudiis per Gloriam frui. —

— Passo pro miseris, tam fera vulnera,
In terra resonet debita gloria:
Sacrumque assidue nomen in aethera
Humanum genus efferat.

CANTICUM LXXXVII.

FESTUM S. JACOBI MAJORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Omnium corde, o sancte Jacobe, et ore laudande, * patrone singularis et amabilis;

Pro nostra intercede salute, * omniumque populorum.

Tibi data fuit Gratia, * in Populis evangelizare inestigabiles Christi divitias.

Illuminare, et praedicare, * quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo;

Hoc est omnes nos cohaeredes esse, concorporales, et comparticipes promissionis Dei nostri, * in Christo Jesu per Evangelium.

Ut innotesceret Principatibus et Potestatibus in Coelestibus, per Ecclesiam, multiformis Sapientia Dei; * secundum saeculorum praefinitionem.

Quae fuit in Christo Jesu, Domino

nostro; in quo nos peccatores fiduciam habemus, * et accessum in confidentia, per Fidem in eum.

O lux et Hispaniae decus, sanctissime Jacobe, * qui, inter Apostolos, primus martyrio laureatus fuisti;

O singulare praesidium, * qui Redemptorem meruisti videre nostrum, adhuc mortalem, in Deitate transformatum!

Esto, Domine Deus, plebis tuae sanctificator et custos; * ut Apostoli tui Jacobi munita praesidiis conversatione tibi placeat, et secura deserviat libertate. —

— Sunt, qui in robore confidunt exercituum, * et in potentia divitiarum;

Nos autem, Domine, invocatione tantum sancti nominis tui; * et Sanctorum confidimus tuorum.

Illi in curribus et in equis, illaqueantur in vinculis; et nos erecti sumus in victoria.

Mitte, Domine, jam nunc de loco sancto tuo auxilium tuum; * et exaudi nos, in die tribulationis.

Omnes adimple petitiones nostras; * propterChristum tuumRegem nostrum.

Nobis, secundum cor eius largiter bona tribue; * omne pietatis suae consilium, super nos confirma.

Ita memor eris Sacrificii eius in cruce oblati; * et holocaustum suum, quod in praesens offerimus tibi, pinque erit.

Oblationes nostras beati Apostoli passio, * nobis quaesumus beata conciliet;

Et quae non nostris aptae sunt meritis, * deprecatione eius, placitae sibi fiant.

POST COMMUNIO

Familiam tuam, Domine, muneribus satiasti sacris, * eius, quaesumus, semper interventione nos refove, cuius celebramus solemnia.

Creatrix Sapientia, quae montes, et colles in pondere librasti; * et tribus digitis molem in statera appendisti Terrae;

Molem quam gero, humanitatis huius, * tribus quaeso tuis invisis digitis ad te suspende;

Ut videam et cognoscam, quam admirabilis es in cunctis et amabilis.

Antiquissima lux, quae ante omnem lucebas lucem in montibus sanctis aeternitatis antiquae; * et cui nuda et aperta, autequam fierent, erant omnia;

Lux, quae, utpote mundissima et immaculatissima, omnem odio habes maculam, * quae tibi deliciae cum filiis hominum? quae conventio ad nostras tenebras?

Estne praeparatum in me tibi dignum maiestatis tuae sanctuarium? * ad quod introiens dulcedinem dilectionis habeas tuae?

Mundum enim coenaculum decet te munda virtus, * quae nonnisi a mundis videri potes cordibus, multo magis nec haberi.

Omnes autem nos de massa eximus corrupta et immunda; * et maculam, quam tu, qui omnia vides celare non possumus, in frontibus portamus.

Nemo mundum facere potest de immundo conceptum semine, * nisi tu mundaveris, qui solus mundus es.

Obstupesco et expavesco; vocasti me de mundo, iustificasti in mundo, * magnificabis me creaturam tuam post mundum?

Sanctus et iustus es in omnibus operibus tuis, * et semper prope te invocantibus.

Suscipiat me dextera tua e limo corruptionis, * propterea confitebor tibi; et laudes in aeternum cantabo tuas.

Perfecta opera tua sunt, Domine; * propterea exultabo in te.

Laetamini iusti in Domino, * et in confessione laudis, confitemini sanctitati, iustitiae, pietati, et misericordiae eius. —

— Procidamus, viri fratres, ad Mariam, * eam invocantes;

Ipsa spes, thesaurus et salus omnium sperantium in Domino; * hymin-

num decet pietatem suam canticumque novum.

O Stella Jacob fulgida
O, Solis instar splendida
Aurora, qua nil purius
Refulget inter sidera.

Stolis amictae candidis
Tibi catervae Coelitum
Plaudent, sacraeque virgines
Laudes perennes concinunt.

Quin, obsequentes, afferunt
Ligustra et alba lilia,
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.

Nostra Angelorum laudibus
Abiecta tellus adsonans,
Ad astra voces efferat,
Et Virginis praeconia. —

— Sit laus Patri cum Filio,
Simulque sancto flamini,
Laus sit polorum civibus
In tympanis, et cymbalis.

CANTICUM LXXXVIII.

DOMINICA VIII. P. PENTECOSTEM. – FESTUM S. ANNAE MATRIS B. MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1).

Cum fausta nos vocat dies
Annae dicata nomini
Sanctae Parentem virginis
Grata canamus pectore.

Quae de beato germine
Fructum salutis protulit,
Et prima signum errantibus
Certe salutis sustulit.

Ex hoc suborta est semine
Radix Jesse, floruit
Unde expectatum gentibus
Tum Lilium convallium.

O grata mater Numinis
Beata sorte Filiae
Preces gementis excipe,
Nec me rogantem desere. —

— Verbo tuo, Domine, coeli creati sunt, et firmati; * Spiritu oris tui, permanet omnis virtus, et ornatus eorum.

Tuus enim est dies, et tua est nox; * tu auroram fabricatus es et solem.

Tu singillatim hominum finxisti corda; * et omnia eorum intelligis opera.

Ita dixisti, Domine, et facta sunt; * ita mandasti et creata sunt. —

— Gratia super gratiam mulier sancta est et pudorata; * omnis ponderatio non est digna continentis animae.

Congaudeamus tecum, o electa Anna; * quae promissionis germen ex sterili peperisti ventre.

Ac benedictionis fructum, ut optaveras, * uberibus nutricasti tuis.

Sterilitatis exuisti moestitiam; * et laetam foecunditatis induisti vestem.

Exultet Sara senili gestiens gaudio; * tuum, ab sterilitate, conceptum praefigurans.

Concinant simul steriles omnes et infoecundae visitationem tuam; * admirabili, coelitus, modo factam.

Benedictus qui foecunditatem sterili dedit, * ac felicissimum illud virginis concessit germen;

Quae mater Dei, secundum carnem fuit; * cuius venter coelum est; in qua habitavit hic, qui nullo capi loco potest.

O iucundata domus David, ex qua sancta prodiit mater Anna;

O quam beatus venter eius, in quo Deus sanctificationis fabricavit arcam, * a qua, ipse, sine semine conceptus fuit.

Vere beata es, * quae beatitudine a Deo donata, infantem Mariam, nomine quoque ipso magnopere colendam peperisti.

Ex qua Christus, vitae flos extitit, * et cuius virginis gloriosus fuit ortus, partus sublimior mundo fuit. —

— Beatus, cuius Dominus est spes eius; * et beatus, quem ipse Deus in haereditatem elegit sibi.

Qui propter eum seminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Oculi tui, Domine, defixi sunt su-

per metuentes te; * et in eis qui in te sperant.

Tu alis eos in fame institiae; et animas eorum a moestitia eruis.

—Deus, qui ex salutari partu Annae, Genitricis tuae Matris, humanam dignatus es assumere naturam; * fac nos, gloriosis meritis eius ad aeternam pertingere beatitudinem.

Fiat ex hoc misericordia tua super nos, Domine, * quemadmodum speramus in te.

Tanquam in holocaustis Arietum et Taurorum et sicut in millibus pinguium agnorum, * sic placeat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie;

Non est confusio confidentibus in te, * et nos confidimus acceptabile fiat.

Ave panis vivus et saturans, * Jesu Christo ave caro, cibus, sanguis et potus.

POST COMMUNIO

Coelestibus vegetati Sacramentis, quaesumus Domine; * ut quod pia gerimus devotione, beata intercedente Anna, certa capiamus redemptione. —

— Benedic anima mea Domino, * et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Tu es Deus omnipotens custos et protector omnium in te sperantium; * sine quo nemo est tutus; nemo de afflictione liberatur. —

— Laudemus, viri fratres, Deum, quem laudant Angeli, * quem Dominationes adorent; et potestates tremunt.

Cui Cherubim et Seraphim, incessabili proclamant voce, * « Sanctus, sanctus, sanctus ».

Patrem immensae maiestatis; * te omnis terra veneratur;

Venerandum etiam et amandum tuum unicum filium; * qui est Rex gloriae Christus;

Sanctum quoque Paraclytum Spiritum, * a Patre et a Filio procedentem.

Sic, et similiter, voces semper iungamus Angelorum vocibus, Sanctorum atque sanctarum agminibus; * et communem Dominum pro modulo laudemus nostro.

— Gratulemur et iterum cum beatissima foemina Anna; * quae omnium nostrum spem, divinitus concessam, hoc est matrem promissi peperit Redemptoris.

Piorum lingua germen magnificet suum, * et omnis laetus sermo, partum praedicet suum.

Dignum sane quidem est laudare eam, * quae divina accepit benignitate oraculum;

Ac talem tantumque edidit nobis fructum, * ex quo dulcis prodiit Jesus.

Salvete; flores virtutum, irrigationibus purificati Spiritus sancti, * lucidiores omni puritate.

Vestris suffragiis, * tempestatem compescite peccatorum nostrorum;

Et ab aestu passionum, * ad altissimum tranquillitatis adducite portum.

— Gratias tibi Deus, una et sancta Trinitas, * propter Annam Mariae Matrem.

Tu es Deus omnipotens, * custos et rector omnium in te sperantium;

Sine quo nemo est tutus; nemo de afflictione liberatus, * et in gaudium translatus.

Tu solus magnalia faciens, et inscrutabilia, * quorum non est numerus;

Tibi soli a nobis, utpote Regi, a militibus; Domino, a servis; et Creatori, a creaturis; * omnis decet honor et hymnus.

Custodi nos Domine sine peccato; * nos salva, quia populus tuus sumus, et oves pascuae tuae. —

— Summus aeterno sit honor Parenti
Par decus Nato miseros levanti;
Sancte, sit compar tibi laus per omne
Spiritus aevum. — Amen.

CANTICUM LXXXIX.

FESTUM S. IGNAZII LOYOLAE; FUNDATOR SOCIETATIS SANCTI NOMINIS JESU.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag.)

Laudem nominis Domini os loquetur meum; * et omnis caro benedicat nomen sanctum eius.

Fidelis Deus per quem vocatus sum ad societatem filii eius, * Jesu Christi Domini nostri.

Exaltabo te Deus, Rex meus, * glorificabor in te; et nomini sancto tuo Jesu, benedicam in saeculum saeculi.

Beatus vir, cujus est nomen Jesu spes eius; * despiciens vanitates et insanias falsas;

Hoc ad salutem nomen auditum venit, * hoc omne tulit pharmacum.

Salve, Domine Jesu, * omnes coelites, medii, et inferi, nomen genuflexi audiunt tuum. —

— Expectans expecto te Jesu aeterni Patris et Mariae filium, * donec oculum mihi infundas tuum.

Memento, quod iustitiam tuam non abscondi in corde; * nec sanctum nomen tuum in ore unquam meo;

Neque misericordiam et salutem, * quam parasti omnibus timentibus te;

Admodum scio, quod iniquitates meae multiplicatae sunt super capillos capitis mei; * et cum tu ignoscas non mihi, sed nomini sancto tuo gloriam dabo.

Egenus ecce ante te adsum et mendicus, prorsusque derelictus; * propterea ad adiuvandum me respice.

Tu sollicitus es mei, adiutor meus et protector meus, * ne tardes opem afferre mihi;

Videbunt multi, et credentes, timebunt, * imo magnalia nominis aspicientes tui, in Ecclesia magna supersperabunt in te. —

—Confitebor alacri, ideo, animo Deo Deorum Dominum; in tympanis et in organis superexaltabo Dominum; * hilarem datorem diligit Dominus;

Iucundum sumam hodie Psalterium, * et quamdiu vixero, Citharam et Tubam buccinantem in Neomaenia.

Filius inclytae sum ego societatis nominis Jesu, * et particeps omnium amantium, laudantium et timentium Deum.

O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus habitationis eius. * magnus est et non habet finem;

Luce fulget splendida; * omnes fines terrae suppliciter adorant eum et in hymnis laudant.

In filiis Israel, undique dispersis, tribulatio patientiam operatur; * patientia autem probationem.

Probatio vero spem; * et spes non confundit, quia Regnum obtinet nunquam finiendae beatitudinis.

Ita omnes, qui in Christo Jesu pie vivunt, * persecutionem patientur; Regnum Coelorum vim patitur; * et violenti rapiunt illud:

Attamen fructum habemus nostrum per probationem, in sanctificationem; * finem, vero, vitam aeternam.

Mundus totus, viri fratres, * in maligno positus est.

Quare tantum fremuerunt gentes? * et populi, in diebus nostri, quare tantum meditati sunt inania?

Conturbata et omnia inclinata sunt regna; * Populi meditati sunt coelestia etiam contra nomen Jesu.

Hunc mundum floribus inhaentem, loculuteium et rabulam, * fructibus vacuum, et omnimodo vesanum, sancto Jesu nominis contemnit assecla.

Quae communicatio iustitiae cum iniquitate? aut quae Lucis societas ad tenebras?

Nolite, ergo, fratres, diligere mundum; * neque ea quae in Mundo sunt;

Jesus Christus non rogavit pro mundo; * sed pro his quos Pater ei dedit;

Quos mundus despectui habet, quia non ei pertinent; * sicut et ipse de mundo esse non potest.

Domine Jesu, ubi tu es, nos tecum recollige omnes * ut tandem claritatem videamus tuam, et nomen exaltemus tuum.

Jesum clamus vocibus
Flentes, precantes sobrii
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere. —

— Adesto, Domine, supplicationibus nostris, * quas, in beati Ignatii, confessoris tui, solemnitate deferimus, et exaudi.

Tu per ipsum ad maiorem sancti tui nominis gloriam propagandam, * militantem novo Ecclesiam roborasti subsidio;

Atque ita, eius suffragio, et imitatione, certantes in terris; * coronam cum ipso mereamur in Coelis. —

— Quis ad domandas haereses,
Atque ad fuganda crimina,
Jesu sacro sub nomine
Patrum coegit agmina?

Quis tot inventae ad litteras,
Moresque, quis sanctis viris
Ad excolendos barbaros
Unas palestras condidit?

Quis sancto amore virginis
Succendit orbem perditum?
Quis iura firmat, et fidem,
Sacrisque cultum reddidit?

Palmas tot unus irrigat
Prolis beatus germine
Scriptis, labore, et sanguine
Leodites Ignatius. —

— Confiteamur, viri fratres, nomini simul Jesu magno; * quoniam terribile, et sanctum est.

Adoremus ipsum in altari suo sancto, * quoniam omni laude et reverentia dignum.

Ut haec sacrosancta mysteria, in quibus omnis sanctitatis constituit fontem, * nos quoque in veritate sanctificent.

Manna Patrum, Calix benedictionis inebrians, * incruentum sacrificium. !

Praecipuum divinae dilectionis memoriale; * et donum omnem trascendens plenitudinem! —

POST COMMUNIO

Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum; * et panem Angelorum cum his concedere.

Hinc in unitate Fidei coniuncti et charitatis; * bonus Jesu Christi odor efficiamur omnes.

Benedicite eum omnes Sacerdotes eius; * qui statis in domo Domini.

Simulque benedicamus nos, * stantes in atriis ipsius Domini Dei nostri. —

Benedicamus et Mariam, * ipsa in dubiis lumen; in moeroribus solatium; in periculis refugium.

Dirigatur ad eam oratio nostra, * sicut Thus, quod mane et vespere adoletur in conspectu Dei nostri.

Et elevatio manuum nostrarum sit ei accepta, * sicut nostro est Domino sacrificium vespertinum.

Lilium suave spirans est virgo Maria; * Societatem nominis Jesu odore ditans, et spiriturlia perfundens aromata.

Tu es Virgo, tu es Stella,
Tu es Gratiae fluvius,
Deitatis munda cella,
Genitrix, cuius Filius
Flos dicitur, et radius
Charitatis fundens mella,
Coelo cunctis superius,
Mundum servans a procella.

Esther es tu, perfidiam
Aman reprimens graviter,
Famulorum miseriam
Exterminans benigniter;
Regi summo feliciter
Desponsata per Gratiam,
Coronata perenniter
Regiam tenens potentiam.

Ave virgo, Dei digna, exaudi nos; * et servos serva tuos, amaro in dicrimine positos.

Ave virgo de vertice collium aeternorum, servos libera tuos de laqueo, * quem inimici nominis Filii tui absconderunt eis.

Ave virgo, Luna et Sole clarior, * luce faciei tuae, et vultus tui splendore servos illumina tuos.

Regina formosissima, tua haec aspice Lilia inter spinas, * sanguines rubentia notis!

Facta sunt in ludibrium Populorum omnium;et despectui plebis;

Quid commiserunt, ut tantum contra eos livor ferveret Aspidum? * tantum inardesceret?

Insuper, et ut amaris illuderent conviciis? * mala retribuentibus pro bonis;

Mater, praesentis magnae nostrae angustiae, sis dulcor et Resina; Creator omnium unxit te oleo consolationis et laetitiae.

Tuos servulos, tuos recollige et fove sub alis, * omnipotens in virtute Dei, clemens et pia, cito tantis succurre ruinis. —

—Laudis Hostia, quam, gratias tibi, Domine, agentes, pro sancto obtulimus Ignatio, * ad perpetuam nos maiestatis tuae laudationem, Ipso intercedente, perducat. —

O maxime in Coelites
Loyolae gentis conditor,
Te nos precamur supplices,
Precantibus tu flectitor.

Quis te potentem pellere,
Quonsque Numen detinet
Terrae sub imo carcere
Quis non libenter invocet?

Ubique gentium fervide
Agmen tuorum pervolat
Tibi, flagranti in pectore,
Cor malus orbe palpitat. —

—Iterum, viri fratres, eia Canticum Domino cantabimus novum, * laus eius resonet in Ecclesia sanctorum.

Mirabilis est Deus Israel in sanctis suis, * et ipse virtutem augebit et fortitudinem Societati nominis sui.

Casta et decora est haec generatio; splendens cum claritate, * immortalis viget et floret apud Deum; gloriosa et benemerita apud homines probos.

Gloria Patris Filius est sapiens; * quantas existimabimus esse Ignatii glorias, qui tantorum filiorum sapientia et pietate laetatur?

Fecit eum Dominus in gentem magnam; * amplius et etiam nomen magnificabit illius.

Ab Aquilone ad meridiem, * a solis ortu, usque ad occasum, voces iubilationis in tentoriis resonant Societatis Jesu.

Per istam societatem Templorum nitor, et catechismi traditio; * concionum et Sacramentorum frequentia incrementum accipiunt;

Per istam, ubique locorum, Gymnasia ad iuventutem in doctrinis gratis imbuendam, * et orphanorum Coenobia et catecumenorum multiplicantur.

Innumeras, per istam, aspicimus instorum sodalitia canere coram Deo, * in diebus psallentium festivis;

In omnibus, per istam, gentibus et Populis et Linguis, * Jesu nomen, dulci plectro suavius, auditum redit;

Pauperum turbae et moerentium, * per istam reficiuntur et sublevantur;

Quibus dulcissimum Jesus nomen mel descendit in medulla; * serena est pupillis lux; mulcens in auribus sonus; et in corde vitae calor.

Quotquot aegros et languentes nosocomia hospitant, per istam a sordibus purgantur; * plagis, et tabe, ulceribusque medentur.

Per istam, quot proeslos in foedissimis carceribus, saeva vincit catena et premit, * insolito nisu, ad veniam, ad gratiam, et ad conscientiae revocantur pacem.

Ideoque Nectar in ore omnibus, Jesu est nomen; * in lingua favus; in aure melos;

Viva, in corpore ambrosia; in animo, iubilum; * io dicite, nobilis triumphus! —

— Custodi, Domine Jesu, rectorum salus, ambulantes simpliciter; * et iustitiae servantes semitas.

Quia isti in labore, poena, pondere, et aerumnarum affluentia, * strenue,

die ac nocte, in sancta perseverant nominis tui dilectione.

O bone Jesu, Rex potentissime, tu, per istam gloriosi nominis tui Societatem, Ecclesiae sanctae auxisti decorem; et Terrae orbem doctrina et sanctitate replesti;

Exurge nunc, quare obdormis? magna vexatur tempestate;

Exurge, et cito avertantur retrorsum qui ad exaninitionem redigunt eam; faciem eorum ignominia imple.

Uni, Ter almo Numini,
Sanctoque Jesu nomini
Sit laus, decus, dilectio
In saeculorum saecula.

AUGUSTUS

CANTICUM XC.

FESTUM S. PETRI AD VINCULA

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra).

Benedictus est Angelus qui descendit ad nos in nomine Excelsi; ex Deo nostro est, et nomen exaltabimus nomen eius in saeculum.

Quia in afflictione memor est nostri; * et nos redemit ab omnibus inimicis nostris. —

— Dextera tua, Domine facit virtutem; dextera tua exaltat nos; * vox exultationis in cubilibus resonet nostris;

Proinde non timebimus quid faciant nobis homines, et narrabimus in gentibus magnalia tua Domine. —

— Quae vox, quae poterit lingua retexere, * quae tu martyribus munera praeparas?

Rubri nam fluido sanguine, * fulgidis cingunt tempora Laureis.

Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris ubi erat Petrus, * apprehensus ab Herode;

Et traditus ad custodiendum * quatuor quaternionibus militum.

Percussoque latere eius, excitavit eum, dicens, * « surge velociter, et continuo ceciderunt catenae de manibus eius. »

Miris modis extemplo ferrea,
Christo iubente, vincla Petrus exuit,
Ovilis ille Pastor, et Rector gregis
Vitae recludit pascua; et fontes sacros
Ovesque servat creditas; arcet Lupos.

Ideoque surge, beate Petre; * disrupit Dominus vincula tua, illi sacrifica hostiam laudis;

Surge, praecingere, et calcea te caligis tuis; * et vestimentum tibi circumda tuum.

Fortitudinem accipe ad salvandum gentes, * quia iam catenae, mirabiliter, de manibus ceciderunt tuis.

Dignus certe, qui, aedificandis in domo Dei populis, lapis esses ad fundamentum; * columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.


Umbra saltem, tuae transeuntis personae obumbrat infirmos, * et sanabat.

Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, * quanto magis nunc potest plenitudo virtutis;

Si inanis quaedam species vacua habere potuit in se vim salutis; * quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis; * ferreo pondere sacra impressa membris vincula passionis.

Felices illi nexus, qui de manicis et

12 Agosto.



Roma via S. Chiara 42 A. presso l'inc. Luigi Banzo

S. CHIARA D'ASSISI V.

compedibus in coronam mutandis, * Apostolorum, contingentem reddiderunt martirem.

Felicia vincula, quae reum suum, usque ad Christi crucem, * non tam contemnatum, quam consecratura miserunt.

Merito, per omnes Ecclesias, * auro pretiosius illud habetur ferrum poenalium vinculorum Petri.

— Annua nobis, quaesumus Domine, intercedente beato Petro haec nobis prosit oblatio, * quam, immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta.

POST COMMUNIO

— Quos coelesti, Domine, alimonia satiasti; apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi.

— Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cerneus facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. —

Felix anima, quae terreno resoluta corpore, libera Coelum petit; secura et tranquilla mortem non timet.

Habet enim semper praesentem, * cernitque indesinenter dominum, et pulcherrimam Mariam;

Quibus servivit, quos dilexit, * et ad quos tandem tacta et gloriosa pervenire firmiter sperabat.

Viderunt eam Filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt, * et Reginae laudaverunt eam;

Dicentes, « Quae est ista, quae progreditur sicut aurora consurgens, * pulchra ut Luna; electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. »

Deus cuius nos Fides excitat, spes erigit, * charitas iungit;

Deus, a quo averti, cadere est; * ad quem converti, surgere est; in quo manere, consistere est.

Deus, quem nemo amisit, nisi deceptus nemo quaerit, nisi admonitus; nemo invenit, nisi purgatus;

Deus, quem nosse vivere est; cui servire, regnare est; * quem laudare, salus et gaudium est.

Deus meus, te labiis et corde, omnique qua valeo virtute, * laudo, benedico, atque adoro.

Tuaeque clementiae committi fratres, sorores, propinquos, benefactores, amicos, * et me ipsum. —

— Carceris in tenebris, atque inter vincula Petrus, * dum, Populo et solimes Rege furente, jacet,

Virgine cum Maria, lacrimas Ecclesia fudit: * foroque et vinclis plus valuere proces.

Angelus obsequitur, rabies insana minaxque, luditur, * ac iusti cuncta pericla cadunt.

Porta patet, custos sternit, ceciderc catenae, * obsistit precibus nil, ubi Virgo rogat. —

— O Simon Bar-Jona, * precibus etiam tuis tuum nunc conforta principatum;

Et protege nos Ecclesiae tuae particulam, * in magna tribulatione positam.

Solve terrenas, iubente Deo, Petre catenas; * tu qui facis ut pateant coelestia regna beatis; Jam bone pastor Petre, clemens accipe vota precantium;* et peccati resolve vincula tibi potestate tradita.

Qua cunctis merentibus Coelum verbo aperis; * demerentibus claudis. —

— Unus est Christi Vicarius, unus Pastor, * unus Ecclesiae pontifex et Rex secundum ordinem Melchisedech, usque ad saeculum consummationem.

Videbunt impii, et expavescent, * dentibus suis frement et tabescent. —

— Ecclesiam tuam, Domine, continuata miseratio muniat, * et mundet.

Et quia, sine te non potest salva consistere; * tuo semper speciali munere a Petro gubernetur.

— Sit tibi plausus, tibi sint honores,
Trine, qui regnas Deus et coronas
Aureas servo tribuis fideli,
Omne per aevum. — Amen.

CANTICUM XCI.

DOMINICA IX P. PENTECOSTEM FESTUM S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

— En qui benigne nexibus
Solvit revinctos criminum;
Coelique callem devils
En qui retexit sedulus.

O, quos labores pertulit,
Aestusque mentis asperos,
Ex ore prompte Daemonis
Eos ut atro tolleret!

Pagos et urbes permeat,
Plagasque cultas rusticis;
Ibique Christi dogmata
Ardore multo seminat.

Et, ut docere dissitos
Omnesque possit posteros,
Edit libros multiplices
Cunctis futuros saeculis. —

— Modus amandi te, Domine Jesu amator noster, * est sine modo amare;

Amoris ipse tu cetis ignibus, *quem te omnimode diligit amantem.

Consolatio nostra est, quod sis te tuus amat Pater; * idest plusquam Angelos, plusquam creaturas omnes;

Quia, propter te Angelos; *et omnes ipse creaturas fecit;

Amor immensus, aeternus, omnipotens, infinitus; * amor Deus ipse; amor Spiritus ipse sanctus.

Omnes gentes plaudite manibus; * iubilate Deo auctorum omnium fonte, in voce exultationis.

Juravi, Domine Jesu, et non poenitebit me; * tu dilectio mea es; mea tu charitas, mensque in aeternum amor.

— Sed, qui te diligit mandata servat tua; * idest diligens te ex toto corde, et proximum sicut seipsum.

Sic tu, Alphonse, dilexisti Patrem,* qui Filium nobis dedit suum;

Filium dilexisti, propter Patrem, * quia sese nobis dedit.

Et Spiritum sanctum, * quia utriusque amor est.

Spiritus Domini fuit super te, propter quod unxit te evangelizare pauperibus; * misit te, corde sanare contritos.

Et ita proximum dilexisti tuum; * memorans, quod Deus praecepit nobis ut diligamus ad invicem, sicut ipse prior dilexit nos.

Jesum diligens, purum servasti corpus ab omni macula; * templum enim credidisti esse Spiritus sancti.

Animam mundam ab omni servasti labe; * eam habens esse Dei sanctuarium, et amoris et sanguinis Jesu Christi praetium.

Alphonse cur nam tuscula
Herbis amaris inficis?
Corpus tuum darissime
Quare flagello percutis?

Rerum premens angustia,
Frigus, calor, jeiunium,
Sitis, laborque pervigil
Submisit illud affatim.

Intacta sint, hoc efficis,
Ut castitatis Lilia
Tuae; eibumque divitem
Virtutibus des caeteris.

Humilitatem amasti, paupertatem, labores, * et opera operatus es misericordiae, praedicationis scientiae, pietatis et consolationis.

Et, in mystica, dogmatistes insignis,* et sacrae mysticae magister, Mariae virginis *Gloria Granditates*, typis magnificasti.

Ideoque aeterni Principis mater, Arca verae Fidei, * thesaurum inconcessae scientiae et dogmatum sapientiae Dei, largita est tibi; et praeconem te reddidit suum.

Secutus es Jesum benedictum in civitatem; in villam; et in Calvariae montem, * crucem portans suam;

Omnibusque demonstrans, quod in-

fusio amoris sui, * aut dociles invenit, et servat; aut creat.

Divinitus directus in Poenitentiam gentis impietatis tulisti abominationem; * et, bonorum in diebus tuis corroborasti pietatem. —

— Domine Jesu, tu eum fidelem divini mysterii dispensatorem, * et apostolorum effecisti.

Eius meritis concede et precibus, ut salutaribus edocti monitis, et exemplis roborati, * te et proximum tota diligamus anima et viribus.

Coelesti, Domine huius sacrificii igne; * corda nostra in odorem suavitatis exure;

Et, qui in honorem tribuisti beati Alphonsi Mariae, haec nos celebrare mysteria; * per eadem hostiam tibi sanctam nos exhibeamus ipsos. —

POST COMMUNIO

Sumptum, Domine, redemptionis pignus, sit nobis, quaesumus, beatissima intercedente virgine Maria, * vitae praesentis auxilium, pariter et futurae.

Salve, o Maria, flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium; * flos immarcescibilis et immortalis.

Filia, Sponsa, et mater Dei, salve; * nobis optabile in domibus eburneis tuis, hospitium para. —

— Et hoc unde nobis, mitissime Domine? quae nostra merita, et nostra quae gratia? * ut infinitae maiestati complacuerit tuae, realiter et corporaliter te nobis communicare?

Tu qui bonorum non eges nostrorum, unde hoc nobis, quod tantum nos dilexisti?

O Sapientia, quae os mutorum aperis, nostrum aperi, * ut omnia, quae a principio nobis contulisti tua enarremus beneficia.

Antequam quicquam faceres, necdum Coelos extenderes, * vel montes fundares;

Et antequam fontes de petra crumperent, tu nos praeordinasti tuas fore creaturas ad imaginem et similitudinem tuam.

Creasti nos Deus salutaris noster, * redemisti, et ingratos sustinuisti et sustines adhuc.

Illa igitur infinita pietas, quae te compulit nos de nihilo extrahere; illa te cogat nos virtutibus ornare.

Et tibi nos gratias agentes, * digne, in saecula, psallamus canticum. —

— Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque iubilatio,
In unitate, cui manet imperium
Ex tunc, et modo, per aeterna saecula.

CANTICUM XCII.

FESTUM S. DOMINICI CONFESSORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. .)

Nonne stultam fecit Deus huius mundi Sapientiam? nonne ei placuit mundanos confundere sapientes?

Infirma mundi elegit Deus; * ut confunderet fortia.

Corona Sapientiae timor Domini, * replens pacem et salutis fructum.

In thesauris sapientiae intellectus; * et scientiae religiositas. —

— Benedictus Redemptor omnium, qui saluti providens hominum, mundo Sanctum dedit Dominicum * clarissimum praedicatorum ordinis Patrem.

Adsunt Dominici laeta solemnia; * laude multiplici plaudat Ecclesia.

Praeco novus et coelicus, missus in fine saeculi, pauper fulsit Dominicus, * forma praevisus Catuli.

Gaude felix parens Hispania, * novae prolis dans mundo gaudia;

Sed tu magis plaude Bononia, * tanti Patris dotata gloria.

Florem pudicitiae servans illibatum; * attigit eximiae vitae coelibatum.

Paupertatis ascendens culmina, * clamat, mundi detestans crimina.

Nulla sanctum frangunt discrimina,* nocte Coeli perlustrat limina; die, terris, dat verbi semina.

Datum mundo pro mundi gloria,* mira Christi praesignat Gratia.

Cuius ortum praecurrunt, nuncia veri praesagia; * stella micans in fronte parvuli, novi iubar praemonstrat saeculi.

Novus athleta Domini
Collaudetur Dominicus;
Qui rem confirmet nomini,
Vir factus evangelicus.

Conservans sine macula
Virginitatis Lilium,
Ardebat quasi facula
Pro zelo pereuntium.

Mundum calcans sub pedibus,
Manum misit ad fortia;
Nudus occurrens hostibus,
Christi suffultus Gratia.

Pugnat verbo, miraculis,
Missis per orbem fratribus;
Crebros adiungens sedulis
Fletus orationibus. —

— Gaude, Mater Ecclesia,
Laetam agens memoriam;
Quae novae prolis gaudia
Mittis ad Coeli curiam.

Praedicatorum ordinis
Dux et Pater Dominicus,
Mundi iam fulget terminis,
Civis effectus coelicus.

Carnis liber ergastulo
Coeli potitur gloria,
Pro paupertatis cingulo,
Stola dotatur Regia.

Fragrans odor de tumulo,
Cum virtutis fragrantia,
Clamat pro Christi famulo
Summi Regis magnalia.

Mundum vocans ad agni nuptias, hoba coenae Paterfamilias, servum mittit, * promittens varias vitae delicias;

Ad hoc convivium per magnificum;* elegit nuncium sanctum Dominicum.

Felix vitis, * de cuius surculo tantum germen redundat saeculo!

Coeli vinum propinans Populo, vitali poculo, ex ubertate palmitum, * mundi iam cinxit ambitum.

Qui tot claruisti signis in aegrorum corporibus, * nobis opem ferens Christi, nostrarum animarum medere morbis.

Iesu bone, prece Dominici tibi, praesta nos gratos effici;

Per quem multos a morte suscitas, poenas nobis relaxa debitas.

—Munera tibi, Domine, dicata, sanctifica, * et, meritis Confessoris Dominici tui nobis prodeant ad medelam.

POST COMMUNIO.

Quaesumus, Domine Deus noster, ut quos divinis reparare non desinis Sacramentis, * tuis non destituas benignus auxiliis. —

— O Regina sacratissimi Rosarii, * et Rosarium gratiarum;

Salve; o Maria, * nomen tuum favum est distillans in captivorum labiis.

Et tua Corona, Dominico data, * mel est et lac sub lingua eorum.

Divinae pietatis consilium ineffabile; decus singulare; diadema venustatis; et abyssus misericordiarum, * Filii tui aures ad nostras inclina miserias;

Eia ergo dulcis Patrona, et fidelis advocata, in adiutorium exurge nostrum; * ut, et nos, de Filii tui gaudeamus reparatione. —

—Qui super Cherubim, Deus, et regis Israel, peccata dimitte mea, fratrumque meorum.

Nomini da gloriam tuo in loco isto,* et nobis viam ostende bonam, per quam ambulemus.

Ne nos in tempore senectutis despicias; * et si robur defecerit nostrum, ne derelinquas.

Sed usque ad senectam et senium, * Deus in auxilium respice nostrum.

Miserere nostri, quoniam in dolore

nostra defecit vila;* et anni in gentibus traducentur nostri. —

— Gusmane, proles quem celebret potens
Verbis, et altae in Sapientiae,
Quem signa clarant, et relati,
Hostibus et domitis, triumphi.

Te nulla victorem orhat adorea,
Ne Palma spretis parta periculis
Extollit Astris, ampliori
Lumine, vel meritis micantem

Quam fusa late quae patet Orbis, et
Quacumque Christi Religio valet
Laus, et potentis matris ardor
Carminibus referens honores;

Quod voce Matri laetus AVE refert,
Additque iustus quod populos preces,
Testatur impensos labores
Et celebret pietas magistrum.

Quisquis Rosarum congeminat decus,
Et, mente, et ore, qui Mariam colit
Christique vitam, et gesta gratis
Sensibus, atque animis adorat

Te laudat una, te sequitur ducem
Praeceptor almi sedulus officii
Tu perge, conscriptas cohortes,
Praesidio et meritis favere.

— O beate Dominice, ad strenuos fratres respiciens tuos, ad me etiam, ad Regem, et populum respicere dignare.

Sic etiam omnes Ecclesiasticos ordines et monasticos ne obliviscaris; * familiares, benefactores, fratres, sorores, et domesticos.

Nos, inter hostiles et spirituales nequitias, imbelles commilitones, * tuis hodie occupamur canticis, et laudis hymnis;

Tu, despecto mundo, et mundi principe, triumphator super omnes ascendis hostes; * et victoriae, de Domini manu, accipis coronam gloriae.

Ascendis de lubrica valle, cum immensa meritorum supellectili, * clarus triumphis, miraculis gloriosus;

Et tibi plaudunt Angeli, * Doctorum, fulgens cuneo;

Pauper in peculio, dives sed vitae purae paupertatis pretio, Coeli tenes iura; * ubi, pleno poculo, gustas quod sitisti.

Sede veteranus miles, debita iam suavitate, gaudens, * securus quidem tibi sed nostri sollicitus;

O lumen Ecclesiae; Doctor veritatis; * Rosa sapientiae; Ebur castitatis;

Aquam sapientiae propinasti gratis; * praedicator gratiae, iunge nos beatis.

— Trino Deo et simplici,
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Dominici,
Ducat ad Coeli gaudia — Amen.

CANTICUM XCIII.

TRANSFIGURATIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem eius; * et adduxit eos in montem excelsum seorsum.

Thabor et Hermon in nomine exultarunt eius; * suum commoverunt brachium cum potentia.

Et illi tres Apostoli inebriati fuerunt ab ubertate gloriae eius; * quia torrente voluptatis suae potavit eos;

Et alia facta est species vultus Jesu altera, et refulsit sicut sol; * vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Duo viri loquebantur cum illo, Moyses et Elias, * dicebant excessum eius quem completurus esset in Hierusalem! —

— Christus Jesus, viri fratres, splendor Patris et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, * in monte excelso gloriosus apparere hominibus dignatus est.

Illuxerunt coruscationes ejus orbi terrae, * quae commota est et contremuit;

In splendenti nube, Spiritus san-

cius visus est et Paterna audita est vox, * « hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ».

Et audientes Discipuli, ceciderunt in faciem suam ; et timuerunt valde.

Accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis; * surgite, nolite timere. —

Quicumque Christum quaeritis
Vultus in altum tollite :
Illic licebit visere
Signum perennis gloriae.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius Coelo et Chao.

Hic ille Rex est gentium,
Plebisque Rex Judaicae,
Promissus Abrahae Patri
Eiusque in aevum semini.

Hunc, et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testator et Pater jubet
Audire nos, et credere. —

— Gloria tibi Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula — Amen.

— Credimus, quod omnes qui salvi fiunt, * revelata facie, gloriam speculantes Domini, in eandem transformantur imaginem;

Et a claritate in claritatem, tanquam a spiritu Domini, * in perpetuas splendent aeternitates.

Magis, igitur, viri fraires, magisque satagimus, * ut, per bona opera, nostràm vocationem certam faciamus.

Haec enim facientes, * non peccabimus aliquando.

Sic etiam abundanter ministrabitur nobis introitus in regnum Dei nostri,* et Salvatoris Jesu Christi.

— Oblata, quaesumus Domine, munera, gloriosa unigeniti tui transfiguratione sanctifica ; * nosque a peccatorum maculis, splendoribus illustrationis ipsius emunda. —

POST COMMUNIO

Sumpta, Domine, coelestia Sacramenta, intercedentibus Petro Joanne et Jacobo apostolis tuis, precamur, * ut et temporalis vitae subsidia conferant et aeternae.

Et haec nos Communio, patrocinio Mariae matris nostrae, Coeli stellae clarissimae, et coelestis desiderium Patriae; * tui nos consortes esse aeterni faciant gaudii.

Quam suavis est, o Maria, quam dulce in corpore mortis huius, et in hac lacrymarum valle * te colere, tecumque canere ;

Et precari tecum, * et in perpetuam beatorum omnium contemplare gloriam ;

Ave Sponsa Dei ; Ave sydus inclytum, illuminans omne saeculum; * ave Paradisi magnum gaudium ;

Ave mater pulchrae dilectionis et amoris, et sanctae spei ; * nos filios, ubi tu es, adduc tuos.

Ave porta Coeli, dulcis et Angelorum melodia, * menti suggere meae beatae visionis tuae; et omnium sanctorum, delectabile Carmen;

Ibique postmodum, divini amoris mater, tua benigna gratia me corona gloria beatitudinisque praemio.

Eia, viri fratres, novum cantemus canticum et mirabile, * coelestis gloriae laus resonet in Ecclesia Sanctorum.

Ad perennis vitae fontem mens aspirat arida, * claustra carnis, cito frangi, clausa quaerit anima ;

Gliscit, ambit, eluctatur, exul frui Patria, * quam amisit, cum deliquit, contemplatur gloriam.

Praesens malum, * auget boni perditi memoriam. —

— Nam, quis promat summae pacis quanta sit laetitia? * ubi vivis Margaritis surgunt aedificia?

Auro mundo, tanquam vitro, urbis

via sternitur; * abest limus; deest simus, lues nulla cernitur.

Hiems horrens, aestas torrens illic nunquam saeviunt; * flos perpetuus Rosarum ver agit perpetuum;

Candent Lilia, rubescit Crocus, sudat Balsamum; * vireut prata, vernant sata, rivi mellis influunt.

Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum; * pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

Non alternat Luna vices; Sol; vel cursus siderum; * Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.

Nox et tempus desunt ei, diem fert continuum; * nam et sancti quique, velut sol praeclarus, rutilant.

Post triumphum coronati mutuo coniubilant; * et prostrati pugnas hostis, iam securi numerant;

Omni labe defaecati, carnis bella nesciunt; * caro facta spiritalis et mens unum sentiunt.

Pace multa perfruentes, * scandala non perferunt, mutabilibus exuti; repetunt originem; * et praesentem veritatis contemplantur speciem.

Hinc vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem; * inde statum, semper idem, existendi capiunt.

Clari, vividi, iucundi, nullis patent casibus; * absunt morbi semper sanis, senectus iuvenibus.

Hinc perenne tenent esse; * nam transire transit.

Inde virent, vigent, florent, corruptela corruit, * immortalitatis vigor mortis jus absorbuit.

Qui scientem cuncta sciunt, qui nescire nequeunt; nam et pectoris arcana penetrant alterutrum.

Unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium; * licet cuique sit diversum pro labore meritum.

Charitas haec suum facit quod amat in altero, * proprium sic singulorum, commune fit omnium.

Ubi corpus illic iure congregantur Aquilae, * quo cum Angelis et Sanctis, recreantur animae.

Uno Pane vivunt cives utriusque patriae; * avidi et semper pleni quod habent, desiderant.

Non satietas fastidit, neque fames cruciat, * inhiantes semper edunt; et, edentes, inhiant.

Novas semper harmonias vox meloda concrepat; * et, in iubilum prolata, mulcent aures organa.

Digna, per quem sunt victores, * regi dant praeconia.

Felix Coeli, * quae praesentem regem cernit anima;

Et sede spectat alta orbis volvi machinam, Solem, Lunam, et globosa, cum planetis sidera. . .

= Christe, palma bellatorum, hoc in municipium, * introduc me post solutum militare cingulum.

Fac consortem donativi, * beatorum civium.

Praebe vires inexhausto laboranti proelio; * ut quietem, post procinctum, debeas emerito.

Teque merear potiri, * sine fine praemio. Amen.

CANTICUM XCIV.

FESTUM S. CAIETANI TIENEI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Tandem intelligamus, viri fratres, quia duobus non possumus servire Dominis * Deo, videlicet, et mammonae.

Unum semper odio habebimus, * et alterum diligemus.

Solliciti sumus erga plurima, * quae animae non conveniunt saluti;

Quaeramus primum Regnum Dei; * et omnia deinceps, quae nobis prosunt, adiicientur.

Volatilia respiciamus Coeli, quoniam non serunt, neque metunt; neque in horrea congregant; * et Pater noster coelestis pascit illa.

Consideramus quomodo Lilia cre-

scunt campi; * et eximia decorantur formositate et pulchritudine.

Nec Salomon, in omni gloria sua, coopertus est sicut unum ex istis; * in varietate et splendida venustate:

Sic etiam agri foenum, quod hodie est, * et cras in clibanum mittitur:

Deus, sic nutrit et vestit; * quanto magis ingruentibus providebit necessitatibus nostris.

Perspicue enim scit ipse, quorum indigemus, * et providentiam nobis dabit in tempore opportuno.

Qui Dominum inquirit, non minuetur omni bono.

Quaeramus idcirco primum regnum Dei, * considerantes quae et quanta sint quae nobis in Coelum promittit.

Proindeque nostris vilescant oculis, * quae in Terris habentur.

— In aerumnis, in istis nostris, o Maria, te invocamus imbecillitatibus;* mater et Domina, perge secura pro nobis in Filii tui bonis.

Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, * ut non misereatur filio uteri sui?

Et si illa oblita fuerit, * tu, pietatis mater nostri non oblivisceris.

Apex nostri gaudii; ager Domini generans sine semine frugem; recuperatrix Providentiae, * nobis succurre.

Per te omnis gratia; Regina es Coeli et Terrae; * laus ergo sit tibi, honor, ac nostra in aeternum dilectio.

— Deus, qui beato Caietano, Confessori tuo, Apostolicam vivendi formam imitari tribuisti; * nobis, ejus intercessione et exemplo, vivam concede confidentiam, ut sola coelestia appetamus.

— Quem tenet damni timor imminentis,
Duraque in rebus miseris egestas,
Hic Tienei generis beatum
Sidus honoret.

Nam, velut quondam, Moyse adprecante,
Profluit saxis inopinus humor;
Et sitim longam, saliente aquarum
Fonte, levavit;

Sic, ubi praesens tibi tantus adsit
Splendor ex alto rutilans Olympo,
Tende iam dextram, refluent superni
Munera Regis. —

— Accepta sit in conspectu tuo devotio nostra, ut eius nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur; * et per hanc contra omnia muniamur adversa.

POST COMMUNIO

— Adoro te, devote, latitans Deitas;
Quae sub his figuris vere abditas;
Tibi se cor meum totum subiicit;
Quia, te contemplans, totum deficit.

Apud te Jesu, fons est vitae; * et in nomine tuo videbimus lumen.

Qui ardentius te amat, velocius currit; et citius ad Patriam pervenit gaudii.

Adamavi *fortunam*; * et, ea mutata, amorem immutavi:

Virtute baculi tribulationis tuae, * praestigia mentis evanuerunt meae.

Terrena substantia, supernae comparata felicitati, afflictio est spiritus, non subsidium; * pondus, et molesta cura.

Nihil in hunc intulimus mundum, * haud dubium, quod nec auferre quid possumus. —

— Temporalis vita, aeternae comparata, mors est dicenda, potius quam vita,

Vel quotidianus corruptionis defectus; * et quaedam mortis prolixitas.

Beatus, cuius Deus Jacob adiutor eius; spes eius in Deo ipsius, * qui Coelum fecit et terram, mare, et omnia quae in eis sunt. —

— Quaesumus, omnipotens Deus, ut qui coelestia percepimus alimenta, intercedente beato Caietano confessore tuo, per haec contra omnia muniamur adversa.

Si quaeris beneficia,
Quae Caietanus depluit,
Morbos, dolores, ulcera
Miranda curat manus.

Araeque flore et oleo,
Procellae, mors, et Daemones,
Fugantur, atque pristinae
Menti reddit insanos.

Si quidpiam amiseris;
Vel premeris inopia,
Confide, et opem postula,
Nec labor erit vanus.

Dicat, et ista celebret
Quaecumque gens mortalium,
Gallus, Hispanus, Italus,
Dicat Neapolitanus. —

— Sit laus Illi, decus atque virtus,
Qui super Coeli solio coruscans
Totius Mundi seriem gubernat
Trinus et unus — Amen.

CANTICUM XCV.

DOMENICA X. P. PENTEC. F. S. PHILUMENAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Ingredere anima mea in sanctuarium divinae et superexcellentissimae charitatis; * patet ecce amoris vulnere Domini Jesu pectus.

Reclusum est ostium, * apertum est sacrarium, ingredere anima mea et vide.

Pange lingua gloriosae
Lanceae praeconium;
Quae reclusit pretiosae
Cataractae fluvium;
Passo Christo doloroso
Pro salute gentium.

Hasta gazis praeoptata
Mundi pandit pretium;
Cordis tactu praeparata
Fit sagitta fortium;
Arma Clavi sunt beata
Contra vires Daemonum.

Dulcis Hasta, Dei latus
Spoliasti sanguine;
Dulces Clavi, qui reatus
Expurgastis flumine:
Ut sit mundus emundatus,
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat;
Et ostenso bellatores
Cordis succo roborat.
Clavus firmat, et dat rores,
Pusillosque recreat. —

— Accedite gentes; properate, viri fratres, * ut in Jesu latere videatis qualem ipse charitatem abscondit amantissimus.

Omnia pro nobis fecit, omnia pertulit; * et omnia in nos transfert.

Amavit nos plusquam ipsi nos; * plusquam creaturae omnes amaverunt vel amare nos possunt.

Nos plusquam seipsum amavit; * plusquam sacratissimum corpus suum, animam, gloriam et vitam suam.

Tanto amavit amoris affectu, * quanto potest amare homo Deus.

Amemus, igitur, nos et ipsum, sicut ipse prior dilexit nos, * et nobis ianuas reserabit Coeli, et Angelorum gaudiis nos interesse faciet.

Sed non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; * Clavos et Hastam, amantissimi Jesu in corde et corpore sustinens proprio.

Delectet mentem nostram praemiorum magnitudo; sed non deterreat laborum certamen.

Sic dimicarunt adversus naturae imbecillitates, sancti et sanctae Dei; * et laborando, fortiores; et moriendo, victores effecti sunt.

Nullus Athleta, sine certamine fortior dici potest, * nullus, sine victoria, coronari poterit.

Diligentibus eum, omnia cooperantur in bonum; * iis, qui, secundum propositum vocati sunt sancti. —

— En beata Philumena virgo, in fide nihil haesitans pro Christo vinculis alligata, * et in carcere detrusa, vitam glorioso consummavit martyrio.

Virginis proles, opifexque matris;
Virgo, quem gessit, peperitque Virgo;
Virginis festum canimus tropheum;
Accipe votum.

Haec tua Virgo, duplici beata
Sorte, dum gestit fragilem domari
Corporis sexum, domuit cruentum
Corpore saeclum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Saeva poenarum genera pavescens,
Sanguine fuso, meruit sacrata
Scandere Coelum.

Huius obtentu, Deus alme, nostris
Parce jam culpis, vitia remittens,
Quo tibi puri resonemus almum
Pectoris hymnum. —

— Sancta Philumena nobis, Domine, pia non desit oratio, * quae et munera conciliet nostra; et tuam semper indulgentiam obtineat.

— Fortitudo martyrum, Confessorum erectio; * miserere nostri Jesu.

Transubstantiatio verissima, memoria mirabilium Dei; incruentum Sacrificium, * miserere nostri.

POST COMMUNIO

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes; * intercedente beata Philumena, virgine et martyre tua, potiora sumamus beneficia.

Scimus enim, Domine, non posse nos, ex merito praeparationis nostrae, huic beneficiorum cumulo, gratiarum impendere actiones; * etiamsi per totam nos occuparemus vitam.

Sed ex sola pietate, et gratia tua, * qua nobis permittis ad mensam accedere tuam;

Timorem, reverentiam, et affectum infundens, * tibi placebimus.

Nos tuis, non tu nostris indiges bonis; * tu nos vocasti; ita quod nobis deest, supple.

Et cum gratiam devotionis tribuis, gratias tibi agimus; * non quia digni sumus tua sumere mysteria, sed quia misertus es nostri.

Tu venis, ut nos sanctifices; * vel ut de novo ad emendationem accendamur.

—Regina cordis nostri, Domina Maria, mater Christianorum, in cuius sinu formatus est Jesus, * petimus in tua commorari protectione.

Doce quomodo possimus formare Jesum in mente; * in voluntate, et in sensibus nostris.

Salve, quae, tamquam arbor vitae, produxisti fructum; * et, quae, tanquam vitis, botrum fers Dominum gloriae.

Hic, pelagus mundi commotis fluctibus horret, * hinc gravis altisoni territat ira Dei.

At si respicis de Coelis, virgo, paventem, * subsidet Pelagus, iudicis ira cadet. —

— Deus meus, tu, inter coetera potentiae tuae miracula; * etiam in fragili sexu victoriam contulisti martyrii,

Concede propitius nobis, ut qui beatae virginis Philumenae, et martyris tuae merita recolimus, * per eius ad te gradiamur exemplo. —

— Gloria Patri, genitaeque Proli;
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni
Tempore saecli. — Amen.

CANTICUM XCVI.

ASSUMPTIO B. MARIAE VIRGINIS IN COELUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (ut supra, pag. 1).

Quae est ista, quae ascendit per Desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus Myrrhae, et Cassiae, et Thuris? * et universi pulveris pigmentarii?

Quae est ista speciosa sicut Columba, * super rivos volitans dulcium aquarum?

Et quae, decora et fortis, sicut Davidica turris, quae aedificata est cum propugnaculis, * pedibus Draconem calcat suis.

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; * insuper monilibus collum ornatum habet, dexteramque Hyacinthis plenam.

Et electa inter electas Hierusalem Filias; * beata est illa virgo, quae verbum Dei sancti Spiritus obumbratione concepit.

Et, quae virginitalis gloria permanente, * lumen aeternum Mundo effudit.

Beatissima est Maria, * hodie in Coelum assumpta.

Ascendit Christus prius super Coelos; * et suae castissimae matri, locum praeparavit immortalitatis supremum.

Proinde Paradisi portae, per eam, nobis apertae fuere, * quia ex ea omnis vera nobis manavit vita.

Et ex illa sede, peccatores, toti despectos mundo, materno complectitur affectu, * nec deserit quousque secum recipiat.

A mortis nexibus mater virgo, dixerim, depressa non fuisti; * ideoque mortem veluti non gustasti;

Sed legi latae, ab eo quem genuisti,* tua temporalis vita dulciter cessit.

Digno et singulari modo ablata fuisti de hoc Mundo; * et, post transitum, assumpta fuisti in Coelum; et super choros exaltata angelorum.

Creator omnium; et qui propter veritatem mansuetudinem et iustitiam, in tuo requievit tabernaculo, * deduxit te.

Et dixit tibi, * « veni Filia, Sponsa et Mater; veni et in electis meis mitte radices ».

» Veni de Libano, coronaberis de vertice Sanir et Hermon; * de cubilibus Leonum, et de montibus Pardorum.

In civitate requievisti sanctificata,* et in plenitudine sanctorum facta est detentio tua.

Ibi te laudant omnes Spirituum ordines, * cum quibus nostras humiles, gratulantes, sociamus voces.

Maiestatem adorantes Excelsi; * et gloriosae assumptionis tuae diem festum indesinenter celebrantes in Hymnis et Canticis.

Soluta carnis pondere
Ad astra Virgo tollitur,
Excepta Coeli iubilo,
Et Angelorum Canticis.

Bis sena cingunt Sidera
Almae Parentis verticem;
Throno propinqua Filii,
Cunctis creatis imperat.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter Sidera,
Qui te creavit parvulum
Lacteute nutris ubere.

Monstra te esse Matrem:
Sumat, per te, preces,
Qui, pro nobis Natus,
Tulit esse tuus. —

Maria, Mater Gratiae,
Dulcis Parens clementiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe. —

— Audi Filia et vide; * inclina aurem tuam, quia concupivit Rex decorem tuum. —

— Subveniat Domine, plebi tuae, Dei genitricis oratio, * quam, etsi pro conditione cognoscimus migrasse carnis, in coelesti tamen gloria, apud te, pro nobis intercedere sentiamus.

Et ut digna sint munera, quae oculis maiestatis offerimus tuae, * subsidium nobis tuae impende pietatis;

Et mensis coelestis participes efficientes; * protege Domine, famulos pacis subsidiis. —

POST COMMUNIO

Domine Deus, beatae Mariae Virginis in Coelum assumptae patrocinio confidentes, * a cunctis nos redde securos hostes.

Praeclara ista festivitas; * et prae omnium sanctorum festivitatibus, incomparabilis est.

Hodie, gloriosa et felix Maria, excedens omnes coelestis curiae ordines, * ad aethereum pervenisti thalamum,

In quo, pia, benigna et potens, *

tui memorum, unquam existis immemor.

O beata, sicut Cinnamomum et Balsamum aromatizans, * et quasi electa myrra, suavem in terris et in Coelis expiras odorem.

Quam pudica et pulchra es aeterni Regis Filia; * virgo perpetua, templum Spiritus sancti, et Christi mater, macula ulla non est in te.

Favus distillans labia sunt tua; mel et lac sub lingua tua; * et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

Benedictus Dominus Deus Israel; * quia pius et misericors, magnam te fecit in bonitate et potentia.

Et quia miseratio eius, in te, et per te nobis impensa, * protenditur a progenie in progenies.

Dulcia verae
Gaudia vitae
Quisquis anhelas,
Quisquis amorem
Praesidiumque
Virginis ambis
Promite laetus
Carmine laudes.

Pectore iuges
Reddite grates;
Ore salutem
Dicite, et almum
Tollite nomen.
Undique mundus,
Terra Palusque,
Pontus, et aër
Ipsaque Coeli
Regia, culta
Virgineaque
Laude resultet.

Illius ardor
Corda sinusque
Occupat omnes.

Exurge, Domina, * et preces, in tua pietate, exalta nostras;

Ut facie ad faciem laudemus te in Coelis; * et tecum benedictum Filium, tuum Jesum, —

— Sit laus Parenti debita;
Honor sit aequus Filio;
Paraclyto sit gloria ·
Non impar his per saecula. — Amen.

— Verbum supernum prodiens
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperum.

CANTICUM XCVII.

DOMINICA XI. POST. PENTECOSTEM FESTUM S. JOACHIM C. PATR. GENITRICIS DEI MARIAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

De radice Jesse ortus est Rex David, * et de tribu Regis David immaculata virgo Maria, sanctissima, et sanctorum virorum Filia.

Exulta Joachim; diceris *praeparatio Domini;* quia ex te Templum praeparatum fuit Domini nostri Jesu Christi.

Inclyte exulta Senex, quoniam ex Filia tua Filius natus est nobis magni consilii Angelus, * hoc est totius mundi salus.

Ipsa, Sponsa Dei sui, pronuba Nati; fons conclusus; tabernaculum sanctissimae Trinitatis; * et saeculorum omnium stupendum miraculum.

O castissimum Turturum par, Joachim et Anna, et vere immaculatum, * vos, donum omnium donorum praestantissimum, creatori obtulistis.

Nempe castam Filiam; * quae sola digna erat Creatoris effici mater.

O sancte coniux Annae, paterque virginis almae, * hic famulis salutis opem confer tuis. —

— Justi semita recta est; rectus iusti callis ad ambulandum *. In semitis iudiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te.

Sapientia tua, Domine melior est cunctis pretiosissimis; * et omne desiderabile ei comparari non potest.

Sapientia clamitat in plateis; qui diligit eam declinat ad te, et invenit; * beatus erit si tenuerit eam.

Sapiens timet, et devitat malum, stultus transilit et confidit.

Sapientia callidi, est intelligere viam suam, et, imprudentia stultorum, errans.

Mandata et iustitias non odit sapiens; * ideoque non illidetur quasi in proceiloso factutus mari, sine remige et proreta.

Stulto peccatum illudet; * sed inter iustos tantum morabitur Gratia.

Honor et gloria in sermone sensati,* lingua vero imprudentis subversio est ipsius.

Iracundus homo, * incendit litem.

Vir peccator turbat amicos; * et, in me die pacem habentium mittit inimicitias.

Dentes eorum arma et sagittae, * et lingua eorum gladius acutus.

Os lubricum ad laqueos impingit mortis; * quia, malus, linguae obedit iniquae:

Omnia haec temporibus acciderunt nostris; * disperde, Domine, omnia dolosa labia; et linguas mendaces et vaniloquas. —

— Jam non sumus, viri fratres hospites et advenae super terram, * sed sanctorum cives et domestici Dei.

Superaedificati sumus super fundamentum Patriarcharum, Prophetarum, et Apostolorum; * ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Ideoque, non ultra moremur converti ad Dominum; ne de die differamus in diem; * nescimus enim quid pariturum sit crastinum.

Periculum et metus est in differendo; salus vero certa et secura si nulla sit dilatio.

Cum ipse nobis aeterna promittit saecula, * cur quae parva, levia, et momentanea proposita nobis sunt ad salutem, tam ignavi in praesenti vita, et dissoluti agimus animo:

Ne dicamus, « erit semper tempus, quando converti licebit » * verba enim haec valde exasperant.

Ne dicamus, « magna miseratio Domini est, * multitudinis miserebitur peccatorum nostrorum. »

Misericordia enim, et ira ab illo cito proximant; * et ira illius in peccatores respicit tantum.

Multi, dum male et vitiose viverent, subito perierunt; * et in manifestam abierunt damnationem.

Domine Jesu, tu es protector noster,* tu qui reddis Gratiam, et misericordiam facis, memineris nostri.

Et in tempore casus nostri, * tu nostrum eris firmamentum.

Qui destruxisti mortem, * et vitam illuminasti in incorruptionem, emitte lucem tuam.

Ipsa nos adducat ad montem sanctum tuum, * in tabernacula tua.

Te duce, te rectore, sic per temporalia transeamus, * ut aeterna non amittamus.

Non nobis, Domine, non nobis, * sed gloriam nomini da tuo nos salvando.—

— Suscipe, Domine, Sacrificium in honorem sancti Patriarchae Joachim, Mariae Virginis patris, * quod tuae offerimus maiestati.

Et concede, quaesumus, ut cuius festa veneramur; * ipso, cum coniuge sua, et beatissima intercedente prole, perpetua patrocinia sentiamus —

— Et haec communio, sit vitiorum nostrorum expulsio, * concupiscentiae et libidinis exterminatio;

Charitatis sit, et patientiae, humilitatis et obedientiae, * omniumque virtutum augmentatio.

Contra insidias inimicorum omnium visibilium et invisibilium,*firmisssima sit defensio —

POST COMMUNIO

Verbum supernum prodiens
Nec Patris linguens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperum.

Et veniens, nobis, sub bina specie carnem dedit et sanguinem suum; * ut nos substantia cibaret sua.

Ut simus in eius corpore, sub ipso capite in membris eius; * Carnes eden-

tes eius, et unitatem non relinquentes eius, quia in ea est aeterna vita.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed audito solo creditur;
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas;
Et hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens, atque confitens
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thoma, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor;
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere. —

—Gratiarum debitas exolvimus actiones, Domine Jesu pro tam suavi et salubri nobis exhibito beneficio.

Et oramus, ut opprobrium a nobis auferas et contemptum peccatorum nostrorum; * et ut fideliter exquiramus iustificationes servare tuas;

Ab infestationibus Daemonum, ab omni nos libera mentis et corporis immunditia; * a deterrimis cogitationibus, et cordis duritie;

Nostra loca, et omnes habitantes in eis, * protege et conserva.

Super nos omnes miseratio descendat tua in aequitate tua; * et vivifica nos secundum eloquium tuum. —

— Sancta o Maria, humani auxiliatrix generis, * tu es magnes; quae ferream attrahis cordis nostri duritiem.

Tu esca dulcissima ad alliciendos et capiendos peccatores sicut pisces, * in poenitentiae retibus.

Piissima memor esto nostri, * quia in te confidimus;

Parentum recordare nostrorum; * praesertim eorum, qui in Purgatorii detinentur profunditate.

— Usque sit Christo decus, et perenne
Sit decus Patri, pariterque sancto
Flamini; quorum sine fine virtus
Regnat in orbe. —

CANTICUM XCVIII.

FESTUM S. HYACINTHI CONFESSORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

Diem celebremus laetitiae, qua Coeli scandit astra, * Hyacinthus lux Poloniae, bina refulgens gloria.

Dum Hyacinthum Polonia genuit, purum florem edidit, omni flore puriorem; * Gemmam novam protulit, omni lapide pretiosiorem;

Flos est redolens puritate; * gemma emicans virtute.

Egreditur Hyacinthus de sua Patria; Romae sacra invisit limina; * relictis pompis saeculi, claustrum subit Dominici.

Patrem sectatus optimum, * fit norma virtutum omnium.

Castitate nitidus; charitate fervidus; ieiuniis et orationibus instabat assidue, * et in lege Domini meditabatur die ac nocte.

Disciplinam et scientiam edoctus iuventute sua, fructum dedit Hyacinthus in tempore suo.

Constitutus a Domino promulgator Evangelii, verbo, vita, miraculis docuit populos, * lucidum praedicans praeceptum eius.

Magnus praeco Hyacinthus, ad iustitiam erudivit multos, * Christi subegit legibus diversos diversarum nationum populos.

Communicavit ei Dominus sapientiae suae thesauros, per Evangelicae praedicationis officium, * fidelibus ac infidelibus largiter erogandos.

Posuit verba sua in ore eius; * et cordis sui arcanum commisit ei. —

Gusmani proles Hyacinthus, barbara quondam, * atque infestas sacris agmina cum fugeret;

Ferret et e mediis mysteria rapta periclis; * impia ne auderet contaminare manus.

Marmorea effigies Mariae; * quae, reddita signo extabat media qua fugit ille via.

Haec saxo emissa properante voce moratur; * seque velit probris eripuisse rogat.

Non cymba effugium; vada nec dabat obvia fluctus;* firma viam stravit, qua calit ille fides! —

— In virtute tua, Domine, * mundi purgavit vitia.

Daemonum, ac mortis fortiter subruit iura, * pede calcavit undas marmoris instar.

Praesta, nobis, quaesumus omnipotens Deus, ut nostrae humilitatis oblatio, quam in beato Hyacintho solemnitate deferimus, nostrae apud te salvationi proficiant.

— In hoc Hyacinthi iubilo
Laetis canamus vocibus,
Deumque, pulso nubilo,
Puris colamus mentibus.

Dux et Pater Dominicus
Hunc veste sacra induit,
Cunctisque mox apparuit
Vir factus apostolicus.

Christi fidelis nuncius,
Dum praedicator mittitur,
Praeco salutis coelicus,
Late per orbem funditur.

Ubique verbi semina
Rectique spargit lumina;
Fluunt ab ore faculae,
Vitae coruscant regulae.

Rectas salutis semitas
Dignosque mores edocet,
Verboque tangens animas
Ad poenitendum commovet.

Ab hoste praedas eripit,
Dum dura mollit pectora,
Coeloque dignos efficit,
Et frangit hostis robora.

—Omnia mandata tua, Domine, aequitas sunt; * in virtute tua salva nos.

Iamdiu erravimus in desertis locis, sicut ovis quae periit; * ideo quaere errantes; quia mandata tua non sumus obliti.

Appropinquet deprecatio nostra in conspectu tuo Domine; * da nobis legis tuae maiorem intellectum.

— Sancta Maria, Christi mater, audi rogantes servulos; * impetratam plenam coelitus, nobis defer indulgentiam.

Verum Panem Angelorum tu ministras hominibus, * pro salute peccatorum tuis natum visceribus.

Ave rerum potens Diva, mensae Dei tu conviva, * tu medullam da frumenti, mihi tecum discumbenti.

— Splendor aeternae gloriae,
Incomprehensa Charitas,
Amoris tui copiam
Da nobis per praesentiam.

POST COMMUNIO

Coelestia tua capientibus dona, quaesumus Domine ad iudicium provenire patiaris; * quia fidelibus tuis ad remedium providisti.

Cibus iste nos reficit, recreat, et regenerat; * et sibi mentem allicit, dirigit, et confoederat.

Omne bonum exaggerat; vincit; regnat, et imperat; * auget; alit; et perficit.

Vivus panis et vitalis, via, veritas et vita, * est hic panis immortalis, et bonitas infinita.

Quo refulget praemunita, nova sponsa spiritalis; * Sinagoga definita perit, et umbra legalis. —

— Adoramus te, Domine, ut primum principium: * desideramus te, ut ultimum finem.

Laudamus te ut benefactorem perpetuum, * invocamus te ut defensorem strenuum. —

— Averte a nobis vanitatem, et mentis inconstantiam; * et in nobis refove spem misericordiae et pietatis studia.

Asperge nos hyssopo tribulationum et mundabimur, * lava nos in Sanguine tuo, et super nivem dealbabimur.

— Spiritum rectum innova in visceribus nostris; * et spiritu principali confirma nos.

Gratias infinitae maiestati tuae labiis, corde, et omni qua possumus virtute,* pro omnibus agimus miserationibus tuis.

Mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, * per unigenitum tuum;

Qui, propter peccata nostra mortuus est; et propter iustificationem, resurrexit nostram.

Qui vivens sine fine ad dexteram pro nobis interpellat tuam; * et simul tecum miseretur.

Omnis confiteatur lingua, * quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est tua Pater Deus omnipotens,

Constitutus a te Judex, * vivorum et mortuorum.

Omne enim, iudicium tuum dedisti ei, * in cuius pectore reconditi sunt thesauri scientiae, sapientiae, et infinitae pietatis tuae.

Juste Judex ultionis, donum fac remissionis, * ante diem rationis.

Contremiscat unusquisque nostrum,* in consideratione tremendi iudicii.

Superius, viri fratres, erit Judex iratus; * subtus horrendum inferni Chaos;

A dexteris peccata accusantia; * a sinistris infinita Daemonia ad supplicium trahentia,

Intus, conscientia urens; * extra mundus ardens.

O miser peccator sic deprehensus,* quo facies ?

Latere, impossibile est; * apparere, intollerabile est! . . .

Tuum, ergo Domine, fac nos praesentes sentiamus auxilium, qui beati Hyacinthi deposcimus patrocinium.

— Invenit Hyacinthus in aquis viam; * et, inter fluctus semitam firmissimam.

Stetit unda fluens; * et ipse transivit per siccum.

Gestans in manibus statuam Virginis, stupefactum duratur flumen; * ipsa, euntis, undas sub pedibus firmavit eius.

Mater Domini laetificavit Hyacinthum eum gaudio, * claritate vultus sui.

Et dixit ei, « Gaude fili Hyacinthe, gratae Filio meo preces sunt tuae; * et quidquid petendum duxeris, me interveniente consequeris ».

Ave Virgo flos regalis,
Mulierum nulla talis;
Verba cujus sunt argentum,
Lingua laudis instrumentum,

Ave Virgo, cui plando,
Tibi canto, te collaudo,
Bona mihi tribuentem,
Serva Virgo te canentem.

Melodia dulcis et sonora, * perpetua lucis aurora;

Coelestis curiae pincerna; deliciarum Dei dapifera; * mammilla parvulorum, materque orphanorum;

Rosa recens et foecunda; Rosa decens, Rosa munda; * facta Coelorum regina, non est nec erit secunda.

Mihi reo medicina, meis coeptis obsecunda; * vitae poculum propina; et in supernis me iucunda.

Ibi Mater cum Filio
Gaudentes Caeli patria
Trinitatis consortio,
Creata super omnia,
Sua benigna Gratia
Felicitatis gaudio
Me coronat, et gloria
Beatorumque praemio. —

Benedicant nunc maria et flumina Domino et Dominae; * quia aquas solidaverunt sub pedibus Hyacinthi.

Omnes populi laudent Dominum, * quia viventem et vitae functum, mirificavit servum Hyacinthum.

Praedicatorum ordinis flos pulcherrime Hyacinthe, * tua canentes merita, tua nos imbue odoris fragrantia.

Vox pura laudet exitum,
Et cor Hyacinthi meritum:
Corusca lustrat agmina
Bina decorus laurea.

Hunc vita clara indicat;
Diversa signa intonant
Secreta, quae hic noverat,
Totum per orbem praedicant.

Hunc Virgo visit inclyta,
Solatur, et dat gaudia;
Miraculorum gloria
Christi coruscat gratia.

Ventis et undis imperat,
Fluctus tumentes edomat,
Aquae stupescunt fluminum,
Iterque praebent solidum.

Vitae resurgunt mortui;
Claudique dantur gressui;
Coecis patescunt limina,
Fantur Dei magnalia —

— Tibi Deus sit gloria,
In sempiterna saecula;
Et nos, Hyacinthi precibus,
Adiunge Coeli coetibus. — Amen.

CANTICUM XCIX.

F. S. BERNARDI ABBATIS, ET ECCLESIAE DOCTOR. INFRA OCTAV. ASSUMPTIONIS B. MARIAE V.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Domine Deus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Ecquid est homo, quod memor es eius, * aut Filius hominis, quoniam visitas eum?

Deus, vita animae meae, per quam vivo, et sine qua morior; * Domine, sanctorum spes, et turris fortitudinis eorum.

Quoniam teneor, et cupio te diligere; * ostende mihi, quantum, et quo modo laudare te debeo.

Intona desuper, grandi et suavi voce, in interiorem cordis mei partem, * iustificationes et magnificentiam tuam.

Creasti me, cum nihil essem; illuminasti me, cum in tenebris essem; * omnibus me pavisti bonis tuis a iuventute mea.

Misericordia tua magna super me est, * et ab inferiori me eruisti inferno.

Diligam te gaudium, et spiritus mei laetitiam; * ex toto corde, et ex totis diligam medullis meis, quia tu prius dilexisti me.

Gaudium te diligam supernum, et spiritus mei laetitiam; * quia dexteram extendis ad me sublevandum; et intelligentiam aperis meam.

O sapientia, quae os aperis mutorum; * Verbum per quod omnia facta sunt, os etiam aperi meum;

Vocem da mihi laudis, * et mirabilia canam tua. —

— Deus salutis aeternae, qui populo tuo beatum tribuisti Bernardum; * praesta, ut quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem in coelis habere mereamur.

In medio Ecclesiae os aperuit suum; * et implevit eum Dominus Spiritu Sapientiae et intellectus; stolam gloriae induit eum.

Fratres ejus, aliique amici, * eum a sancto consilio monasterium Cisterciense adeundi deterrebant;

Et ipse, adhuc adolescens, ita devicit; * ut bene multi, cum illis professi sunt Religionem.

Cunctis subest tironibus
Sed his praeit virtutibus
Rerum capax coelestium
Jam fit magister omnium.

Monachus, ieiunio plane deditus, * quoties ei sumendus cibus erat, toties tormentum se subire putabat.

In vigiliis, et orationibus, * mirifice se exercebat.

Christianam colens paupertatem, ab omni caducarum rerum cura et cupi-

ditate alienus, * quasi coelestem in terris agebat vitam.

Hoc nemo vixit parcius,
Magisque amavit pauperes;
Hic solus in se saeviens,
Cunctis benignus adfuit.

Multa scripsit, * in quibus apparet eum doctrina, potius divinitus tradita, quam labore comparata instructum fuisse.

Doctrina mentem dirigit,
Pectus fovet modestia,
Qua se immerentem despicit
Et noxium se praedicat.

Exoratus a Regibus, et, iussus, magni momenti controversias composuit; * resque Ecclesiasticas constituit, et firmavit.

— O beata mellifera, incarnati Verbi mater, ascendens de deserto vitae huius, speciosa facta es, * et suavis in deliciis tuis erga Bernardum mellifluum tuum.

Cui placuit ex te carnem sumere, hominem fieri et nasci, * cum esset Deus Verbum et gloriae Dominus,

Quique, post partum, * incorruptam tibi servavit virginitatem;

Eidem etiam placuit, tempore gloriosae dormitionis tuae, tuam accipere animam, * Coeli psallentibus Potestatibus;

Et, ex antiqua accepimus traditione, * quod tuum immaculatum corpus, incorruptum servatum, ante communem universalem resurrectionem, translatione honoravit mirifica.

Reginam superum, quam Pater extulit;
Quam divo decorat Lumine Filius
Quam multo cumulat munere Spiritus,
Sacratus celebrat dies.

Lingua, ergo, meritis laudibus inclytae
Matri laetitiam promere gestiat,
Vicinamque throno Numinis efferat
Auctamque imperio Poli.

Maternam celebret voce potentiam
Mitem supplicibus, terribilem Stygi
Interque assidui damna pericli
Spem mortalibus additum.

Collatae recolet vim sapientiae,
Qua nato fruitur Lumine proxima (tas
Flammasque aethereas, queis pia chari-
Urit virgineos sinus.

Decus virginitatis, cum munere foecunditatis,* favum distillant nobis charitatis Dei;

Misericordiae viscera; plenitudinem Gratiae et Gloriae; * singularesque praerogativas, pro nobis, in Coelum assumpta, attulisti.

Beata mater, materque veri gaudii,* oculos pietatis tuae ne avertas a nobis.

Et Filium tuum benedictum, nobis, quamquam indignis, dona, * o clemens, o dulcis, o pia virgo virginum Maria.

POST COMMUNIO

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti, beatus abbas Bernardus, Confessor et egregius Doctor; * ut eius patrocinii percipiamus suffragia.

Tamquam imbres eloquia Sapientiae emisit; * et palam fecit disciplinam coelestis doctrinae qua imbutus fuit.

Collaudant sanctitatem omnes et sapientiam eius; et usque in saeculum nomen non delebitur eius.

Seminavit hic largiter Doctor egregius; * metit illic feliciter victor gloriosus.

Spiritus fervor; flore munditiae, * vigor vitae, fructus iustitiae;

Splendor verbi, donum Scientiae, ipsum stantem in acie decorarunt; * ipsum coronarunt in statu gloriae.

Illo patrono et auspice
Infanda cedunt crimina
Nitor redit virtutibus
Quiesque menti redditur.

Alma mater Ecclesia, Christi fundata Sanguine, sceptra conscendit grandia, novi Doctoris lumine. —

Sit laus Patri et Filio,
Sit inclyto Paraclyto
Qui nos Doctoris optimi
Dat aemulari Spiritum.

CANTICUM C.

DOMINICA XII. POST PENTEC. F. S. CORDIS B. MARIAE V.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Justi sunt, Domine Deus meus, et recti sermones tui omnes; * non pravum quid est in eis, neque perversum ;

Recti sunt intelligentibus,* et aequi invenientibus scientiam.

Tuum est Consilium et aequitas, * tua etiam omnis prudentia et fortitudo.

Nunquam, ergo, prudentiae innitar meae, et fiduciam ex toto habebo corde in te, Domine; * ut misericordia, et consilii tui veritas semper me dirigat.

Magna, enimvero iudicia tua sunt, * et inenarrabilia sunt verba oris tui.

In melevolam animam non introibit mentis et cordis tui Sapientia; * nec habitabit in corpore peccatis subdito.

Oculi tui perspicue vident, quae in corde sunt hominum; * et in libro omnia scribuntur tuo.

Omniumque enim scrutaris renes et corda, * universasque intelligis cogitationes. —

— Ego, autem, opus manuum tuarum, confitebor tibi in timore tuo; * quia non in arcu sperabo meo.

Nec gladius me salvabit meus, * sed brachium tuum dextera tua; * et vultus tui illuminatio.

Scio, Domine, et confiteor indignum me esse, ut sub tectum intres meum, * sed, propter nomen tuum, fac ne confundar, sperans in te.

Ad te quotidie cor suspirat meum, * festina Domine, ne tardaveris.

Tu quippe Deus es suavis noster, patiens et, in misericordiis cordis tui, omnia disponens; * tuum mihi cor aperis, et dulcissimum matris tuae cor.

Obsecro te per ubera quae suxisti de Coelo plena, * salva me a duritie cordis mei;

In tua voluntate virtus est salutis meae, et, in patrocinio cordis matris tuae, est efficaciter perficere.

Raptrix cordium, cur non meum rapis cor, et in tuo condis corde? * placuit, enim, omnium conditori cordium.

Deficit anima mea ad cordis tui aspirans delicias, * hortus est aromatum, et fons incorruptionis. —

— Sicut pulli, viri fratres, desuper volitantibus milvis, ad gallinae accurrunt alas; * sic et nos sub cordis Mariae alis abscondere debemus.

Coelo Redemptor praetulit
Felicem alvum virginis
Ubi caducum fragile
Mortale corpus induit.

Haec Virgo nobis edidit
Nostrae salutis auspicem;
Qui nos redemit sanguine
Poenas, crucemque pertulit.

Spes laeta nostro e pectore
Pellat timores anxios
Haec quippe nostras lacrymas
Precesque defert Filio.

Voces Parentis excipit
Votisque Natus annuit
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.

Adiuvet nos, Domine, quaesumus, praesentis oblatio muneris, * et dignos sacra partecipatione perficiat.

POST COMMUNIO.

Praesta, quaesumus Domine, * ut terrenis expiati affectibus, unitatem cordium et pacis, in corde obtineamus Iesu et Mariae.

Ita libere et iucunde, * ad superni Sacramenti plenitudinem, cuius libavimus saucia, perveniamus.

— Nihil est in corde deterius nostro, quam quoties nos deserit vagans, et per vagas diffluit cogitationes, * toties cor offendit Dei et cor contristat Mariae.

Cor nostrum vanum est, vagum et instabile; * et dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere.

Omni mobili mobilius, per infinita distrahitur; * et huc atque illuc, per innumera discurrit;

Requiem per diversa quaerit et extranea, nec invenit, * imo in quaestu et labore miserum a requie in aeternum excluditur.

Sibi non concordat ipsi; a seipso dissonat et resilit; voluntates alternat, consilia mutat.

Nova aedificat; vetera destruit; destructa reaedificat, * eadem iterum atque iterum, alio et alio mutat modo, et ordinat.

Velociter, sicut molendinum, volvitur; et nihil a se respuit; * quidquid ei imponitur, molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit.

Recipit vanitates, * et condit in profundo;

Cupiditates, voluptates, iracundias; * totumque sese in huiusmodi tristitiis conterit et deperdit.

Sic in omnibus involvitur vitiis et peccatis, * et miseris submergitur casibus!

Et unum Dei, qui ei sufficere poterat; * et unum Mariae cor omnium iucundissimum, dimisit abhorruit.

Jesus est pax vera nostrorum cordium, qui fecit utraque unum, * ipse est medius paries maceriae, inimicitias in carne solvens sua.

Nostris imperet cordibus Jesus et Maria, et nos Jesu et Mariae nostra libenter resignamus corda.

Nam dum ipsis coniuncti non sumus, in nobis ipsis divisi semper erimus; * nobisque rebelles et contrarii.

Sed Jesu et Mariae cordi coniungi non poterimus, nisi per charitatem; * nec subiici, nisi per humilitatem et puritatem.

Ita, et in illa coelesti Patria * illa beatorum agmina unum habent velle, unum et nolle.

Unitateque mentium et cordium, * summo fruuntur gaudio. —

Sic illa sedes caelitum,
Semper resultat laudibus;
Denmque trinum et unum
Juges canori praedicant.
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli. —

CANTICUM CI.

F. S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI, ET INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

Pax multa est legem diligentibus tuam, * et non est illis scandalum, sive offendiculum ad cadendum.

Gressus Justi sub tutela diriguntur Domini; * etiamsi ceciderit non collidetur,

Quia Dominus manum supponit suam, * impeditque ut laedatur.

Angelis suis mandavit de nobis; * ut nos in omnibus viis custodiant nostris.

Ipsi, velut in manibus suis, portant nos, * ne, impingentes, offendamus ad lapidem pedem nostrum.

— Melius est iusto modicus census, quamvis afflicto, * super peccatorum divitias;

Non vidi iustum derelictum; * et semen eius quaerens panem;

Qui vero cum malignantibus aemulautur, et cum facientibus iniquitatem, cito tanquam foenum arescit; * et, quemadmodum herbarum olera, decidet.

Pertransiens vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani; * continuo respiciens retro, ecce non erat amplius.

Quaesivi eum, et non est me inventus; * vel locus, sive tantae ejus magnitudinis vestigium.

Heu, Domine, qui fecisti me; * virtus spes, et consolatio mea, resuscita me.

In die tribulationis meae, inimicos respice meos, * et a facie fugiant tua.

Ut in te, et per te, *securus ego vivam.

Ipsi vero, Domine, consideraverunt me, et despexerunt me, * quia ego non eram tecum.

Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me; * et me sub pedibus conculcaverunt suis.

Faecibus peccatorum Templum sanctum polluerunt tuum; * et animam posuerunt meam desolatam, et moerore confectam.

Ibam ego post eos coecus et nudus, * manicis illaqueatus et compedibus.

Trahebant me in circuitu de luto in lutum, de vitio in vitium; * et ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Servus eram, et servitutem amabam! * coecus eram, et coecitatem desiderabam!

Vinctus eram, et vincula non horrebam; * amarum, dulce, et dulce amarum putabam!

— Scriptum est, viri fratres, * « qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

Ergo, cum membra Jesus sumus, maneamus cum eo; * manet autem ipse in nobis dum templum eius sumus.

— Domine Jesu, adhaeream tandem voluntati tuae, ut me conserves; * quia, ubi a te recessi, perii.

Ego peccavi, tu me visitasti, * ego cecidi, tu me erexisti.

Ego ignoravi, tu me docuisti; * ego oculis captus eram, et tu me illuminasti.

Fame presso, pinquem dedisti Angelorum panem; * et sitienti, potum exhibuisti exhilarantem.

Tibi me ex toto commendo corde, gratia, anima et visceribus meis, * ne in posterum obliviscaris mei.

— Domine Jesu, beati Apostoli tui Bartholomaei, qui propriam, pro te, dedit cuticulam, solemnia recensamus;

Et de quo dicere possumus, cum scripturis sanctis, * « ficum meum decorticavit, albi facti sunt rami eius. »

Quaesumus, ut, eius auxilio, tua dona capiamus, * pro quo tibi laudis immolamus Hostiam.

POST COMMUNIO

Pinquis est Panis Christi; et delicias praebet iis qui mundo sunt corde;

Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum, * et fac nos amare quod praecipis, ut mereamur assequi quod promittis.

— Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria; * intercedente beato Stephano martyre tuo, sempiterna protectione confirment.

Tu, te diligentes diligis; * et, qui mane ad te vigilant, te inveniunt.

Illic turbatio est ubi modica fides; * illic securitas, ubi perfecta dilectio. —

— Illic salutis certitudo, * ubi pro nobis advocata accurrit Dei nostri mater.

Ipsa, peccatores morti devolutos, materno complectitur affectu, * nec deserit quousque filio reconciliet suo.

Debita, ergo, dive Matri, totus orbis cantica concinat, * et nostra, dulci amore eius, coalescant corda.

Fons pacis una et gratiae
Metus repellens anxios,
Regina spes mortalium,
Coelique splendor et decus;

Inter tenebras saeculi
Mens tristis ad te respicit,
Tanquam sereno e cardine,
Laetatur ortu luminis

Cum te, sequendo, diligit
Jam laeta terras despicit;
Jam tuta portum contigit
Cum te colitque et invocat.

Tunc nullus urget anxia
Languor, metusque pectora
Sed pax serena, tunc sinus
Mentemque laetam possidet.

Sit Trinitati gloria,
Quae, ut nos levaret perditos
Tantis beatam gestiit
Augere donis Virginem.

Elegerunt Apostoli Stephanum Levitam, plenum fide et Spiritu sancto;* qui prodigia et signa magna faciebat in populo.

Judaei acceperunt eum; * et lapidaverunt.

Et, cum a crepitantibus concuteretur saxis, ab aethereis coelestis aulae finibus divina illi effulsit claritas;

Lapides torrentes ei dulces fuerunt;* et, positis genibus, clamabat, « Ecce video coelos apertos, et Jesum stantem a dexteris virtutis Dei. »

» Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum; * et suscipe spiritum meum. »

Sepelierunt eum viri timorati, et planctum fecerunt magnum;* in numero martyrum inventus est primus.

Proinde, sanctus Gamaliel, ostendit per visum Luciano sacerdoti tres urnas aureas, Rosis refertas; * et quartam argenteam, croco plenam, et dixit;

» Hi sunt nostri loculi, * et nostrae reliquiae;

» Hic autem, sanguineas habens Rosas, loculus est sancti Stephani, * qui solus ex nobis martyrio meruit coronari. »

Nobis, Domine, inventionem corporis celebrantibus eius, concedere digneris, * ut tanto illustri exemplo, inimicos etiam diligere discamus;

Et etiam te pro persequentibus exorare, * sicut tu primus e cruce.

Tu huius diei venerandam sanctamque laetitiam in beati Apostoli tui Bartholomaei, et martyris, * et, in beati Stephani levitae, pariterque martyris, festivitate nobis tribuisti;

Da et etiam amare, quod ipsi crediderunt; * et quod docuerunt exercere.

— A nobis abigas lubrica gaudia,
Tu, qui Martyribus dexter ades Deus
Une et Trine, tuis da famulis jubar,
Quo, clemens, animos beas. —

CANTICUM CII.

FESTUM S. JOSEPHI CALASANTII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Vera dilectio, bone Jesu, qui es amoris merces, rectissima via est, * quae ad coelestem ducit patriam.

Qui peregre pergit; qui carnis afflictionem sustinet, et stipem corrogat, * saepe vento vanae gloriae impetitur.

Et dum ad poenitentiam ire creditur, * si minus caute agat, labitur in gehennam.

Ita, peregrinatio, ieiunium, et charitas, * sine charitatis gubernaculo recta non sunt via;

Sed sincerus, quippe amor tuus, Domine Jesu, rectissima via est, absque devio, * levis et brevis absque taedio;

Via est plana, absque abysso; clara absque nubilo; * et, tecum, qui bonus es itineris comes, via est iucundissima.

Jesu, dulcis amor meus, tu dux, tu lux, tu via, * tu veritas et vita;

Tu non permittis dilectum viatorem tuum ad sinistram declinare viam; * sed ad dexteram, quae est prosperitatis via, gressus dirigis eius. —

— O senes, o iuvenes, o pueri, cum omnia tacta sint ad quaerendum Deum, * nihil humanae sufficit menti, quod non sit Deus.

Tantae, siquidem, dignitatis est humana conditio, * ut nullum, praeter summum sufficere possit bonum.

Gloria, honor et gaudium omni sit creaturae operanti bonum, * quia pax multa est legem observantibus tuam.

Jesum omnes agnoscite,
 Amorem ejus poscite,
 Jesum ardenter quaerite,
 Quaerendo inardescite. —

— Bone Jesu, sacerdotum glorificatio, et Sanctorum omnium exultatio; * ista fuit cordialis vita et non verbalis Josephi Calasantii.

Fructuosa via, et non otiosa; * sermonis etiam et operis.

Via magna, et non modica; * quia animam posuit suam pro divitibus et pauperibus: pro virginibus et coniugatis; pro senibus et puerulis.

Constans via et non momentanea; * quia cum in vita alumnos dilexisset suos, nunc in gloria ad iuventutem vivit fortunandam magisque diligendam;

Mentis innocentia; flosque puritatis, * extiterunt praeviae lucis et veritatis.

Gemmas profert novas omni lapide pretiosiores; * flores educat puritatis, rore balsami fragrantiores.

Tuam istam, quaesumus Domine, dulcem patriae spem, gratia semper praeveniat: et sequatur.

Filioli isti honores spernant; inanes abigant curas; * bonorum studiorum dulcorem adaugeant.

Poenitentiam cum vitae socient innocentia; * bonisque operibus, iugiter sint intenti, Mariam invocantes;

Felix, o nimium qui
 Primaevis puer annis,
 Interque orgia vitae,
 Puri pectoris, almae
 Matri, addixit amores.

Qui mendacia temuit
 Stulti splendida saecli,
 Quem non devius urget
 Caeci criminis error;
 Nec, respersa veneno,
 Mentem gaudia ludunt,

Sed coelestia sanctis
 Votis ambit anhelus,
 Et vestigia gressu
 Illibata parentis
 Servat virgineosque
 Gestat pectore mores.

O dulcis iuvenilis aetatis tutrix et magistra, * en furunt, et impune innocentiae insultant hostes.

En larvatus sibilos Momus ubique libere serit; * et undique gliscunt mendacia vulgi;

Comes puerulis, in hoc discrimine novo, tu ipsa esto, mater Maria; * fabulationes procul arcens, et pericula ab illis;

Candidos semper, paresque ad eos adduc sodales, * et, amore ac fide, animam tu illis quietam aperi palestram.

— Si ad coelestem, viri fratres, volumus celeriter pervenire patriam, * discamus, per veri amoris et dilectionis viam ambulare.

Sicut oleum aliis supernatant liquoribus, * sic vera dilectio alias antecellit virtutes et gratias.

Qui ardentius amat, velocius, quocumque locorum, currit; * et huc, vel alio velocius ad ultimum terrae currens finem, celeriter terminum attingit.

Sed qui vera caret dilectione, quasi stilla, coram Deo reputatur Situlae; * quasi staterae momentum, vel quasi exiguus pulvis.

Coelum et terra, et omnia quae in eis sunt undique dicunt ut te amemus; * nec cessant hoc idem omnibus dicere, ut sint inexcusabiles.

Mirum est, ergo quod homo cessat a laude Dei, * cum creaturae omnes, amando eum, ad laudandum invitant.

Gratias, igitur, Deo agamus nostro, qui ad erudiendos spiritu pietatis et intelligentiae, adolescentulos novo ecclesiae suae subsidium providere dignatus est; * et perpetuare:

Sacram venite supplices,
Josephi ad aram parvuli,
Quos ille primus advocat
Primoque amore diligit.

Venite castae virgines,
Quarum pericla depulit:
Omnisque turba pauperum
Verno refecta et pabulo.

Venite quotquot faucibus
Mortis, benignus abstulit;
Atque Josepho debitum
Hymni tributum solvite;

Quod charitatis ignibus
Medulla cordis arserit;
Quod castitatis Lilium
Non foeda sordes laeserit.

Laudate robur pectoris
Quo mille firmus pertulit,
Saevi furoris victima;
Hostilis arcus spicula.

Foecunda linguae munera,
Corpus flagellis saucium:
Fractum fame et laboribus,
Cantate laudis cantico. —

— Altare tuum, Domine, muneribus cumulamus oblatis; * ut eius nobis fiant supplicatione propitia, cuius nos donasti patrocinio adiuvari.

Sacrificium iusti, acceptum est, * et odor suavitatis in conspectu Altissimi.

Intellectum illuminat, effectum sanat, in bono nos confortat; * et corpori suo mystico nos associat.

Insuper sibi ipsi nos assimilat per gratiam; * et, in futuro, per gloriam.

POST COMMUNIO.

Coelestis doni benedictione perpetua, supplices te Deus deprecamur omnipotens; * ut hoc idem nobis Sacramenti causa sit et salutis. —

— « Salus tua ego sum » dixit coelorum Regina et gloria virginum, ad me clama, et ego te protegam. »

Tu, quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem, * peccatorum miserere.

Girum coeli circuisti sola, quia tu sola angelis imperas et sanctis; * qui, tecum simul Altissimum pro nobis exorant.

Ergo in te omnis est vitae spes; quia non solum, cum sanctis, Dei voluntate te subiecisti ipsam, * sed Deus ipse, Verbum incarnatum, tuae soli se in terris subiecit voluntati.

Summus Artifex omnium
Te providit vas nobile,
Vas dignum; vas egregium,
Vas gratum, vas amabile
Vas cunctis venerabile
Famulis ut edulium
Ministres delectabile
Panemque Coeli civium.

Tu ministras hominibus
Verum Panem Angelorum,
Tuis natum visceribus
Pro salute peccatorum,
Hic est Panis viatorum
Qui non est dandus Canibus
Quique est salus miserorum
Praestans omnibus panibus.

O Maria, flores puritatis; Rosae amoenitatis; nascentes virtutum primitiae, * sunt cordis tui deliciae.

Innocentibus reverendum es alabastrum spiritualis gratiae unguenti; * et roseum decus, quo fiunt Angelis similes, et Agno placent Immaculato.

Ideoque consurge adversus eos, qui, perversis cogitationibus et operibus, candorem maculant puerorum, * et corrumpunt.

Per te iniquissimi Diaboli ignea tela devitent; * tu, innocentiae et puritatis eorum sis refugium et auxilium, quia candidi sunt et culparum nescii.

Conserva eis, usque ad senium, mentis et cordis munditiem; * docilitatem refove, humilitatem et disciplinarum fervorem.

Pervigil mater advola nostra, obumbra eos, * ut, pie ac honeste in medio consistant pravae conversationis saeculi huius, eiusque satellitis.

Deitatis munda cella; charitatis radius fundens mella, * donis insuper impleos morum et sapientiae.

Et ita, per hoc desertum, ad opera salutis aeternae, de virtute ambulent in virtutem usque ad visionem pacis.

Agnus Dei, aeterni Patris Filius qui strenue tenella stringis corda; qui sapienter erudis; * et gloriose illaqueas;

Agnus Dei, Mariae virginis Filius, qui delectabiliter iuvenes oneras; feliciter uris; * et beatifice consumis;

Agnus Dei, unica virginum salus, * affectu desiderabilis; frequentia suavis, iucunditate optabilis, fruitione amabilis; possessione aeternus;

Exaudi nos, omnibus te exorantes precibus; * exaudi, Domine Deus ADONAI de sede sancta maiestatis tuae.

Multitudo innocentium te collaudant in terris; hymnis et canticis te glorificant in coelis; et tua, quocumque ieris, sequuntur vestigia.

Gutturi meo et faucibus lingua adhaereat mea; * si propter hoc non benedixero tibi quamdiu vixero et in saecula. —

— Gratias referimus tibi Domine, * sacro vegetati munere.

Tuam deprecantes misericordiam, ut intercedente sancto Iosepho confessore tuo, ad maius semper proficiamus pietatis incrementum.

— Laus sit augustae Triadi per aevum
Quae pio mentem tribuit benignam;
Luce nunc nostras ferleus aduret
Igne superno. — Amen

CANTICUM CIII.

F. S. AUGUSTINI EPISC. CONF. ET ECCLESIAE DOCTOR.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.).

Hodie gloriosus Pater Augustinus; Tagaste in Africa natus; * dissoluta huius habitationis domo, domum non manufactam accepit in coelis.

Ibique gaudet cum Prophetis, et cum Apostolis laetatur * quorum plenus spiritu, quae praedixerat mystica fecit nobis praevia;

Post quos omnium primus refulsit copiosissime; * profundum divinae gratiae aperire dispensationis thesaurum.

Magnus Dominus, et laudabilis valde, * qui, de tenebris haereticorum, lumen Ecclesiae suae vocavit Augustinum.

Laetare mater nostra Hierusalem, * quia Rex tuus dispensatorem strenuum et civem fidelissimum, de Babylonis servitute tibi redemit.

Aperuit ipse Apostolorum codicem, et coniectis oculis ad primum capitulum, legit, * « Induimini Dominum Iesum Christum. »

Et statim quasi infusa luce securitatis * omnes dubietatis tenebrae ab eo diffugerunt.

Et iterum, quasimodo vocem Dei de excelso audiret * « cibus grandium sum Ego, cresce et manducabis me. »

» Nec tu me mutabis in te, sicut carnis cibum tuae; sed tu in me mutaberis; » * invenit se longe a Deo esse in regione dissimilitudinis.

Proinde, sanctissimus Doctor, Hostiam dulciter contemplans augustissimam, linquebat infima, * et, nullo prorsus humano subsidio, levabatur in gaudii raptus, stans sursum mirabiliter.

Non illis satiabatur diebus mirabili dulcedine, * altitudinem considerare divini consilii super humani generis salutem.

Et avidissime sacras perlegens scripturas, apparuit ei eloquiorum castorum unam esse faciem; * et exultare cum tremore didicit.

Divina in eo lucebat gratia; et prae dulcedine Dei, displicebat quicquid agebat in saeculo; * et decorem domus eius summopere diligebat.

Imbuebat eum Christus, insuperabilem eum reddens doctorem, * et Christiani magistrum populi;

Quod spectarunt; * et cuncta porro spectabunt saecula.

Carnem suam poenitentia domabat; * ut digna Deo mereretur effici hostia.

Uberrime in hymnis et canticis, * suave sonantibus Ecclesiae vocibus, vehementer affectus, flebat.

Christi charitas cor vulneraverat eius; * et verba eius gestabat in visceribus quasi sagittas acutas.

Verbum Dei, usque ad ipsam senectam, sana mente, sanoque consilio, * impraetermisse fortiter et alacriter praedicavit.

Christi viam secutus arduam, a terrenis procul illecebris, errorum tenebras profligabat; * catholicamque veritatem conspicuam reddebat.

Cuius doctrina plus sole refulsit; * et cuius, flammis ardentior, emicuit sermo.

Oram illuminavit ortivam et occiduam, * totus in orbe celeber.

Illum avida sequebatur turba, * dum divina ore loquebatur magnalia.

Magne Pastor Augustine
Preces nostras suscipe;
Et, per eas Conditori
Nos placere satage
Atque rege gregem tuum
Summum decus Praesulum.

Amatorem paupertatis
Te collaudant pauperes
Assertorem Veritatis
Amant veri judices;
Frangis nobis favos mellis
De Scripturis disserens.

Quae obscura prius erant
Nobis plana faciens;
Tu de verbis Salvatoris
Dulcem panem conficis
Et propinas potum vitae
De psalmorum nectare.

Tu de vita Clericorum,
Sanctam donas regulam;
Quam qui amant, et sequantur
Viam tenent regiam
Atque tuo sancto ductu
Redeunt ad Patriam —

— Jesu, charitas perfecta, et portio nostra bona; * nostra spes firma, nostraque sempiterna salus;

Jesu, amor Patris, et dulcis Mariae Filius, * nostra carissima exultatio, et visio nostra beatissima.

Ad frequentem Eucharistiae usum, per veram peccatorum confessionem; * et per cordis contritionem nos perducere digneris.

POST COMMUNIO

Domine Jesu, peccatum meum ante te est, * nec gemitus meus a te est absconditus.

Lumbi mei impleti sunt cupiditatibus et libidinibus; * carnalis sum venumdatus sub peccato.

Iniquitates meae supergressae sunt caput meum; * et, sicut onus grave, me obruunt.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis; * rugiebam a gemitu cordis mei;

Admodum miser factus sum a facie insipientiae meae, * ne a me auxilium discedat tuum.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus, * qui solus auctor est salutis meae.

Suscipe me protegendum propter poenitentiam; * et in conspectu tuo confirma me in aeternum.

Docebo iniquos hanc misericordiam tuam; * et impii, tua illecti clementia, ad te convertentur.

— Pietas matris tuae Mariae, miseriae velociter occurrit meae, * quae miserorum causas semper anticipat.

Matrem, viri fratres, nostram invocamus omnes, * gratia est miserorum omnium.

Si Prodigus Filius; viventem habuisset matrem, * vel a paterna nunquam aufugisset domo; * vel forte, citius rediisset.

Salve, o Maria, lampas splendidissima in nocte dubitationis, * et tenebrarum.

Salve nostra fidissima directio; * et, mendicitatis nostrae, divitiarum thesaurus.

Doctorum salve doctrix; liber animatus, incomprehensus; spiritu sigil-

latus; * quae verbum Patris mundo legendum exhibuisti.

Sancta mater, dulcissimus Filius tuus, * silienti populo, fontem viventis aquae de petra produxit;

Te intercedente, de cordis nostri duritia; * lacrymas compunctionis educat. —

— Adeo nunc, tuum etiam, sancte pater Augustine, invocamus patrocinium;

Ex tuis propriis aerumnosis casibus, * miseris succurrere didicisti.

Qui verba perennis proferens vitae,* animos inflammabas adstantium;

Pectoribus nostris amorem donorum coelestium et virtutum insere, * et omne frenare vitium doce.

Coeli cives applaudite;
Et vos fratres concinite,
Patris nostri solemnia
Solis reduxit orbita;

Quod lingua foris personat,
Intus affectus sentiat,
Nec imitari pigeat
Quod laudare mens approbat.

Hunc, post mundi curricula,
Coeli suscepit Curia,
Quem cum suis fidelibus,
Jam coronavit Dominus.

Canamus totis viribus;
Iungamus preces precibus;
Ut Augustini meritis,
Coeli fruamur gaudiis. —

— Horum Datori munerum
Sit laus decusque perpetim,
Qui trinus unus; omnia
Regit Deus per saecula.

CANTICUM CIV.

FESTUM DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Praecursorem summi Regis
Ornat coeli gloria
Sed et ortus gratiosa
Terris est memoria.

Pater senex, novum natum
Dudum stupet; dum legatum
Audit missum coelitus.

Praecursore nondum nato
Needum parto reserato
Dona clarent coelica.

Mater parit, Pater credit
Redeunte fide, redit
Linguae beneficium.

Se de mundo servans mundum
Mundo vivit intra mundum
In aetate tenera.

Lege vitae sub augusta
Mel sylvestre, cum locusta
Cibum non aborruit.

Camelorum tectus pilis
Per desertum, mundo vilis,
Coelo magnus claruit.

Novus Praeco novae legis
Imo novus novi Regis
Pugnaturi signifer.

Non lux quidem fuit iste,
Sed ut daret tibi Christe
Lucis testimonium.

Non lux erat, sed lucerna
Verum Christus lux aeterna
Lucem creans omnium.

Attestante palam Christo
Non surrexit maior isto
Natus de muliere.

Sese Christus sic excepit
Qui de carne carnem cepit
Sine carnis opere.

Nos ad laudem tui Christe
Praecursoris et Baptistae
Reddimus encomia.

Tu ab hac mortis valle
Duc ad vitam recta calle
Per eius vestigia. —

— Supplices, viri fratres, rerum Dominum, canora voce precemur; * ut, reos culpae miseratus, omnem pellat angorem;

Tribuat salutem, * donet et nobis bona sempiternae munera pacis. —

— Nisi tu, Domine, animam custodis meam, * in vanum vigilo ad custodiendam eam.

Vanum utique mihi erit ante lucem surgere prae spirituali, * ideoque oro ut in me locum aedifices mansionis tuae dignum.

Heu! quod non solum admisi peccata; * sed etiam diu silui.

Inveteraverunt ossa mea, dum intus mala clamabat conscientia; * et tota eiulabat die.

Tandem conversus sum in aerumna mea dum configitur spina; * et delictum meum cognitum tibi feci.

Tu impietatem peccati remisisti mei; et, pro hac clementia, laudabit te omnis sanctus in tempore opportuno.

Intellectum mihi in posterum dones; et instrue me in via poenitentiae et fiduciae.

Vigiles super me firma oculos tuos,* ad me custodiendum.

In camo et freno maxillas constringe meas, * sperantem autem in te, misericordia tua circumdabit me.

Beatus ille, cui omnes remittis iniquitates;* et cui, per charitatem tuam tecta sunt peccata.

Magisque beatus homo, in cuius corde dolus non est neque malitia; * beatus supramodum cui infundis iustitiam.

In virtute tua laetabitur iustus; et, super salutare tuum exultabit vehementer; * desiderium animae eius tribuisti ei.

Ideo laetamini in Domino, et exultate iusti; * et gloriamini omnes recti corde. —

— Praemia saltatrix poscit funebria virgo, * Joannis caput abscissum, quod lance reportet;

Incestae ad genium matris fer regia donum, * Psaltria respersis manibus de sanguine iusto! —

Perpetuis nos, Domine, sancti Joannis Baptistae tuere praesidiis; * et quanto fragiliores sumus, tanto magis attolle suffragiis.

Et munera, quae pro eius deferimus passione, * nostra quaesumus, emundent delicta;

Et, ad Hostiam sacrosanctam sumendam, * corpora mentesque sanctificent nostra. —

— Domina nostra et mater Maria; * frigiditatem refove nostram, tui amoris infundens scintillam.

O cunctarum foeminarum, decus atque gloria * quam electam et evectam scimus super omnia;

Virga Jessae, spes oppressae mentis, et refugium * decus mundi, lux profundi Domini sacrarium.

POST COMMUNIO.

Dominus nostras dirigat mentes, et corpora nostra, * in charitate Dei, et patientia Christi;

Dies et actus nostros in sua disponat pace, * Dominus omnipotens.

— Sub tuum, sancta Dei Genitrix, confugimus praesidium; et nostras, in necessitatibus, ne despicias deprecationes;

A cunctis periculis, a peccato, et etiam a mala nos libera morte, * virgo gloriosa et benedicta. —

Regi saeculorum immortali et invisibili, * soli Deo honor, et gloria in saecula. —

Conferat nobis, Domine, sancti Joannis Baptistae solemnitas, * ut, et magnifica quae sumpsimus sacramenta, significata veneremur.

Et in nobis edita, * potissimum gratulemur.

Insignem meritis, munere nobilem,
Cui natum mulier nulla tulit parem,
Quem Verbum eximiis laudibus extulit
Pange o musa Joannem.

Illum in sepositis avia rupibus
Clamantem, et patrii litora fluminis;
Illum turba frequens obstupuit, feri
Et fracta aula tiranni.

Ardentis rapidas pectoris haud faces
Extinxit; tenuit nec rabies minax
Vocem, quae vetitus alta libidines
Flammato arguit ore.

Repenso innocuus Princlpe adultero
Cervices dare non segnis, et ultimo
Decedens prohibet crimina spiritu
Quae et vox sanguinis arcet.

Dignus cui Mariae vox, et amabilis
Adventus, tenebras terserit, et domus
Inter gaudia, celsis meritis potens
Fundamenta locavit.

Arguebat Joannes Herodem propter Herodiadem, * quam tulerat fratri suo Philippo uxorem.

Rapitur ad poenam Propheta convivali tempore; * convivali praecepto, quo non cuperet vel absolvi.

Est praemium saltatricis mors Prophetae! * quanta sunt crimina in uno facinore!

Justus ab adulteris occiditur, * et a reis, in iudicium capitalis sceleris poena convertitur!

Hoc crudelitati ferculum debebatur,* quo insatiata epulis feritas vesceretur.

Intuere, Rex acerbissime, * tuo spectacula digna convivio;

Et, quoniam non exsaturari epulis fames; non restingui poculis potuit inauditae saevitiae sitis, * bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis, execti capitis profluentem.

Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, * aversantes conspectum deliciarum tuarum.

Clauduntur sancti Baptistae lumina, *non tam mortis necessitate, quam tuae horrore luxuriae.

Os aureum illud exangue, cuius sententiam sustinere non potuisti, conticescit; * et adhuc te exterret! —

— Sic, et similiter alios vidimus abundare in saeculo scelestos, * robore, longaevitate, deliciis, et pravitate tumentes;

Tenebat ipsos superbia; * et undique sese iniquitatibus operuerunt et impietatibus;

Ita pene aemulatus sum; * nec zelavi istorum contemplans pacem;

Exhorrens iniquitatem, lavi inter innocentes manus meas; * et oravi ad te, Domine, dicens « ab iniquis et dolosis animam erue meam. »

— Libens, lubens semper, et tibi solummodo sacrificabo, Domine, * et nomini confitebor tuo, expavescens a mundo et satellitio eius. —

— Salus, viri fratres, potenter a Domino nobis fit; * et ipse noster in tempore est protector tribulationis.

Ecce tunc somnum nobis dabit, et haereditatis requiem; * quam fructu passionis suae acquisivit nobis;

Et *Ascensionis* * ad dexteram Patris.

Aeterne Rex altissime
Redemptor et fidelium,
Cui, mors perempta, detulit
Summum triumphum gloriae;

Ascendis orbes siderum
Quo te vocabat coelitus
Collata, non humanitas,
Rerum potestas omnium.

Et trina rerum machina
Coelestium, terrestrium,
Et Inferorum condita
Flectat genu iam subdita.

Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium
Peccat caro mundat caro
Regnat Deus, Dei caro!

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens Olympo praemium
Mundi regis qui fabricam
Mundana vincens gaudia.

Haec te, precantes quaesumus,
Ignosce culpis omnibus;
Et corda sursum subleva
Ad te, superna gratia.

Et ad nostram, potenter, cooperatur salutem, etiam pietatis mater; * et misericordiae.

Vitae nostrae refocillatrix, o Maria, et omnium advocata fidelium; * tuis nos corona, immortalitatis gloria manibus.

— Praestet haec nobis Deitas beata,
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria Mundo.

CANTICUM CV.

DOMINICA XIII. P. PENTECOSTEM. — F. S. ROSAE DE S. MARIA VIRGO LIMENSIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra , pag. 1.)

Obaudite me, dicit Dominus; * et quasi Rosa, plantala secus decursus aquarum, fructificale. —

— Florete flores quasi Lilium; * et date odorem;

Mecumque canticum collaudate novum, * et benedicite Dominum in mirabilibus suis.

Nomini eius magnificentiam date; * et confitemini illi in voce labiorum vestrorum.

In rhithmis, hymnis, et citharis iucunde psallite ei, et sic dicetis in confessione veritalis « opera tua, Domine Deus noster, universa bona valde. »

— Primus, meridionalis Americae, flos sanctitatis, virgo Rosa, * mox ab incunabulis, claruit futurae sanctimoniae indiciis.

Nam vultus infantis, mirabiliter in Rosae effigiem transfiguratus, * huic dedit occasionem nomini.

Cui deinceps, virgo Deipara, cognomen adiecit, * iubens vocari, *Rosa a sancta Maria.*

Rubicunda surgente Rosa, gaudent campi, * et omnia quae in eis sunt;

Rorata crescente Rosa, * omni sylvarum exultant prata.

Limana Regum civitas
Regale munus edidit
Rosam Deo gratissimam
Coelestis orae flosculum.

Vicit nitore Sidera,
Pulsa Soli caligine;
Et, par beatis mentibus,
Numen gerebat pectore.

Portenta vel ludibria
Saevae Stygis non horruit,
Seditque solitaria,
Turbam perosa et saeculum.

Haec a parentis ubere
Praeventa donis gratiae;
Deoque plena, vindicem
Armavit in se dexteram.

Miris modis innoxios
Afflixit artus; spineis
Cinxit corollis verticem;
Cibosque felle polluit.

Nunc laeta poenitentiae
Largo potitur praemio;
Novum psallit Canticum
Agni sequens vestigia;

Nos, o beata, respice,
Tuis vacantes laudibus;
Et, expiatis sordibus,
Duc ad superna gaudia. —

— Ecquis intellectus capere sufficit, quantum sit choris Angelorum interesse gaudium? * et cum beatissimis spiritibus conditoris canere gloriam?

Praesentem Dei cernere vultum, * incircumscriptum videre lumen?

Nullo mortis affici metu; * incorruptionis laetari perpetuo munere?

Sed, quia non coronabitur nisi qui legitime certaverit, * meam delectet mentem praemiorum magnitudo; et certaminis non deterreat laborem.

— Aequale, viri fratres, in nobis sit studium aeterna percipiendi gaudia; * et par formido divinae adipiscendae iustitiae.

Vita nostra tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae est, * spem ideo nostram in resurrectione debemus reponere mortuorum.

Propterea quod te exoramus, ut ad sanctam degentem vitam spiritum nobis timoris tui concedas, * spiritum prudentiae et adoptionis filiorum Dei.

Spiritus gratiae misericordiae, * spiritus principalis vivificans et confortans;

Spiritus fidei, salutis, iudicii et gaudii haereditatis nostrae;

Spiritus pacis et ardoris; * spiritus humilitatis charitatis et castitatis;

Spiritus compunctionis, promissionis, * renovationis interioris hominis, et sanctificationis; *

Spiritus patientiae, longanimitatis,* continentiae, modestiae et gratiarum omnium. —

— Bonorum omnium largitor Deus, beatam Rosam, coelestis gratiae rore praeventam, * virginitatis et patientiae decore Indis florescere voluisti.

Concede nobis, famulis tuis, in odore curramus suavitatis eius; * et Christi bonus odor effici mereamur.

— Sacrificia, Domine quaesumus ista nos salvent; * et in congregatione iustorum nos consistere faciant.

POST COMMUNIO

O memoriale mortis Domini
Panis vivus, vitam praestans homini
Praesta meae menti de te vivere;
Et te illi semper dulce sapere.

Nomen sanctum tuum, Domine Jesu, in aeternum benedicam;

Et te ex toto glorificabo corde meo pro ista ineuarrabili coniunctione divinitatis et humanitatis, in unitate personae.

Non alter Deus, alter homo es; * sed unus idemque Deus et homo; homo et Deus.

Sed licet mirabili dignatione Verbum factum sit caro; * neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam;

Humilis, mitis, utilis, patiens, benignus et misericors, * et tamen testis et Judex ades noster;

Nulla peccatrix conscientia * effugere te poterit.

Omnia enim nuda et aperta oculis sunt tuis; * et tu, qui tam iniuste ab hominibus iudicatus fuisti, orbem in aequitate iudicabis terrae et populos in iustitia.

— Sed praesentissimam apud te habemus mediatricem; * et quae nos tentatio, aut turbatio superare poterit confidentes in matris tuae patrocinio?

O Maria, qui tibi non servit, perit;* qui te negligit in peccato morietur suo.

In te peccant, non solum qui tibi iniuriam irrogant, * sed etiam qui te non rogant.

Ego te quaero, et in te invenio vitam, * in te confido, et in morte patrocinio non potero frustrari tuo.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus. —

— O Limensis Rosa odorifera, spargens ubique virtutum odorem; * posuit rex diadema regni sui in capite tuo;

Fac nos eius, qua frueris, * lucis suavitatisque participes.

Aurora Coelum purpurat
Rosisque mane concolor,
Laudes sacratae virginis
Rosae, monet nos pangere.

Hanc, ergo, laudent Angeli
Et omnis ordo Caelitum;
Laudent chori mortalium
Ubique gestis inclytam.

Hanc primam amoris victimam
Admovit aris India;
Orbis iuvamen praepotens,
Exemplar innocentiae.

Dat coecis luce perfrui,
Solvitque linguae vincula,
Claudos iacentes erigit
Morbis medetur omnibus.

— Jugis tibi laus Trinitas,
Reddatur omni tempore;
Et, cum Rosa, nos pertrahe
Ad nuptiale gaudium.

SEPTEMBER

CANTICUM CVI.

DOMINICA XIV. P. PENT. — FESTUM S. ROSALIAE VIRGINIS.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.



In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Dominus Jesus, virtus est salvationis meae; * causa libertatis meae; et redemptionis meae pretium.

Captiva eras, anima mea, el hoc es liberata modo, * ancilla, et sic rude donata;

Exul, reducta; perdita, in paternam restituta domum; * mortua eras, et sic resuscitata.

Hoc intelligentia ruminet mea; hoc meum glutiat cor, * dum eiusdem Redemptoris carnem sanguinemque os suscipit meum.

Hoc quotidianus sit panis et meum viaticum, quia nonnisi per hoc in Christo manebo, * et in me Christus;

Plenum in me praeparans gaudium, * in vita futuri saeculi.

Sed tu, Domine Jesu, qui, ut ego viverem, mortem suscepisti, * quomodo de libertate laetabor mea, quae non est nisi de vinculis tuis?

Qualiter de salute gloriabor mea, * quae non est nisi de doloribus tuis?

An laetabor de his quae passus es, * et de illorum crudelitate, qui ea tibi acerba intulerunt martyria?

Nisi illi fuissent, tu passus non esses; * adhuc exul, captivus et mortuus essem;

Aut si de illis dolebo, quomodo de istis acquisitis bonis, propter quae illa fuerunt, et quae non essent nisi illa fuissent, ego gaudebo?

Sed certe illorum nequitia, nil facere potuit, nisi quia tu, sponte, permisisti; * nec tu passus es, nisi quia pie voluisti.

— Illorum, viri fratres, crudelitatem execrare debemus; * sed mortem et passionem Jesu Christi, compatiendo, imitari debemus;

Piam eius voluntatem, gratias agendo, amare; * et secure de bonis in nos exultare collatis.

Exultent ideo; et in te Domine, laetentur omnes, * qui salutare quaerunt tuum.

Ego vero egenus sum; * ne moreris, Domine auxilium inferre.

Avertantur statim erubescentes, qui, nescientes paupertatem meam, dicunt, * « euge, euge. »

Deus tu conversus vivifica me; * et in salutari laetabor tuo.

— Et, qui beatae Rosaliae, virginis tuae, festivitate gaudemus; * concede, ut eius intercessione, a flagellis iracundiae tuae, misericorditer liberemur.



S. Alfonso M.a de Liguori
Fondatore della Cong.ne del SS.mo Redentore,
e Vescovo di S. Agata di Goti

Salve Lilium puritatis,
Salve Rosa charitatis
Tu quae mundum contemsisti
Per amorem Jesu Christi.

Pedem tuum elongasti,
Atque Regiam commutasti,
In angustias et horrores,
Ubi nunquam rident flores.

Peregrinus mons erigitur,
Ubi maris unda scinditur;
Peregrina tu similiter,
Illuc pergis, quam viriliter.

Locum intras tenebrosum,
Nec te piget luminosum
Vultum Solis non videre,
Nempe Christo vis placere.

Hic flagellis cruentatum
Fuit corpus delicatum,
Perque noctes, perque dies
Saxum fuit illi quies.

Herba cibos ministrabat;
Simplex unda potum dabat;
Nec propterea regales
Invidebat commensales.

Nunc te Liliis, nunc te Rosis
Sponsus ornat odorosis,
Nunc Apostolos miraris,
Nunc Mariam contemplaris.

Nunc, o virgo gloriosa,
Candens Lilium, rubens Rosa,
Audi preces, audi vota
Quae profundit gens devota.

Terremotum, pestem, bellum,
Procul pelles, nec flagellum
Appropinquet civitati,
Quae tuae fidit pietati.

Nobis impetra candorem
Vitae simul, et fervorem;
Ut hic spinis tribulemur,
Unde Rosis coronemur. —

— O Maria, virginum Regina, et corona Sanctorum omnium, * ad adiuvandum me festina.

In adiutorium intende meum; * et magnam irrora super me benignitatem tuam.

Jesum benedictum filium tuum nobis ostende; * et tuis, o clemens, mihi praebe manibus.

POST COMMUNIO

Ubi est alia tam inclyta gens, * sicut christiana plebs?

Aut quae tam, sub coelo, creatura dilecta, ut anima devota, ad quam ingreditur Deus, * ut eam gloriosa sua pascat carne?

Singuli fidelium communicantium, Christum accipiunt totum; * et in singulis portionibus, totus est.

Nec per singulos minuitur; * sed integrum se praebet mirabiliter singulis.

O ineffabilis mysterii Gratia! o admirabilis dignatio; * o immensus amor nobis singulariter impensus!

Sed quid pro tanti muneris largitate, Domino retribuam meo? * quid pro tam eximia charitate?

Exultent omnia interiora mea, * et perfecte ei anima coniungatur mea;

Nil gratius, quam ut cor ei totaliter tribuam; * intimeque coniungam.

Mane mecum Domine; ego volo esse tecum, * ut semper cor meum cordi adhaereat tuo. —

— Sic, et etiam, cordi matris adhaerebit tuae, * et ita refundam in te, Patrem meum, quidquid in meam impendam matrem.

Tu, Domine, iussisti, ut omnia haberemus per Mariam; * idcirco honor, quem in famulatu Reginae deferimus nostrae, in te Regem transfunditur nostrum.

— Suscipe, Domine, haec nostra munera; * et nobiscum, iterum et semper, Panormitanos exultantes fratres, quibus causam tantae praestitisti laetitiae ardoribus charitatis adure tuae.

Rosae et Lilii nomen flagrat tuum, o beata Rosa-lia; * quia tanquam ieriountinam Rosam et Lilium convallium exquisivit te Deus, beatamque fecit.

Viri Panormitae, fundamenta Rosa-liae huius in montibus, a iuventute sua, fuerunt sanctis; * ibique ipsa secretum habebat cubiculum.

Die cogitabat ac nocte, quae cariora

Domino erant; * ut corpore sancta esset et spiritu:

Quasi Storax et Galbanus, solitudinem habitavit, * et sanctificavit;

Quasi Libanus non incisus; et quasi balsamum non mixtum, Siciliae odore perfudit montes; longiusque suavitatis fragrantiam dedit.

Hanc amavit Dominus omnipotens, * et amator factus innocentiae et poenitentiae illius, eam in sponsam quaesivit assumere.

Benedicat omnis imber; et ros Domino; * qui Rosas et Lilia benedictione irrigavit de superioribus suis.

Laudent nomen Domini, Maria quae Siciliae circumdant summum faciei eius decorem; * miramque foecunditatem;

Et aquae omnes, quae super coelos sunt, benedicant Dominum, * ubicumque Rosae vernant, et Lilia virent.

Florent adhuc, * et Dominum Rosae-liae, laudent iuxta amoenos plantata rivos.

Florete flores virginum omnes, quasi Rosa et Lilium; * nobisque odorem date.

Frondete in gratiam, canticum collaudate, * et Dominum in operibus benedicite suis.

Magnificentiam nomini retribuite eius; * et, in voce labiorum vestrorum, confitemini illi.

In citharis et canticis, confitentes et laudantes, sic dicemus illi, * « opera Domini Dei nostri, universa bona valde. »

Viri fratres Panormitae, Rosa-liam nostram fulcite floribus; eam stipate malis; * quia divino languet amore;

Insuper, et simul iugiter, * hymnum ei canamus gloriae.

Telluris omnes incolae
Rosae plaudant solemniis
Eiusque laudes concinant
A Solis ortu ad hesperum.

Fortem virili pectore
Laudemus omnes foeminam
Quae sanctitatis gloria
Ubique fragrat inclyta;

Haec, sancto amore saucia,
Dum mundi amorem noxium
Horrescit, ad coelestia
Iter molitur arduum.

Carnem domans ieiuniis,
Dulcique mentis pabulo
Orationum nutriens
Coeli potitur gaudiis.

Beata quam Rex virginum
Alma parente pronuba,
Plaudente Coeli Curia
Sacro recepit thalamo.

O iam perenni vinculo,
Coniuncta Regi gloriae,
Fac nos amoris nexibus
Iungi supremo Numini.

Illo licebit cardine
Vera intueri, et ludicras
Curas lugentis saeculi
Luce in micanti spernere.

Rex Christe virtus fortium
Qui magna solis efficis
Nunc vera pacis munera,
Largire supplicantibus. —

— Ante conspectum Dei nostri, benedicta Rosa-lia, angustias et tribulationes gentis tuae, * tantisque subveni ruinis;

Propitia sis apud Deum reconciliatio, * in tempore magnae iracundiae suae;

Pacem insperatam confoedera diuturnam; * et nos omnes ab aeterna perditione liberas.

Qui pascitur inter Lilia, Deus pacis et veniae, * corruscantibus Rosis at vernantibus te redemivit;

Signum posuit super caput tuum, * ut nullum, praeter eum, admitteres amatorem. —

Sit, Christe, sponse virginum,
Tibi Patrique gloria
Cum Spiritu Paraclyto
In saeculorum saecula. — Amen.

—

CANTICUM CVII.

NATIVITAS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Puella, proles gratiae,
Solamen orbis perditi,
Verae salutis nuntia
Prodis in auras luminis;

Deum Patris munera
Ditata donis Spiritus,
Praevertis annos, et diem,
Domus futuri Numinis.

Salve iacentis servuli
Robur, salus et gaudium,
Quo cuncta mesti pectoris
Dispellit et temnit mala.

Triumphat orbis ad tuum
Repletus ortum gaudiis,
Miratur, et tantam genus
Mortale lucem fundere.

Horrescit et Styx lurida,
Superbus et Rex Tartari,
Seseque coecis abditum
Antro paventem continet. —

— Adsis potenti Numine
Nostrasque clades adspice,
Solare luctus perpetim
Quae nostra torquent pectora,

Curas, metusque tetricos
Vultu sereno deleas
Jam laeta sit nativitas
Ut vera origo gaudii.

— Nativitas, viri fratres, est hodie beatae Mariae Virginis;* cuius sanctissima vita cunctam illustrat Ecclesiam.

Procedit ab ore Altissimi, fulgens sicut Sol; * et formosa tanquam coelestis Hierusalem.

Jam lux gloriosa nobis apparet saeculi, et mundi salus, * virgam stirps Jesse produxit, virgaque florem edidit perpetuum.

Confitebor tibi, Domina Maria, toto corde meo;* et te in tota glorificabo mente mea.

Opera commemorabuntur Gratiae multiplicia tuae,* Testamentum misericordiarum tuarum ante Thronum Dei est.

Per te missa Redemptio nostra a Deo est,* populus poenitens aeternae salutis spem per te possidet.

Intellectus bonus omnibus invocantibus te;* et sors illorum inter Angelos pacis.

Jucundus homo, qui laudibus non satiatur tuis;* et ab enumeratione virtutum et gratiarum tuarum non fatigatur.

Dispartire pauperibus gratiam tuam, Domina materque nostra;

Esurientes nos refove et egenos ab auditu terribili hostis cor non trepidabit nostrum.—

— Dignissimum, viri fratres, ortum eius devotissime recolimus;* simulque Christum filium eius adoramus Dominum, ut ipsa, apud eum, pro nobis intercedat.

Virgo mater et Domina, non fuit in mundo, nec est similis tibi nata;* florens inter mulieres ut Rosa, et fragrans ut Balsamum.

Favus distillans labia tua sunt dilecta Dei sponsa;* odorem vestimentorum tuorum sicut Cinnamomum et Elibanum.

Quia Genitricis dignitatem obtinuisti ;* et virginalem non amisisti pudicitiam.

O pulcherrima inter mulieres, omnes diligunt te nimis,* gaudium es universorum, formosae genae tuae sunt sicut Turturis;

Emissiones tuae Paradisus Malorum punicorum,* cum pomorum fructibus.

Fons hortorum; puteus aquarum viventium;* quae impetu fluunt de Libano.

Egredere filia Sion de vulva beatae matris tuae;* abi post vestigia gregum pecuarii tui,

Haedos pasce tuos iuxta tabernacula

Pastorum:* post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

Murenulas aureas faciemus tibi ;* vermiculatas argento.

Quia ex te ortus est Christus Deus noster;* qui, solvens maledictionem, benedictionem nobis impartivit;

Et, qui, mortem confundens,* divitias nobis acquisivit sempiternas.

Mater Heva nostri generis mundo poenam intulit peccati;* tu, per benedictum filium tuum, innocentiam et salutem.

Salve, sancta Parens, enixa puerpera Regem,* qui Coelum Terramque regit in saeculorum saecula.

In solemni beatae Mariae virginis nativitate,* nostris nos, Domine, piaculis exue;

Ipsaque oblationem, tibi, Domine Jesu,* acceptam reddat nostram;

Veniat dilectus ipse noster in hortum suum,* et fructum pomorum comedat suum.

POST COMMUNIO

Ex tuis manibus, clarissima Coeli stella, et coelestis Patriae desiderium,* Lilium accepimus convallium;

Per quod natura immutatur;* protoplastorum deletur et culpa.

Virgo, semper laetare,* quae Christum meruisti portare, Coeli et Terrae mediatorem.

Et de tuo protulisti utero,* mundi perditi Salvatorem.

Sancta Maria, virginum purissima,* servulorum vota suscipe assidue;

Lapsos erige, errantes corrige,* trementes corrobora;

Conforta pusillanimes,* ut tibi semper referamus laudes, quibus te Dei summi colimus Genitricem.

Plaudent nunc organis;* et inter veloces articulos tympana puerperae concrepent sanctae Annae,

Quia, causam convelescentis errati, miraculum novi partus evicit;* et Hevae planctum, Mariae exclusit cantus.

Concinant nunc laetantes chori;* et, alternantibus modulis, dulcissima misceantur Carmina.

Praeclara custos Virginum,
Intacta Mater Luminis,
Coelestis aulae janua,
Spes nostra, Coeli gaudium.

Inter Rubeta Lilium,
Columba formosissima,
Virgo, e radice germinans,
Nostro medelam vulneri.

Turris Draconi impervia,
Amica Stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus
Tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter devios
Tutam recluде semitam.

Te nostra, votis intimis,
Colunt, vocantque pectora,
Queis sancta dat nativitas,
Insueta coeli gaudia.

Æterne rerum Conditor,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utrique Spiritus
Soli tibi sit gloria.

CANTICUM CVIII.

DOMINICA XV. P. PENTECOS. F. SS. NOMINIS B. MARIAE VIRGINIS

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (ut supra, pag. 1).

Illumina vultum tuum, Domine Pater omnipotens, super nos, in Spiritu sancto tuo;* et sic plenarie misereberis nostri.

Innotescat Verbum salutare tuum;* fructus ex radice Jesse, a cunctis desideratus gentibus.

Cor meum conturbatum est intra me; deficiens factus sum, sicut umbra cum declinat Sol.

Genua infirmata sunt mea;* et mea immutata est caro.

Auxiliator meus ad meam adsiste

dexteram, tantis cum sim malis circumclusus;* per matrem Mariam me Salva tuam.

In medio electorum laudabo te;* et nimis tibi in ore confitebor meo.

Jesus et Mariae dulcissima nomina,* cordis divinae geminae sint in amore faces;

A nostro non illa sinu, vel abore recedant,* haec mihi dulce melos; haec mihi dulcis amor.

Tu, Domine Jesu, gloriosam matrem tuam nominari MARIAM voluisti;* et nos, hoc duice invocantes nomen, perpetuo sentiemus tuae benedictionis auxilium.

O melle nomen dulcius
Et balsamo suavius
Vinceus saporem nectaris
Omnisque sensum gaudii.

Te, sive lingua concinat
Te, sive mens recogitet ;
Seu te cor altum diliget
Seu vis amoris invocet ;

Accendit ignem charitas,
Augescit et spes firmior ;
Devota confestim fides,
Flammis adurit pectora.

Mariam vocabo iugiter
Eiusque sancto e nomine
Quaeram malis urgentibus
Solamen inter tristia. —

— Dominus possedit te, mater nostra, ab initio viarum tuarum,* antequam quidquam faceret a principio.

Congratulentur tibi omnes;* quae, cum adhuc parvula esses placuisti Altissimo.

Tecum sunt divitiae, gloria et iustitia;* ut dites diligentes te; et thesauros repleas eorum.

Beatus qui nomen invocat tuum ; beatus qui audit,* te et beatus qui ad fores quotidie vigilat tuas; et ad postes observat ostii tui,

Qui te invenit, vitam, procul dubio, acquirit a Domino;* et haurit salutem.

Et qui magnalia enarrat tua,* laetabitur in cubilibus suis;

Gaude interim, anima mea, et exulta; quia, multa sunt, Mariae nomen, invocantibus et canentibus in hymnis bona praeparata.

Nubibus Coeli cerneris
Arcus, quae nos illuminas
Refulgens ; morum miseris
Exempla cunctis seminas.

Haereses omnes terminas,
Et haereticos conteris ;
In Christo, quando geminas
Naturas simul congeris.

Arcus insuperabilis,
Arcus potens, arcus fortis,
Arcus dulcis, amabilis,
Arcus poteus coeli portis,

Post praesentis metam mortis,
Nobis inevitabilis
Fac consortes tuae sortis
Nos, Virgo venerabilis. —

— Tua, Domine, propitiatione, et beatae Mariae semper virginis intercessione;* ad presentem ac perpetuam nobis haec oblatio proficiat prosperitatem et pacem. —

— Domine Deus, veniens in Mundum ex Sion ubi tui initium est Regni, Messias noster, qui ad dexteram sedes Patris,* te laudamus, tibi benedicimus, et adoramus;

Tu sacerdos et victima in altari ades nostro,* ad propitiandum pro peccatis nostris.

Utraque potestate et merito Deus-homo,* iudicabis in nationibus.

In die irae tuae, Agnus nunc mitis et utilis, conquassabit in terra capita multorum; * nunc ex tunc nobis clementissime miserere. —

— Diligo te, Domine Jesu, fortitudo mea,* utique salus tu es et firmamentum; refugium et liberator meus.

POST COMMUNIO

Sumptis, Domine, salutis nostrae subsidiis, da quaesumus,* beatae Mariae patrociniis nos ubique protegi.
In cuius nominis veneratione,* haec tuae obtulimus maiestati.

O dulce nomen melleo
Sapore corda recreas,
Nil suavius te concinant
Nil ora gustant dulcius.

Dum lingua porgit promere
Melli fluentes syllabas,
Mens affluit dulcedine
Non usitati nectaris.

Tu, sive pectus nebula
Obducta, triste contegat;
Seu dira vitae toedia
Odisse lucem suadeant.

Solvos; et vim noxiam
Repellis hostis invidi
Et dona spargis patriae
In valle coeca flentibus. —

— Vultus serenos induant
Coelumque tellusque et mare:
Natura laeta gaudeat
In virginis natalibus.

Te nulla, mater, tempora
Ad ore nostro distrabant,
Te mente, corde et spiritu
Vocare quisquis gestiat. —

— Tu stella maris, ex Jacob orta,* cuius radius universum illuminat Orbem;
Perfulgens in supernis, et terram perlustrans, vitia excoquis, mentes calefacis;* et virtutes in animas refoves.
Sublimis et nobilis stella super hoc mare magnum, et spatiosum nimis es sublevata,* micans meritis coruscans exemplis.
Egredimini Filiae Sion, et Reginam adorate nostram in diademate stellarum duodecim,* quo coronavit eam Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus Deus.
Longe ante nostris caelitus, repromissa Patribus, mysticis praefigurata miraculis,* Propheticis fuisti praenunciata Oraculis;
Per te Apostoli Gentibus salutem praedicant;* per te credentes et infideles ad agnitionem veritatis, et ad sanctum pervenerunt Baptisma.
Tu sacerdotalis virga,* sine radice floruisti.
Tu Gedeonis vellus,* in medio siccae maduisti arenae;
Tu orientalis porta,* quae nulli unquam patuisti.
Pretiosa es Margarita; orbis terrarum Lampas inextinguibilis;* et corone virginitatis.
Orthodoxae Fidei sceptrum,* quod cunctas interemit haereses;
Templum indextructibile,* continens eum, qui nusquam contineri potest!
Ave mater, Coelum, Puella, Altissimi thronus, nostra spes; Ecclesiae decus et gloria.
Nunquam te aliquid maius vel illustrius inventum fuit,* nec aliquando inveniri poterit.
Tu ancilla et Dei mater; tu virgo et genitrix; * tu sola Coelum et terram amplitudine sanctitatis superas.
Elegit te Deus, et praeelegit,* beatam ideo omnes te, o Maria, vocant generationes.
Mariam, igitur, cogitabo semper; Mariam Jesu Christi matrem in confusione conscientiae, in timore Judicii, in excessu desperationis, invocent omnes. —

— Qui creas Mundum Genitor superne;
Nate, qui mundi scelus abstulisti;
Spiritus, par semper utrique regnans
Parcite lapsis.

CANTICUM CIX.

EXALTATIO SANCTAE CRUCIS

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra , pag. 1.)

Lignum Crucis mirabile
Olim per Orbem renitens,
In quo pependit innocens
Christus Redemptor omnium.

Haec arbor est sublimior
Cedris habet quos Libanus;
Quae poma nescit noxia
Sed ferre vitae proemia, —

— Parasti, Domine, in lege tua directiones rectissimas; et, secundum ipsas iudicium constituisti tuum et iustitias.

Undique angustiatus, ad te clamo,* Deus meus es tu, deferens crucem, vocem exaudi orationis meae.

Tu Rex Christe piissime,
Huius crucis signaculo,
Horis, momentis omnibus,
Munire nos abnuis:

Ut ore tibi consono
Et corde devotissimo,
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

Memento, benignissime, quod tu obumbrasti me;* et fecisti sicut galeam super caput meum in die belli.

Passiones meae venenum aspidum,* gressusque cogitans supplantare meos.

Constituunt proelium adversus animam meam;* et funes extendunt in laqueum, quo intercipiar.

Exaudi, benigne Domine, sola virtus et spes salutis meae, deprecationem meam;* et crucem subleva meam.

Prohibe etiam, Domine, ne in magnis huius mundi ambulem desideriis,* neque anxius in mirabilibus elever

Si te, Domine, praesentem, omnia videntem et iudicantem semper cogitavero;* aut vix, aut nunquam peccavero.

Magna nobis indicta est necessitas bene vivendi,* cum agere debemus omnia ante oculos Iudicis cuncta cernentis.

Non aspiciant oculi mei, nisi ad celsitudinem triumphalis tuae crucis;* neve altero modo exaltetur cor meum.

Anima mea humiliter,* in dulcedine speret redemptionis tuae.

Ardenter te quaerat; quaerendo inardescat,* ut, ad sempiternam amantium gloriam pervenire merear.

Et delicta memorans iuventutis meae, contrister sicut puer ablactatus ante tempus,* diu noctuque super matre plorans sua. —

— O virgo Regina, tu ipsa es via,* per quam salus de supernis visitavit sedibus.

Sancta, casta, et florigera viscera tua sunt,* quae florem perpetuae protulerunt viriditatis.

Pulchritudinis tuae, decor, corruptionem non videbit;* ut vultus tui gratia in perpetuum non marcescet.

Magnificate eam mecum omnes, qui impinguati estis melle et lacte recreationis eius.

Impendamus Mariae nostrae laudis hymnum;* et inebriemini ab ubertate dulcoris eius.

Suavissimus enim est fructus illius in ore;* et etiam anima crucifixa semper in eo dulcescit.

Arcam Noë fabricavit,
Sed te lignis levigatis;
Fabricatam subintravit
Cum uxore et cum natis. —

— De parentibus beatis
Sibi Matrem se formavit
Dominus, et a peccatis
Te immunem conservavit.

Pactum suum antiquitus
Deus promisit Patribus;
Arcum suum divinitus
Ostendendum in nubibus.

Qui foederis est omnibus
Signum promissum caelitus
A Deo pax hominibus
Datur in ipsa penitus. —

Benedicta es a Domino in omnibus finibus terrae; * sanctuarium Dei est sanctum templum cordis tui.

Fructui crucis benedicti Filii, nos reconcilia tui,* et pacifica nos ei qui in ligno nos redemit crucis.

O crux gloriosa! o adoranda crux;* lignum pretiosum, et admirabile signum,

Per quod Daemon est victus;* et mundus, Christi sanguine, redemptus.

O Crux, cunctis splendidior astris;* mundo celebris; hominibus multo amabilis;

Sanctior universis signis,* sola digna fuisti talentum portare Mundi.

Adoramus crucis signaculum;* per quod salutis sumpsimus Sacramentum.

Dulce lignum, dulces clavos,* dulcia ferens pondera;

Salva praesentem catervam,* in tuis hodie laudibus congregatam.

Nos autem, viri fratres, gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi,* in quo salus est, vita et resurrectio nostra, per quem salvati, et liberati sumus.

Splendida coelestis veneramur signa salutis, queis datur ad vitam lumina certa sequi.

Nec pigeat Christi, Mariaeque exempla secutos,*pondera laetificae sponte subire crucis.

Hoc lignum aeternum sit nobis pignus honoris, quod nostri generis sustulit opprobrium.

Tartareus acies hoc, et nigra agmina, signo infracto, atque alacri temnere corde licet.

Per quem porta salus, per quem via certa salutis,* et quo victa olim concidit ira Patris.

O vitae lignum, iacturis anchora; pressis subsidium;* moestis, crux bona, delicium.

Ducere quam tecum vitamque et tempora vellem;* atque, comes Maria, te excipiente mori.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophaeum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit! —

POST COMMUNIO

Jesu Christi Corpore satiati et Sanguine,* per quem Crucis est sanctificatum vexillum.

Quaesumus, Domine Deus, ut sicut illud adorare meruimus, * ita perenniter eius salutaris gloriae potiamur effectu.

Hoc oro, hoc desidero,* ut tibi coniungar totus.

Et cor ab omnibus abstraham rebus;* et magis magisque, per Communionem, aeterna sapere discam.

Domine Deus meus, quando tecum coniunctus ero totus et absorptus? * quando mei totaliter oblitus?

Vere tu pacificus es meus, in quo summa pax, et suavis est requies;* extra quem labor, dolor, et miseria infinita.

O quam amabilis est, Domine, Spiritus tuus,* qui, ut demonstrares dulcedinem tuam in Filios, pane suavissimo, de Coelo descendente, illos reficere dignaris.

— Insuper et nobis matrem donas,* ut per eam miseris facilius miserearis; illa pro nobis interveniente, et te parcente.—

— Impossibile est invenire ad quos tutius fugiamus Jesu et Mariae misericordiores,* vel quibus certius confidamus.

Recordatio nominis tui, o Maria, moestos laetificat;* errantes ad salutis revocat vias; et peccatores, ne desperent, affirmat;

Clemens poenitentibus;* dulce proficientibus et contemplantibus, sicut oleum effusum est nomen tuum.

Te invocanti, et, tecum, benedictum

filium tuum, ultimum sit animae desiderium meae;* et, tuum nomen et Jesu, supremus sit loquentis linguae motus.

Salvator mundi, salva nos;*quia per crucem et sanguinem redemisti nos.

Nobis circumeuntibus hostibus, deprecamur auxiliere* in mente inserens nostra memoriam passionis tuae et contemplationem.

Patris sapientia, veritas divina
Deus-homo captus est hora matutina
A notis discipulis cito derelictus
A iudaeis traditus,venditus,et afflictus.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum;
Et a falsis testibus multum accusatum;
Calaphis percutiunt manibus ligatum;
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli (gratum.
Crucifige clamitant hora tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum;
Caput eius pungitur corona spinarum;
Crucem portet humeris ad locum poe- (narum,
Hora sexta Jesus est cruci conclavatus
Est et cum Latronibus pendens depu- (tatus
Prae tormentis sitiens felle saturatus
Agnus crimen diluens, sic ludificatus !

Hora nona Dominus Jesus expiravit;
Eli clamans, Spiritum Patri commen- (davit;
Latus eius lancea miles perforavit;
Terra tunc contremuit, et sol obscura- (vit.
De cruce deponitur hora vespertina;
Fortituto latuit in mente divina;
Talem mortem subiit vitae medicina!
Heu! corona gloriae iacuit supina!

Hora completoria datur sepulturae
Corpus Christi nobile, spes vitae futu- (rae;
Conditur aromate; complentur scri- (pturae;
Jugis sit memoria mortis suae durae.

Ecce, quam nobis, post mortem et, Domini nostri Jesu Christi resurrectionem, remanet,* Crucem sanctam

Fugite partes adversae;* vicit Leo de Tribu Iuda, radix David.

Crux est, quam semper adoro; crux Domini semper erit mecum;*crux unicum mihi sit refugium.

Crux centies et millies in aeternum benedicta,* unica nostra salus, quia in ea Angelorum triumphavit Rex.

Salve crux sancta, salve mundi gloria,*vera spes nostra, vera ferens gaudia;

Signum salutis; salus in periculis;* vitale lignum, vitam ferens omnium.

Te adorandam,*te crucem vivificam;

Per te redempti, dulce decus saeculi,* semper laudamus; semper tibi canimus;

Per lignum servi;* per te sumus liberi.—

— Originale crimen recans in cruce,* nos, a privatis, Christe, munda piaculis;

Humanitatem miseratus fragilem;* Per crucem sanctam; lapsis dona veniam.

Protege, salva, benedic, sanctifica Populum cunctum,* crucis per signaculum;

Morbos averte corporis et animae;* hoc contra signum nullum stet periculum. —

— Sit Deo Patri laus in cruce filii* sit coequalis laus sancto Spiritui;

Civibus summis gaudium sit angelis; * honor sit mundo *crucis exaltatio.*

CANTICUM CX.

IMPRESSIO SACR. STYGMATUM S. FRANCISCI ASSISII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Factus est Dominus refugium pauperum;* adiutor in opportunitatibus et in tribulatione:

Sperent in te, qui nomen noverunt tuum;* quoniam non derelinquis quaerentes te, Domine.

Ego vero mendicus et pauper sum in senectute te mea;* Domine sollicitus esto mei.

— Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli etata desideria et nociva, in interitum mergunt homines et perditionem.

Radix enim omnium malorum,* est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt a fide,*et, multis conflictatis doloribus, tabescunt.

Nolite, viri fratres, thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi rubigo et tinea demolitur; * ubi fures effodiunt, et furantur.

Desiderium pauperum exaudit Dominus; * praeparationem cordis eorum auris audivit eius.

Beatus, cuius Deus Jacob adiutor est eius;* spes eius in Deo ipsius, qui coelum fecit et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.—

— Si spiritu, viri fratres, vivimus;* spiritu et ambulemus;

Non inanis gloriae et divitiae efficiamur cupidi;* invicem provocantes; invicem invidentes.

Non solliciti simus quid manducabimus, vel bibemus;* aut quid corpori induamus nostro.

En, qui pius terrena despicit;* et coelestia tantum appetit.

En Franciscus pauper et humilis, qui curam suam in Domino posuit;* et ipse eum enutrivit.

En Franciscus, in cuius carne, Dominus noster Jesus Christus, mundo frigescente, * ad nostra inflammanda corda, sui amoris igne, Passionis suae sacra renovavit stygmata.

Nobis et ipse concedat, ut eius meritis et precibus, crucem iugiter baiulemus, ut dignos poenitentiae afferamus fructus.

Jesum cruento stipiti
Fixum, crucis, sub aspero
Franciscus orans vertice
Ardens amore cogitat.

Utramque, clamat ferreis
Clavis manum quis sauciet?
Meumque dira Lanceae
Mucrone pectus vulneret?

Illi, ex Olympi culmine,
Quino rubescens vulnere,
Alisque amictus Seraphim
Repente Christus advolat.

Et quina torquens spicula
Mansuro in aevum Stygmate,
Manus pedesque largiter,
Pectusque amantis confodit.

Quid tunc tibi solatii
Moeroris ; aut quid obtigit,
Francisce, amoris fortior,
Doloris an sensus latet ?

O quae vident miracula
Silvae silentes ! grandia
Quae gesta solitudinis
Inter sacrae commercia !

Nusquam beatis extitit
Nitens magis fulgoribus
Eremus ; Alpes incola
Tali fruentes gestiunt !

Circum gemens, ut assolet
Moerens Columba, lacrymis
O quam perfusis, devia
Profundit umbrarum loca.

Corpus relicta, non semel,
Tellure; sursum spiritus
Ardeus agit, ceu vivido
Ex igne moles evolat.

Felix recessus, gaudia
Cui miscet ales nuntius ;
Auresque coelesti Lyra
Pectus mulcet anxium ! —

— Attollamus manus nostras in sancta; respiciamus stellam,*vocemus Mariam Sanctorum omnium Reginam.

In rebus dubiis, in angustiis, in periculis, unguentum levaminis est nomen eius;* intellectus consilii et pietatis.

Mariam invocemus in scopulos tentationis in currentes,* et desolationis.

Mariam, pro vivis et pro defunctis propitiam exoramus,* ad praecelsum et tremendum accedentes Sacrificium.

Ecce Domina salvatrix nostra,*aquas in gaudio hauriemus de rivulis Filii tui, nomen invocantes sanctum tuum.

Custodi nos, Maria,* ne peccatorum capiamur laqueis.

Non dormit, neque dormitabit pu-

pilla oculi tui,* quia tu es mater illuminationum nostrarum;

Tu nutrix,* pietatem refovens animarum nostrarum.

Da, ergo, flammis amoris tui aestum naturae devineare;*ne structis tuis diabolus territet insidiis.

Tristitiam, lentosque metus curasque paventes,* de nostro penitus discute, Virgo, sinu.

Quae vis Francisci sacra stygmata corpore fixit;* inque novam Christi transtulit effigiem;

Illa eadem nostros, per te, pia Virgo, penetret sensus; * et Christi figat amore sinus.

POST COMMUNIO

Da quaesumus Domine; * ut, quae divina sunt iugiter exequentes, donis mereamus coelestibus abundare.

— Super aquas refectionis enutristi me; * et animam errantem convertisti meam.

Deduxisti me super iustitiae semitas; * tu mecum es;

Mala non timebo; * etiamsi in medio ambulavero umbrae mortis;

Virga et baculus tuus, quibus me corripuisti et sustinuisti, * ipsa me consolata sunt.

Ignem, grandinem, nivem, spiritum procellarum, quae faciunt verbum tuum non pertimesco, * curam et pavorem meum iactans in miserationibus tuis.

Revera planctum meum in gaudium convertisti mihi; * quia, per mortem et passionem tuam, saccum conscidisti meum; et mihi laetitiam tribuisti resurrectionis.

Et quae mihi in Sanguine tuo esset utilitas, si descendens in sepulchrum,* et corruptionem incurrens cito non resurgam?

Indeque sortem electorum adipiscar, * inter angelos pacis?

Quando dolores, et Inferni pericula supervenient in me, nomen invocabo tuum; * omnem retropellens timorem.

Expertus sum, quod misericors et iustus es; * ideoque animam ex nunc libera meam.

Et secundum aerumnarum multitudinem, consolationes me laetificent tuae; * et, cor meum illustrando, coelesti inardescat amore.

Gratias tibi iterum ago, Deus meus, quia oculos a lacrymis abstersisti meos, * et animam a morte liberasti aeterna.

Et ambulans nunc coram te in viam mandatorum tuorum, * firmiter per gratiam tuam, spero vitam vivere sempiternam in regione beatorum.

Praesta, beata Trinitas,
Nostris affluat cordibus;
Et vana mundi spernere
Elargiatur Spiritus. — Amen.

CANTICUM CXI.

FESTUM S. JANUARII EPISC. ET MARTYR. PRAEC. P. C. ET R. N.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Dominus exercituum nobiscum stat; * et susceptor noster est Deus Jacob.

Venite et videte omnes, quanta Dominus posuit terribilia prodigia super terram, * ad inimicos evertendos animarum nostrarum.

Arcum conterit, et eorum confringit iacula; * et scuta in flammam proiicit comburentem.

Qui aversantur te, superbientes extulerunt caput suum; * et fremitu magno sonuerunt ad arma contra Ecclesiam tuam.

Conturbatae sunt gentes; * inclinata sunt regna contra nos foederata;

Dominus excitavit servum suum Januarium, vocem dedit in sanguine eius; * et ingenti illo pavore iacuere perculsa.

Dispersisti impios, sicut stipulam

siccam ante faciem venti; * tu solus es Altissimus in omni terra.

Etiamsi in posterum turbetur terra: * et in concussu eius, transferantur montes in cor maris, minime timebimus.

Inclyte protector noster et amabilis, nostrum es munimen et refugium in calamitatibus, * quae iamdiu regnum et civitatem nimis invenerunt istam.

— Ecquis similis tibi Deus in sanctis tuis? imple adhuc, bone Jesu, faciem inimicorum nostrorum ignominia; * ut nomen timeant tuum.

Ne ob nostra sileas peccata: * neque ab auxilio ferendo compescaris.

Eripe, Domine, ab oppressione potentis egenum et pupillum; * humilem et pauperem.

Eripe, piissime, omnes, qui in tenebris et morte peccati sedent; * surge, Domine, expergiscere, diabolicas dissipa fabulationes factiosorum, et iudica terram delirantem.

Sed nunquam ne irascaris nobiscum; * rubrum adhuc et vivum sanguinem aspiciens martyris Januarii placationem extende.

Nusquam amplius accendatur zelus tuus, * et velut ignis devorans contra nos exardescat.

— Respice, Deus omnipotens, ad Mariam; * quae laus est martyrum, et gloria virginum.

Respice quaesumus, et, oblatis propitiare muneribus.

Ipsa te rogante, non desperabimus; * ipsa ducente, non corruemus.

Ipsaque protegente, * ad portum perveniemus salutis.

Multa et mirabilia dona tua sunt, Domina nostra, * incomparabilia munera sunt gratiarum tuarum.

Magna es, o Maria, * et landabilis valde in universa Ecclesia electorum;

Ascendisti alternantibus hymnicinis angelicis choris, * Archangelis constipata Rosis, et Liliis coronata.

De excelso throno gloriae tuae, pacem et indulgentiam, virgo, impetra nobis; * palmam de inimicis et triumphum.

Sic, Domina, nobis clementiam infunde tuam; * ut, post susceptum Dominum in Sacramento Eucharistiae, devoti vivamus, * et, laetantes in ipso moriamur.

POST COMMUNIO

O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, * quam abscondisti timentibus te.

O vera ardens fides eorum, * probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae in eis;

Isti veraciter cognoscunt te Dominum Jesum in fractione panis, * quorum cor valde per te ardet.

Pro te, qui panis es angelorum, * cibusque viatorum.

Concede dulcis et benigne, etiam mendico tuo modicum de cordiali affectu tuo in sacra sentire Communione; * ut tua inebrier suavitate.

Ita fides magis convalescat mea; * spes in bonitate proficiat tua;

Ita charitas, semel perfecte accensa, * et coeleste experta manna, nunquam deficiet.

Haec, et nobis omnibus, viri fratres apud Deum, * impetret beatus Januarius.

Ipse, in conspectu praesidis, bonum certans fidei certamen, * bonam confessus fidei confessionem coram testibus multis;

Magistratus, iudices, et potentes regis, * virum contemplabant illum;

Quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corpore eius; * et capillus capitis eius non esset adustus.

Manus Domini facta est super servum suum, * accinctisque lumbis currebat ante praesidis rhedam, donec veniret ad locum martyrii.

— Ad te, Domine, nostra dirige corda, ut spiritus tui fervore concepto, * in fide inveniamur stabiles, et in operere efficaces.

— Paveant habitatores omnes Deum nostrum in universa terra; * ipse est Salvator faciens signa et mirabilia; quia, de lacu leonum, servum liberavit suum.

Jannario, ob fidem defuncto, mortuum corpus prophetavit eius; * in vita sua prodigia fecit, et mirabilia operatur deinceps.

Praesulis, Clerus, populusque nomen
Martyris laudet, celebretque palmas,
Et suo, laetis modulis, Patrono
Concinat hymnum.

Bestias, ignes, gladios minatur,
Ac necem Judex, furibundus ira;
Addit athletae validas superna
Gratia vires.

Horret idolis adolere thura;
« Dentibus, clamat; minuar ferarum;
Igne consumar; feriar securi
Victima Christi ».

Hinc vomit flammas metuenda fornax,
Rugiunt illinc truculenta bruta;
Jussa Lictores faciunt, eumque
Perdere certant.

Angelus Coelo volitans ab alto:
Imperat flammis crepitante in aestu;
Quae recedentes, venerantur almi
Praesulis artus.

Inde procumbunt, feritate missa,
Ad pedes eius, placidi Leones;
Strenuo optatam pugili coronam
Detulit ensis. —

— Sint tibi plausus, decus atque virtus;
Cuncta qui nutu regis, et beatum
Martyrem, claro decoras triumpho
Omne per aevum.

CANTICUM CXII.

DOM. XVI. P. PENTEC. — FEST. DOLORUM BEATAE MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Pater meus, intellige super me, quia egenus et pauper sum, * in die mala libera me.

Conserva me, vivifica me, beatum me fac etiam in hac terra miseriae; * utique animam ne tradas meam in manus inimicorum meorum.

Si quando aegrotavero, * tu opem adduc super lectum doloris mei.

Passiones meae dixerunt mala mihi, et imprecatae sunt, dicentes * « quando morietur, quando nomen peribit eius. »

Ita verbum iniquum constituerunt perficere adversum animam meam; * ut perderent eam.

Sic etiam irrisorie addiderunt mihi; * « numquid, Domine, adiicies coeteris tuis miraculis, ut suscites eam ad vitam gratiae et misericordiae? »

Pater meus et Dominus meus, confunde in bonitate tua perfidiam iniquorum; * miserere mei, et resuscita me.

Etenim, ut in me inhabitet gratia Christi; * gloriari nequeo nisi in infirmitatibus meis.

Et ut in pace tandem dormiam tua, et requiescam, * singulariter in spe constituisti me.

Tibique vivam, tibique tandem moriar, * pretiosa est in conspectu tuo mors sanctorum tuorum.

Credo, Domine, potentem te esse depositum deinceps servare meum, * in die resurrectionis universae carnis.

Hanc ipsi videant iniqui; * et dentibus fremens et tabescant suis.

Videant, * quia misertus es mei;

Et quia, antequam caro in sepulchro requiescat mea, notas mihi facis vias, quibus exciter; * et perpetuae resurgam vitae.

— Attendite vobis, viri fratres; * aerumnis circumdamur et periculis infinitis;

Periculis in civitate; periculis in solitudine; * periculis in terra, periculis in mari;

In labore, periculis; in vigiliis; in fame, et in siti; in ieiuniis, * in frigore et nuditate.

Periculis in omni conditione et statu; * periculis ex parte Diaboli, et etiam in falsis fratribus.

Facti sumus opprobrium proximis nostris; * subsannatio, inquam, et illusio his qui in circuitu sunt nostro.

Quando culpis provocamus
Ultionem iudicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia;
Ingruentium malorum
Tunc recedunt agmina. —

— Adiuva nos Deus, salutaris noster; * et propter nomen sanctum tuum libera nos.

Amplius ne memineris iniquitatum nostrarum, * ne forte dicant « Ubi est eorum Deus? »

Ita confitebimur tibi in saeculum; * in generationem et generationem laudem annuntiabimus tuam.

— Et tu, dolorosa mater mea, praescia futurae indignitatis meae, et passionis filii tui, longum in cogitationibus martyrium pertulisti.

Nullam tu horam, habuisti, * sine tribulatione transfixi cordis!

Ave dulcis Mater Christi
Quae cor tuum gladio,

Trasfigendum discis tristi
Senis vaticinio;

Tanti memor fac doloris
Mihi sis praesidio;

Ut per vallem hanc moeroris
Coeli reddar gaudio.

Dederunt filio tuo in escam fel; * et in siti suâ potaverunt eum aceto.

Persecuti sunt eum propter scelera mea, * et super dolorem vulnerum suorum, novas addiderunt plagas.

Tinctam, ergo, Christi sanguine
Convertite in me cuspidem,
Ferite cor, pedes, manus,
Poenas a nocente sumite.

At, quaeso, culpis debitas
Quas iure plagas figitis
Cruore Divino illitae
Fiant medela spiritus.

Sit gressus ad malum impotens,
Manus nocere desinant,
Omnisque corde e saucio
Profanus ardor exeat.

Ideo, virgo mater Dei, * recordare dum in conspectu Domini resides;

Loquere pro nobis bona, * ut indignationem a nobis avertat suam.

Magnam impetra nobis devotionem, * ut gratanter, sacram accipiamus Eucharistiam.

In igne amoris tui, frigiditatem accende nostram; * ut, claritate praesentiae tuae, caecitatem mentis illumina nostrae.

In cogitatione nostra incedimus contristati valde; * quia iudicia Dei perterruerunt nos.

Sed in spe, et in solitudine, * consolationem expectamus tuam.

Quemadmodum cervus ad fontem desiderat aquarum; * ita anima desiderat nostra pervenire ad te Deus.

Et ad te ingrediatur, * in voce exultationis et laudis.

Et tu, excipiens eam, sine, ut in mensa laetetur tua, * sicut strepitus epulantis turbae in conquisitissimo convivio.

POST COMMUNIO

Accipe vota mea, Domine Deus meus; * et desideria infinitae laudationis, ac immensae benedictionis.

Tibi iure debentur; * secundum multitudinem magnitudinis tuae.

Omnium offero devotorum cordium iubilationes, * ardentes affectus, et mentales excessus;

Supernales etiam tibi offero illuminationes; * et coelicas visiones.

Haec tibi exhibeo, quatenus insufficientiae suppleantes meae, ab omnibus, secundum desiderium meum, digne lauderis; * et in perpetuum glorificeris.

— Laudate, viri fratres, nomen Domini, quoniam suavis est; * et in aeternum misericordia protenditur eius.

Servite ei in laetitia;*introite in conspectu eius in exultatione.

Attendite, quod ipse fecit nos, et non ipsi nos, * populus eius sumus, et oves pascuae eius.

Magnificentia misericordiae eius super nos redemit nos in sanguine suo: * quis, Domine in bonitate et potentia similis tibi?

Domine Jesu, dulcissimam animam gloriosae matris tuae, doloris pertransivit gladius; * et tecum compassa est pro nobis;

Concede propitius nobis, ut qui dolores eius venerando recolimus, * passionis tuae meditemur amorem et sentiamus effectum.

Et ut hoc feliciter eveniat, * insere beata mater in medullis cordis nostris septem verba, ex ore filii tui, in cruce prolata.

Ave Jesu qui mactaris,
Sed tortorum deprecaris
Patrem, culpae parcere:
Prompta fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere,
Corde, verbis, opere.

Ave Jesu, qui Latroni
Poenitenti, summi boni
Promisisti gratiam:
— Tali nos contritione
Nunc et mortis in agone
Fac mereri veniam.

Ave Jesu qui praesentem
Cruci matrem, heu dolentem
Commendas discipulo;
— Pari nos tuere cura
Per te constet mens secura
Quovis in periculo.

Ave Jesu, qui dixisti
« Pater quid me reliquisti
Tantis in suppliciis? »
Ne nos linguas ut ruemus,
Semper tecum persistamus
Fortes in angustiis.

Ave Jesu qui testaris
Sitim, felle sed potaris,
Tu qui pascis omnia:
— Fac aeterna nos sitire
Mundi carnis fastidire
Fugitiva gaudia.

Ave Jesu *consummasti*
Jussa Patris, et donasti
Tua nobis merita:
— Bene fac nos inchoare
Sed et plene *consummare*
Tua beneplacita.

Ave Jesu, qui sermonem
Morte claudens, et agonem,
Patri tradis animam:
— O mortua nos emundet,
Vitam bonis fac foecundet
Mortem det tutissimam.

— Ecce nos vidimus eum non habentem speciem, neque decorem; * aspectus formosissimus eius in eo non est amplius.

Hic nostra portavit peccata; * et pro nobis dolet.

Vulneratus est, propter iniquitates nostras, attritus est, propter scelera nostra; * et eius livore sanati sumus.

O mea dolorosa mater, et tu sustinuisti in corde, * quanta filius in corpore per passus est tuus.

O quot undis lacrymarum
Quo doloro volvitur
Luctuosa de cruento,
Dum revulsum stipite
Cernis ulnis incumbentem,
Virgo Mater Filium!

Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum
Dexteramque vulneratam
Et sinistram sauciam,
Et rubras eruore plantas
Ægra tingit lacrymis.

Centiesque miliesque
Stringit arctis nexibus:
Sacrum pectus et lacertos
Figit illa, et vulnera,
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis. —

— Eia Mater, obsecramus,
Per tuas has lacrymas
Filiique triste funus
Vulnerumque purpuram
Hunc, tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus. —

— Esto Patri, Filioque
Et coaevo flamini

Esto summae Trinitati
Sempiterna gloria
Et perennis laus, honorque
Hoc, et omni saeculo.

CANTICUM CXIII.

FESTUM S. MATTHEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1).

Sermo Dei virtus est efficax et omni ancipiti gladio penetrabilior.

Pertingens usque ad animae divisionem;* et spiritus quoque compagum ac medullarum.

Discretor est cogitationum, et intentionum cordis.

Voca me, Domine, in voce magnitudinis misericordiae tuae;* ut, citissime, in viam curram mandatorum tuorum.

Excelsus es, Domine,*et humilia benigne respicis, sicut alta cognoscis a longe.

Si ambulavero in medio tribulationis, et dexteram protendes tuam;* vivificabis me, et salvum me facies.

In quacumque die invocavero te, exaudi me,* et sic benedictionem et virtutem in anima multiplicabis mea.

Tu Domine, qui exaltas et humillas, afflictionem vide et considera meam.

Exurge;* manus exaltetur tua intendens ad clamorem meum.

Miserere mei, quoniam defecit in dolore anima mea* et anni mei in gemitibus traducuntur.

Repleta est despectione anima mea;* dextera virtutis tuae ab opprobrio eripiat eam.

Memor sum mirabilium tuorum,*et iudiciorum oris tui.

Confitebor tibi, quoniam bonus,* quoniam in saeculum saeculi misericordia tua vivificabit me.

Vias custodivi duras propter verba labiorum tuorum;*gressus perfice meos in semitis tuis ne vestigia commoveantur pedum meorum.

Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te;* custodi me ut oculi tui pupillam.

Sicut Gallina suos subducit pulios e manu subtractorum;* ita sub umbra me protege alarum tuarum.

Patres nostri cibum petierunt in deserto ad manducandum;*el manna coeli saturasti eos.

Cum ipsi sitirent, petram aperuisti in Horeb;* et in arido Deserto scaturierunt et fluxerant aquae.

Satia etiam nos famelicos de pane mirifico isto e coelo praestito;* et nos, filios adoptionis tuae esurientes aqua pota refectionis tuae.

Igne tui inflammati amore, conspectui tandem tuo iustificati appareamus;* tunc in gloria satiabimur tua.

Peregrinamus ad coelestem Hierusalem;* ad te, bone Jesu, oculos extollimus nostros.

Ecce oculi nostri defixi ad te Dominum Deum nostrum,* qui nos in exilio flagellari permittis, donec miserearis.

— Apostolici reverentia culminis sacra tibi, Domine, mysteria offerimus,* et consecramus;

Nemini sancto tuo omnis sit gloria et honor; * et tu nos ab omni emunda impietate.

Et, quaesumus, ut beati Matthaei evangelistae supplicationibus, * eius magnificis erudiamur praedicationibus.

POST COMMUNIO

Credo in te, Deum meum; * et spem meam, in salutari tuo, nunc repono et in saecula.

Mihi pravum el exasperantem, panem Angelorum ad manducandum dedisti;* misericors et miserator me satiasti et potasti.

Defecerunt in vanitate dies mei; * et anni, cum festinatione, transierunt mei.

Spiritus meus vadens est, velut in

exufflatione;* et non idem amplius ad eamdem rediens viam.

Redemisti me, Deus in Sanguine tuo;* et non sum recordatus operum tuorum.

Adhuc tentavi te Deum et sanctum;* iram concitavi tuam;

Sed tu recordatus, quia caro sum et in peccato conceptus,* propitiatione magna, peccatis pepercisti meis;

Dulcis et rectus es,* propter quod legem das delinquentibus in via mandatorum tuorum.

Innocentes et recti adhaerent tibi,* et tu de laqueo pedes avertis eorum.

Poenitentes vero et mansuetos, testamentum et testimonia requirentes tua,* in misericordi dirigis iudicio.

Sic et anima mea in bonis demorabitur,* si legem mihi statues in via quam elegi.

Propterea offero tibi, Domino Deo meo, gloriam et honorem;* adoro te vivum et verum in templo sancto tuo.

Diluvium inhabitare facis tu, Domine,* animam deduxisti meam in semitas rectas, per viam pacis.

Amor Jesu dulcissime
Quando cor nostrum visitas,
Pellis mentis caliginem
Et nos reples dulcedine.

Quam felix est quem satias,
Consors paternae dexterae,
Tu vere lumen Patriae
Quod omnem sensum superat.

— Loquere nunc mihi, Domine, quia servus audit tuus;* vox tua in virtute; vox tua cedros confringens Libani;

Vox tua, per os sanctorum apostolorum,* intercidens flammam ignis:

Vox Evangelii tui,* in magnificentia concutiens desertum;

In omnem terram auditum fecisti sonitum evangelizantium pacem;* et in finem orbis terrae, vocem Redemptionis tuae!—

— Deus meus, et adiutor meus,* ex omnibus finibus terrae.

Tibi iterum angorem, repraesento meum, et aerumnas fratrum, propinguorum et benefactorum meorum;* libera nos ab omnibus tribulationibus nostris.

Tu fortitudo plebis tuae, et protector salvationum Christi tui;* ne derelinquas nos cum operantibus iniquitatem.

Salvum fac populum, quem per crucem redemisti tuam;* et benedic haereditati tuae;

Rege nos et extolle illos usque in aeternum,* virtutes infunde, et benedic in salutem.—

— Perceptis Domine, Sacramentis, beato Matthaeo apostolo tuo et Evangelista interveniente,* deprecamur, ut veniam nobis tribuas, et sempiterna concedas remedia.

— Et tu, o beata Maria, revertere ad nos,* remedia conferens, ponens fortitudinem.

Tu fons indeficientis laudis et pietatis;* quae quanto amplius protenditur, tanto plus impletur,

Et quanto plus impletur,* tanto magis dilatatur.

Tu aromatum areola:* ex qua iustitiae odor ortus est;

Doctrix tu apostolorum,* et Evangelistarum.

Quia tu mirificum es opus,* quod solus supergreditur Opifex.

Notat virgo florigera,
Quae naturae non opere
Efficitur fructifera,
Sed puro Dei munere,
Quod debebat concipere,
Virgo nova puerpera
Novum fructumque parere
Post partum Virgo libera.

Ergo, vere, virgo Parens,
Germinasti campi florem,
Dei Patris Verbum parens
Mundi Salvatorem,
Puritatis et decorem
Non amittis, sorde carens
Charitatis fundens rorem
Quo rigatur mundus arens.

Etiamsi omnium nostrum membra

verterentur in linguas,* te nniius o Maria, laudare sufficeret.

Et, quomodo fieri poterit, ut ex memoria tnarum laudum, non nobis proveniat salus;*cuius uterus via facta est ad peccatores saivandos?

Ergo, ostende nobis faciem misericordiarum tuarum;* saivi erimus: et te in aeternum, cum filio, laudabimus tuo.—

— Uni Trinoqne Domino
Sit sempiterna gloria;
Peccantium qui crimina
Remittit, et dat victoriam.

CANTICUM CXIV.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Salvnm me fac Domine,* quoniam multiplicati sunt snper capilios capitis mei, qui sine causa, oderunt me.

Opprobriis exprobant me;factus sum illis in paraboiam et dicterinm:* quia a mandatis non declinavi tnis.

Et quia, propter peccata mea,* posui vestimentnm menm cilicium.

Et nnnc, in mnltitndine misericordiae tuae,* properet in me tempus beneplaciti tui, Dens.

Et ita, quantum est in me,* bonis exequar operibns.

Custodi me in veritate et sanctitate tua,* ne perversorum circnmveniar fabnlationibus.

Eloqnia et promissa tua, Domine,* eloquia snnt casta et fideiia.

Purissima veiut argentum examinatnm:*et, in fusione terrae, septnpium probatum.

Nihilosecius, stulti et impii homines, in praesenti passim violant ea,* ad celebrandas failacies.

Custodi ergo nos, Domine, secundum eloquium tuum,*in veritate et sanctitate tua:

Ut tibi sancta iugiter,* sancto valeamns iitare meute et corde.

Credo, quod, morte et passione tna suscepisti me salvandnm;* credo quod in bonitate resurgam tua,et vivens immntabor.

Et quare nnnc sic contristatus incedo:* dnm non nisi, te Domine permittente, peracriter affligit me inimicus?

Die ac nocte sunt mihi iacrymae familiares sicut panes,* dnm, per iudibrium, importnne dicunt,* «Dens tuus ubi est»?

Confirmati snnt viribus me;* iibera me ut confitear nomini tuo iu aeternnm.

Sed dignum et instum est ut me tribuient,* nonne recessi a te rreatore? et te Redemptorem dereliqui meum?

Nonne provocavi te?* et in vanitatibus patientiam irritavi tnam?

Sed si mansero in patientia et charitate, cor, in finem, exuitabit meum in anxilio saintaris tui,* et glorificabis me.

Opera tua, Domine, perfecta snnt;* et, sive pnnias, sive remuneres; omnes viae tnae iudicia recta.

Fideiis es,*et semper quae promittis impies.

In terra deserta, in locum horroris, et vastae soiitudinis,* ab ingruentibus me cnstodias mendaciis et calumniis.

Arida vivebat anima mea omni destituta consolatione;* memor fui tui, et, prae suavitate, spiritns defecit meus.

Idcirco indica me Domine, iudicio misericordiae,* ita semper iu servos misertus es tuos.

Deduc me in firmitate iustitiae tuae, ne a maiignis decipiar; vel ab eornm concutiar terrore.

Tenebras peccatornm meorum a conscientia depeiie,* et tu oriens iustitiae Soi,crassam reforma ignorantiam meam in sapientia Evangelii tni.

Proinde, si denuo insurgat adversum me, respondebo, * « iiluminatio mea et protector meus est Dominus Deus meus. »

A quo ergo trepidabo si consistunt adversum me castra?* nonne iu hoc ipso in te sperabo?

Expectans, ergo, expectabo patiens, donec intendas mihi.

Deduces me tandem in montem sanctificationis tuae;* quem dextera acquisivisti tua.

Et habitare me facies in tabernaculo; quod tu spiendide fundasti.

Praebe nunc mihi manuum innocentiam, et cordis munditiem,* ut ascendere possim et stare in loco sancto tuo.

— Beata est Virgo Maria, quae, ob assensum, primatum obtinuit orbis, dominium mundi, sceptrum Regni super omnes creaturas,

Illa, cuius ubera pietatis sunt sicut Turris,* cuius culmen coelum pertingit.

Iiia, subiimata post Christum, gioriosa, quae Regina est promeritae haereditatis Regni eius;* reperiat eorum eo pro nobis pacem.

Universi debitores tui sumus Domine Jesu,* tu vero debitor es ei;

Ita quasi exsoivens, debitum,* petitiones pro nobis imple suas.

Roganda es, mater mea, ut veiis,* sed si vis, necesse est ut fiat.

Moveat ergo te natura, moveat et potentia;* quia, quanto potentior, tanto misericordiosior esse debes.

Memorare, quod ipsa Ecclesia, non est tantum sub tuo patrocinio; verum etiam sub potestate et dominatione.

Eia ergo dispone omnes nos in benepiacito tuo attingere patriam;* et ad hoc, voce pia, Deum exora, virgo Maria.

Et nobis, tuis manibus sacramentum praebe pietatis, viaticum viatorum.

POST COMMUNIO.

Unam rem petii a te Domine, * ut inhabitem in domo tua cunctis vitae meae diebus;

Ut videam pulchritudinem, venustatem et suavitatem tuam;* templum visitans tuum.

In tabernaculo tuo iaudis immolans Hostiam, * rhitmos, et psaimos tibi condidi novos.

Exquisivi te Deus meus ex toto corde meo; * nec aliud quam videre nunc faciem requiro tuam.

Pone mihi legem sapientiae et iuminis tui; * dirigens me iu semitam rectam usque in finem.

Expecto te, Domine, viriiiter agens, et aiacriter sustineo; * sperans in terra viventium bona videre tua.

— Mentem, benignus, coeiestibus meam renova Sacramentis; * fidem, spem, charitatem: et cordis renova contritionem;

Ut praesens pariter, * et futurum consequar auxiiium.

— Vovete, viri fratres, * et reddite Domino Deo nostro Jesu Christo;

Omnes, qui in circuitu eius sunt, * ubique affertis ei munera;

Venite et canite ei hymnum, * quia, ad nos redimendos et gioriﬁcandos, passus et mortuus est.

— Ave Jesu, qui cruorem
Tener fundis, et laborem
Subis ab infantia;
Ut servemur a peccatis
Cor, os, sensus puritatis
Fac ornari gratia.

— Ave Jesu, quo sudore
Mades orans, quo pavore
Nostra luis vitia:
Fac non altum sapiamus
Sed et casum timeamus
Junctum cum superbia.

— Ave Jesu laniatus
Diris flagris non turbatus
Stas profusus sanguine:
O fac nobis Crux dulcescat,
Vincens iram, mens mitescat
Saevo vacans crimine.

— Ave Jesu coronatus;
Heu quam larga purpuratus
Stas cruoris copia:
Trahat sursum spiritalis
Nos voluptas, non carnalis
Ventris ad obsequia.

— Ave Jesu, dum nudaris,
Refricatis cruentaris
Graviter vulneribus;
Christe tibi fac iungamur
Nudi nudum te sequamur
Liberis affectibus.

— Ave Jesu, qui transfossis
Cruce membris, plenis fossis
Sacrum fundis sanguinem
Ardor tui fac amoris
Urat nos, et vi fervoris
Arceat torpedinem.

— Ave Jesu, qui sacratum
Cor dar nobis ditatatum
Fontem pandens gratiae
Aquae lavant, sanguis ornat
Et nos duplex amor formet
Nescios invidiae. —

— Sanctificationibus tuis, omnipotens et sempiterne Deus, vitia Isia curentur nostra, * et remedia nobis proveniant salutis et pacis.

Per te, Domine, fragilitas subsistit nostra: * ita ut quae sua alteritur conditione, tua relevetur clementia.

— Advocamus Mariam, * dulcem advocamus matrem, admirabilem super omnia sanctorum agmina.

Ipsa meruit pro liberandis proferre pretium, * ipsaque potest, plusquam omnibus liberatis suffragium impendere.

Omnibus est potentior sanctis; * et pro nobis sollicitior omnibus.

— Deus charitas est; * pacem nos, et charitatem diligentes in eo manebimus et ipse in nobis.

Amodo, viri fratres, ad pacem, * ex toto corde et viribus accedite inquirendam.

Nomen advocemus Jesu, nomen dulce, * eique admirabile iterum alium canamus hymnum.

Jesu, Rex amabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Mundi vilescit vanitas,
Tunc lucet ei veritas,
Et intus fervet charitas.

Jesu, dulcedo cordium
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum
Veramque pacem cordium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem eum poscite,
Jesum ardenter quaerite
Quaerendo inardescite.

Te nostra, Jesu; vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant;
Et nunc, et in perpetuum.

CANTICUM CXV.

DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Praecinamus Domino Deo nostro; * qui ubique suae potentiae sapientiae et benignitatis signa praebet.

Magnus est Dominus noster, magnaque fortitudo eius; * et sapientiae eius non est numerus.

Ipse operit coelum nubibus, et terrae parat pluviam; * ipse in montibus foenum producit, et herbam servituti nostrae desideratam.

Dat ipse iumentis escam, * cunctisque avibus garritu invocantibus eum.

Numerat ipse multitudinem stellarum, * et omnes nominatim vocat.

Mirabiles elationes maris, * mirabile est coeli paludamentum;

Sed magis mirabilis Deus noster in iis, * qui in terris et in coelis nomen laudant eius.

Ipse multitudinem creavit Angelorum, * et mandat eis, ut protegant mansuetos in salutem.

Et ut humilient usque in terram peccatores,* et contritos corde sanent, vulnera alligantes eorum;

Et ut, per synderesim et flagelia, misericorditer corripiant nos, * et omnem nos scientiam doceant.

Dominus regnat et imperat, * exultet coelum et terra; et omnes laetentur creaturae eius.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; * domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Laudemus eum cum Angelis suis; * quoniam mandavit eis ut Ecclesiam custodiant suam.

Ideoque, et sub Angelorum custodiam eam perenniter fertilem,* diversis sed unius agri pomis, cernimus.

Nunc integritatis flore vernantem; modo viduitatis, gravitate pollentem;* et etiam coniugii redundantem fructibus.

Sit iucunda, sit decora perennis iubilatio nostra; * quia terrestrem Hierusalem in magnificentia praeparavit virtutis suae, ut per eam coelestis impleatur.

O beata pacis visio, in qua proximi mei, mater propingui, parentes, sorores, uxor in aeterna consistunt prosperitate,ad quos et ego coniungi quantocius aspiro.

Civitatem tuam, Domine, fundasti ut duret in aeternum, sicut a Patribus audivimus nostris; * et sicut nos ipsi, in pietate tua nuper videre speramus.

Haec nostra erit in saeculum requies, * hanc inter omnes civitates, dedita eligimus opera in optabilem domum.

Quoniam lumine ineffabili, indeficientis lucerna sancti Spiritus viget; * et aeterna in ea sanctificatio regni floret tui.

Tibi conferta millium
Ducum corona militat;
Sed explicat victor Crucem
Michael salutis signifer.

Arcis supernae Principem,
Ducemque sanctorum agminum
Divae ministrum virginis
Laeto sequamur Carmine.

Hic signa praefert gratiae,
Tutamque sternit ad polum,
Inter furentes hostium
Minas, fidelibus viam.

Teneamus acri in proelio
Exempla tam clari ducis;
Clamemus in hostes feros
« Quis ut deus? quis ut Deus?

Haec arma tutos servulos
Reddant portentis virginis
Et Michaelis agmini
Partis triumphis aggregant.

Millia millium ministrant tibi, Domine, * et decies centena millium tibi assistunt omnipotenti.

Inter quos Michael Archangelus Paradisi praepositus; * qui venit in adiutorium populo Dei.

Honorificarunt eum Angelorum cives, et gloriosus apparuit in conspectu tuo Domine; * propterea decore induisti eum.

Factum est silentium in coelo, dum committeret bellum Draco et Angeli eius; * non praevaluerunt, neque locus amplius inventus est eorum!

Ascendit fumus aromatum de manu Archangeli, * in conspectu Dei nostri.

Beatus Michael, tu saepius nobis consolator apparuisti, * et defensor.

Et olim synagogae Judaeorum, * sic nunc custodem, et Ecclesiae Dei te veneramur patronum.

Supplex acta furentibus Christi Ecclesia fluctibus, * de coelo auxilium rogat, ac te fletibus invocat.

Exurge, nunc; in adiutorium praestolare; * tu res aspice perditas, neve in deterius ruant.

Christe sanctorum decus Angelorum,
Auctor humani, generisque rector
Adspice instantes Erebi catervas
Bellaque mundi.

Angelus pacis Michael ab alta
Coelitus mitti rogitamus aula;
Ut frequenter se veniente crescant
Prospera cuncta.

Hinc Dei nostri Genetrix Maria,
Totus et nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.

Beati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices te, Domine, deprecamur, * ut, quod ore prosequimur, contingamus et mente.

— Omnis ratio, viri fratres, et investigatio naturalis, * fidem in Sacramento Eucharistiae sequi debet, non praecedere, nec infringere.

Nostra intelligentia debilis est et fallitur; * vera autem fides nunquam falli potest.

Novimus, quia Deus, aeternus, immensus, infinitaeque potentiae, magna et inscrutabilia in coelo facit et in terra; * nec est investigatio mirabilium operum eius.

Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana caperentur ratione, * non mirabilia nec ineffabilia dicenda essent.

Laudent te, Domine, * quicumque reverenter ac devote altissimum tuum celebrant sacramentum;

Et qui cibum Eucharisticum, * plena recipiunt fide!

Cumque gratiam et misericordiam, * apud te invenire meruerunt!

Et bene consolati, mirificeque refecti, * de sacra coelesti abscesserint mensa!

Isti pro me viventem, vel vitae functum, * suppliciter exorent.

POST COMMUNIO

De perceptis muneribus gratias exhibens, tibi Domine, * oro ut potiora tua sumam beneficia.

Retribue, Domine, gratiam servo tuo, vivifica me, * ut perfecte sermones custodiam tuos.

Revela oculos meos, * et mirabilia considerabo de lege tua; * et arcana sacramenti mysteria tui.

Incola adhuc ego sum in terra deserta; * concupiscit anima mea desiderare, cognoscere, et iustificationes facere tuas omni in tempore.

Fortifica manus meas ad praelium; * pone ut sint fortia, velut aereus arcus, brachia mea.

— Protegat me in abscondito tabernaculi sui virgo Maria; * per quam coelum apertum est.

Per quam Purgatorium evacuatur; * miseris, damnationem merentibus, vita est data; et coelestis instaurata urbs Hierusalem.

Tabernaculum securitatis est cor tuum a Domino fabricatum; * in quo solus Deus ingressus est, sacra mysteria, pro nostra in te, operaturus salute.

Tu impetum retundis adversantium Daemonum; * viventibus et morientibus, non tantum succurris, sed accurris.

Consolationem et refugium habentes, non timent; * sed protecti, et per te benignissimam Matrem sublevati, putant dulce esse mori.

Misericordiosissima, non iniquis peccatoribus tantum, * sed etiam furenti eiecto a Michaele Diabolo misericordiam exhiberes, si humiliter peteret!

Sed fixa est et indeclinabilis perversa voluntas eius; * et damnatorum omnium cum eo!

— Hic Michael Archangelus, * Angelorum militiae princeps;

Cuius honor populis beneficia praestat; * et cuius perducit oratio ad voluptatis Paradisum.

Hic, Dei nuntius, cui tradidit Omnipotens sanctorum animas; * in auxilium pro animabus stet nostris.

Et, exhinc, in comitatu Angelorum, * ad regna perducat coelorum.

Aligerum ductor, supera spendentior aula, * divino frueris lumine qui propior;

Qui superas acies, divinaque dirigis

arma; * atque, Dei nutu, monstra superba domas.

Qui Mariae famulos Stygio tutaris ab hoste, * nostraque stat victrix quo duce Relligio.

Protere confractum primo iam Marte Tyrannum, * atque tuto Solyme Numine frange iugum.

Nos inde ad patriam reducti tramite pacis, * Jesu et Mariae gloriae canemus hymnum.

Coelestis urbs Hierusalem
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsaeque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria
Respersa Sponsi gratia
Regina formosissima,
Christo iugata Principi
Coeli corusca Civitas.

Hic Margaritis emicant
Patentque cunctis ostia
Virtute namque praevia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima
Fabri polita malleo,
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque iuncta nexibus
Locantur in fastigio.

Et illa sedes coelitum
Semper resultat laudibus
Deumque Trinum et unicum
Jugi canore praedicat,
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

— Decus parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclyto;
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per saecula. Amen.

OCTOBER

CANTICUM CXVI.

F. SS. ANGELORUM CUSTODUM, ET SOLEMNIS COMMEMORATIO SEPTEM SPIRITUUM QUI ADSTANT ANTE THRONUM ALTISSIMI.

Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi per extensum, debentur, huic et aliis qui leguntur in capite cuiusque mensis.



CANTICUM GEMINUM

Pars prima

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra pag. 1.)

Qui sunt isti, qui, ut nubes, de coelo in terram, et de terra in coelum hilares volitant?

Nuntii sunt et fortitudo Dei; * Ignis, lux, et medicina Dei;

Laus, auxilium, * et benedictio Dei nostri;

Et beatae supernae Hierusalem cives, * quae sursum est mater nostra.

Sunt et custodes super muros huius civitatis tuae, Domine, et montes in circuitu eius, * vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem tuum:

Et hi, orationes offerunt filiorum tuorum, * in conspectu gloriae maiestatis tuae.

Tibi Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus;
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.

Benedicite Domino omnes Angeli eius; * benedicite Domino omnes virtutes eius.

Adorent Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, * qui faciunt verbum eius, ad audiendum vocem sermonum eius.

— Angelis suis mandavit Deus, * ut custodiant nos in omnibus viis nostris;

Et ipsi in manibus portant nos, * ne ad lapidem pedem offendamus nostrum.

O quam admirabile est nomen tuum Deus et Dominus meus, in universa terra; * et super coelos nimis honorificans nos.

Dedisti enim nobis quaeque coeli continentur ambitu; * multisque nos decorasti muneribus.

Sed parva omnia reputasti haec quae sub coeli sunt, * addere etiam voluisti quae supra coelo sunt.

Oculi nostri sint semper ad Dominum, * quoniam ipse evellet de laqueo pedes nostros.

Et benedicamus Domino, una cum Angelis eius; * qui sunt ministri eius, voluntatem facientes eius.

Illuminatores animarum; corporum zelatores; et bonorum defensores, * toto opere et desiderio salutem praestolantes nostram.

Et purgantes animas; saepe visitan-



Roma al Pozzo d. Cornacchie N.16 pr. lino Ant. Banz

B. COLOMBA DA RIETI V.

Dell' Ord. de' Predicatori

tes, consolantes; * et promittentes se cito ad coelestem illaturos Hierusalem.

Omnes sunt administratorii spiritus; * in ministerium missi propter eos, qui haereditatem salutis capiunt.

Psallimus ideo Angelos, * hominum custodes;

Hymnumque canlemus; * Pater, enim, nostrae addidit naturae fragili, coelestes comites, insidiantibus succumbamus hostibus.

Custodes hominum, psallimus Angelos
Naturae fragili, quos Pater addidit
Coelestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam, quod corruerit proditor Angelus
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia pellere nititur
Quos coelo Deus advocat.

Huc custos igitur, pervigil advola
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quicquid non sinit incolas.

Christe sanctorum decus Angelum
Rector humani generis et auctor
Nobis aeternum tribue benignus
Scandere coelum.

Angelus pacis Michael ad istam
Coelitus mitti rogitamus aulam
Nobis ut, crebro veniente, crescant
Prospera cuncta.

Angelus fortis Gabriel ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto
Saepius domum veniens ad istam
Visere nostram

Angelum medicum salutis
Mitte de coelis Raphael, ut omnes
Sanet aegrotos, pariterque nostros
Dirigat actus. —

— O Maria Angelorum Regina, conantibus surgere ad Deum, tu tribuis auxilium, * et neminem vacuum a tua relinquis consolatione.

Si invocantes non meremur ut exaudiamur; * merita tamen tua, Dei et nostra mater, ut exaudiamur efficiant.

Imperio, malignum hostem, comprime tuo, * et omnia bona gratiae in nobis conserva.

De fonte vitae in os influe nostrum; * ex quo viventes aquae perfluunt et emanant.

Vulnera cor nostrum charitate tua;* et fac nos dignos gratia et muneribus tuis.

Mater vitam volumus consequi aeternam, * ideo, nos omnes, ad sumendum immortalitatis largitorem, tuis tu sustine manibus.

POST COMMUNIO

Deus Angelis non pepercit peccantibus; * quomodo de coelo cecidisti Lucifer?

Et qui vulnerabas gentes; * quomodo repente in terram corruisti?

Angelos, qui suum non servaverunt principatum, sed suum deseruerunt domicilium, in iudicium magni Dei aeternis vinculis sub caligine reservavit.

Invidia rebellis Diaboli huius, mors introivit in orbem terrarum; * sed Deus ad nostram constituit tutelam Angelorum exercitus.

Et quis est, qui Angelico suffultus suffragio, iniquissimi Luciferi non valeat superare rabiem, * effugere laqueos frandesque detegere?

Fac, Domine, ut intelligamus, quantum nobis fuerit honor, dum Angeli tui, sicut amicis nobis ministrant, * et quasi servire videntur.

Reverentiam ideo spondeo eis pro praesentia; * devotionem, pro benevolentia; et pro custodia, fiduciam.

Vitae meae gubernator et custos diu, noctuque praesentiam observabo tuam, vocemque auscultabo; * quia nomen Dei est tecum.

— Angeli custodes, viri fratres, nobiscum sunt in omnibus viis nostris; * intrant nobiscum et exeunt.

Attente considerant, quam pie, quam honeste, in medio pravae societatis, * regnum quaeramus Dei.

Quantoque studio et desiderio, quanto ac amore et tremore serviamus et exultemus ei, * in laetitia cordis nostri.

Nos adiuvant laborantes; protegunt quiescentes; hortantur pugnantes; * coronant vincentes.

Congaudent gaudentibus de te consolationis pater; * et compatiuntur pro te patientibus.

Da igitur, da Pater eis semper gaudere de me, * ut semper, per eos, lauderis in me in coelis.

— Sancte Angele custos, apprehende arma et scutum; * et veni in adiutorium mihi.

Ut ad istam tandem me adducas optabilem patriam, * hilaremque aeternam mansionem.

Coelorum dominator, Angelum mitte tuum bonum ante nos, * in timore et tremore magnitudinis tuae.

Nobis draconis aemuli
Versutias extermin et
Ne rete fraudolentiae
In cauta nectat pectora.

— Deo Patri sit gloria
Qui quos redemit Filius
Et sanctus unxit Paraclytus
Per Angelos custodiat. — Amen.

COMMEMORATIO

SEPTEM SPIRITUUM QUI ADSTANT ANTE ALTISSIMI THRONUM.

Pars altera

Huius gemini Cantici CXVI.

Domine Deus cordis mei, et creator omnium, * da mihi ut cum Angelis tuis confitear simul in aeternum nomini sancto tuo.

Et nova, ex nunc cantica addam et rhithmum et hymnum cum septem Spiritibus, * qui tuum adstant ante thronum.

Et quibus dispensata sunt magna mysteria, * in omnium fidelium tutelam.

— Posuit Aaron Lucernas septem ardentes ex mundo auro super candelabrum, * quod Moyses fecerat, secundum exemplar in monte datum.

Septem stelle, Angeli sunt septem Ecclesiarum; * et isti sunt septem Domini oculi, qui universam intuentur terram.

— Deus tempus numeravit — quae suam plebem visitavit, * per Angelorum principes.

— Qui crucis signum erexit — et ab armis nos protexit, * hostis potentissimi.

— Qua et mala nostra texit — et nobis dona porrexit, * virtutis deificae;

— Veritatemque detexit — et in viam nos direxit, * — pacis evangelicae;

— In qua nobis concomitantus — et in socios nobis dantur —.* virtutes Angelicae.

— Jesum Mariae nunciavit — et sua voce iucundavit — * Gabriel nuncius.

— Hinc invalidi sanantur — et vigore confortantur — * Raphaele medico.

— Inquinatique purgantur — purgatique inflammantur, — * ab Uriele forti socio.

— Justi, bonis donantur — et mali castigantur, * per remuneratorem Jehudiel.

— Mortui ad aeternam salutem — vivi iuvantur ad virtutem — * ab adiutore Barchiel.

— Pro nobis Patrem orat — Filium cum Spiritu exorat — * orator Scaltiel.

— Agite, precamur, nos ditari, * atque Deo consecrari — * vestro septeno auxilio. =

— Gratia nobis, et pax a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, et a Jesu Christo qui dilexit nos.

— Domina nostra Maria quis similis erit tibi inter filias: * quae gratia et gloria in coelis supereminces universos principatus et potestates?

Tu es porta, quae clauditur,
Aperitionis nescia,
De qua Propheta loquitur,
Hominum nulli pervia,
Quia Dei sapientia
Ingreditur et egreditur;
Semota violentia
Per egressum non frangitur.

Virginitatis est ianua,
Quae Coelis fulget altius;
Coeli non linquens ardua
Messias Dei Filius
Conceptus est exterius,
Carne tectus exigua,
Corpus sumens perfectius
Ex te, o virgo praecipua.

Suscipe, Domine, munera, * quae pro sanctorum Angelorum veneratione litamus;

Et concede, perpetuis eorum roborati praesidiis ab hostium iugiter liberamur insidiis, * et tutissime, ad coelestem nos addducantur patriam.

Oh! quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; * quam amabilia tentoria gratiae tuae!

Afferte illi gloriam patriae gentium, et exultate in ea omnes creaturae Dei.

O speciosa coelestis urbs Hierusalem, * quam nobilis es in supernis habitantibus tuis, * et quam suavis in deliciis!

Nihil in te tale, quale hic patimur; * nec qualibus in misera hac conspicimur vita.

Non in te tenebrae, aut nox, * aut quaelibet temporum diversitas et incostantia.

Non in te lux lucernae lucet, aut lunae splendor, vel stellarum iubar, * sed Deus de Deo, lumen de lumine, sol iustitiae indeficienter aulas illuminat tuas.

Claritas, gaudium, et pax, * est tui huius fulgentissimi regis perennis contemplatio.

Ipse in medio tui, * et pueri eius in circuitu eius ab hac tristi peregrinatione redeuntes.

Et Angelorum ordines, * dulcem ac aeternam celebrantes solemnitatem.

In te duodenus Apostolorum numerus; * et innumerabilium Martyrum victor exercitus.

In te veri et perfecti Coenobitae et Eremitae; * Prophetarum providum agmen; sacer Confessorum conventus et Doctorum coetus.

Sanctae in te mulieres, et virgines praeclarae, * quae infirmitates sexus vicerunt et saeculi.

Nec non pueri et puellae, * quae, tenellos annos suos moribus transcenderunt.

In propriis exultant omnes mansionibus, dispar est singulorum gloria, sed omnium communis est laetitia.

Omne opus eorum laus est Dei sine fine, * sine defectione, sine labore, et sine gaudii termino.

O speciosa coelestis mater Hierusalem, * concupiscit et deficit anima mea in atria tua.

Domine Deus cordis mei, * hoc in municipium, introduc me post solutum militare cingulum.

Lassus et iam senescens, * per manus Angelorum tuorum, repraesentari clementiae merear tuae.

Cunctus in coelo siluit senatus
Dum Draco bellum peteret superbus
Victor Inferni, Michael, rebellem
Misit in ignem. —

— Nuncium summae Triadis rogamus
Spiritus cuius resonat per orbem
Gabriel, nostras animas, superno
Lumine reple. —

— O salutaris medicina coeli
Sancte Raphael, medicamen affer
Corpore aegrotos; animisque coecis
Dirige gressus. —

— Iudicis partes Jehudielis atrae
Sint nobis miseris, quousque
Gratia summi Patris eluantur
Crimina nostra. —

— Noster adiutor faveas, precamur;
Barchiel, cunctis memor esto nostris,
Ut Deo sanctos referes, rogamus,
Impiger actus. —

— Scaltiel cunctus tibi debet orbis
Cuius orator Patris ante thronum es
Et tuis supplex famulis precaris
Crimina tergi. —

— Uriel, fortis socius bonorum
Daemonum vires gladio retundit,
Charitas cuius superat piorum
Vota precantium. —

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, * Principatus et Potestates.

Virtutes Coelorum, Cherubim atque Seraphim, * laudate Dominum de coelis; * et vita a vobis in terra muniatur nostra.

Accurrite nobis, quaesumus, dum Daemone tentamur, * et pro nobis dimicate.

Numini Trine Deitatis almae
Laus, honor, virtus pariter potestas;
Sit decus semper, benedictioque
Omne per aevum.

CANTICUM CXVII.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN — FESTUM B. MARIAE VIRGINIS SACRATISSIMI ROSARII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

In Christo fuit plenitudo gratiae, sicut in capite influente, * in te, o Maria, sicut in collo transfundente.

In te omnis vitae spes; * et ex te mille coruscantes pendent Clypei;

Ita gratia, quae est in te ad salutem splendet; * et multimodis transfunditur omnium nostrum.

Tu mundi splendor, generis tu gloria nostri, * tu spes iactatis; tu miseris requies.

Tu infestos Erebi vires in damna ruentes christianorum, * nutu, virgo benigna, domas.

Vidit Joannes mysticum
Signum quoddam mirabile,
Quod in Coelo propheticum
Apparuit notabile!
Nunquam fuit simile
Prophetis aenigmaticum
Signum datum, quod utile
Praecessit et mirificum.

Erat patens coelestibus,
Amicta Solis lumine
Mulier, Lunam pedibus
Supponens, cuius culmine
Capitis, pro tegmine
Duodecim Syderibus
Sertum fulgebat, Numine
Suis plena visceribus.

Formositatem induisti, et emicantem pulchritudinem, Domina nostra, * fulgenti vestimento gloriae tuae.

Clementia, a saeculis aeternis non deficiet tua; * salus sempiterna in manu tua est.

Ave Maria, gratia plena; * sacratissimi Rosarii, ave Regina.

Quod pie nos concinentes, vitam, passionem et gloriam Unigeniti recolimus tui; * tuasque celebramus quae te coronant virtutes.

Ecquis non quotidie sacratissimum recitabit integrum Rosarium? * recurrentia contemplans mysteria, et nomen exaltans tuum?

Inter feroces hostium,
Artesque, tela, et impetus,
Servaret ut nos liberos
Pater misertus gratiae.

Mariae potenti in nomine
Scutum salutis praebuit,
Mortale quod totum genus
Adversa cuncta pelleret.

Quin et procellas horridas,
Inter, marisque in fluctibus,
Tranquillitatis in sacro
Mariae reclusit nomine.

Haec spes fidesque protegat
Divae parentis senulos,
Tantisque de periculis
Mariam vocantes, eruat.

Hostis furentis arma
Nutu potens retunde,
Flammisque sancti amoris
Sensus, sinusque aduras. —

— Laudabilis factus es, Domine, in potentia, qua cuncta creasti, * et in sapientia, qua cuncta gubernas.

Laudabilis in operibus misericordiae tuae, * et nos Rosariis ineundas tibi et matri grates impendimus tuae.

Magnificatus es vehementer, Domine Deus noster, * lumine es amictus ineffabili, sicut vestimento, in omnibus operibus tuis.

Tu coelum extendisii, sicut pellem, circum terram, * tu aquis aerea tegis spatia, ad irrigandam illam.

Nubem tanquam currum in ascensum ponis tuum; * et ambulans super pennas ventorum imperas ut spirent, vel ut quiescant.

Tu per segetes et plantas educis panem ad victum de terra; * et vinum quod laetificat cor hominis.

Omnia in summa fecisti sapientia et bonitate; * tibimetipsi complacens in perfectione operum tuorum.

Sed, si irato terram respicis vultu, facis eam tremere; * fumigant, si tangis, montes, et in cinerem abeunt.

Noli etiam irasci nobiscum; * misericors es, miserator et iustus;

In faciem respice Christi tui; * et, quamdiu erimus, mysteria tibi gloriosae vitae eius per sacratissimam Rosarii Coronam cantabimus tibi.

Respice, Pater sancte, Filium tuum in agone prolixius orantem; * et Calicem amarissimum de manu pro nobis suscipientem tua.

In monte Olivis constito,
Redemptor orans procidit.
Moeret pavescit deficit,
Sudore manans Sanguinis!

Vide, Pater sancte, ab Apostolis dormientibus * filium in profundo derelictum moerore.

A Juda proditum; * ligatum; crudeliter flagellatum; et probrose spinis coronatum.

A proditore traditus,
Raptatur in poenas Deus:
Durisque victus nexibus,
Flagris cruentis caeditur.

Intexta acutis sentibus,
Corona contumeliae
Squallenti amictum purpura
Regem coronat gloria!

Molis crucem ter arduae,
Sudans, anhelans, concidens,
Ad montis usque verticem
Gestare vi compellitur!

Et aspice, Pater sancte, in cruce Filium confixum tuum, et elevatum; aceto et felle potatum; lancea perforatum;* et a Nicodemo in sepulchro reconditum novo.

Confixus atro stipite,
Inter scelestos innocens;
Orando pro tortoribus
Exanguis efflat spiritum.

Haec omnia vide; * et in quantum bonitati convenit tuae, a nobis mysteria passionis Filii tui recolentibus poenas sume.

Quis neget, quod nos Christi tui fuimus plaga? * nos vindictae, flagitium; nos passionis eius livor, cruciatus et labor.

Nos peccavimus, et iustus pro nobis punitur; * ecquid pro tam mira retribuemus charitate?

Compunctionem offerimus nostram, et fiducialiter; * quia mortis eius nos fructum capimus et meritum.

Plorantes ergo coram te crudelitatem execramus nostram, * et, ad peccatorum nostrorum expiationem, sacratissimi recitamus et canimus Rosarii coronam.

— Regina sacratissimi Rosarii, * et Rosarium gratiarum, salve o Maria.

Nomen tuum favus est mellis, in ore distillans captivorum; * et tua corona, Dominico data mel est et lac sub lingua eorum.

— Et dum, etiam Natalem, vitam dolorosam; et gloriosam Filii tui resurrectionem, perpetim, Pater omnipotens, in Sacramento etiam memoramus Eucharistiae, * susiine, si potis es, contra nos reos inexorabilitatem.

POSTCOMMUNIO

Pro nobis in cruce vere passus, immolatus; * cuius latus perforatum manavit aqua et sanguine.

Esto mihi praegustatus, * in mortis tutamine.

— Loquere animae meae crux sancta, * crux amabilis, loquere tandem;

Menti insere meae nimiam, * qua bonus magister noster nos dilexit charitatem.

Quae te, o piissime, clementia vicit,* ut tam impia pro me patereris?

Ecce tu vitae auctor quasi Agnus ad occisionem ductus; * factus es ad mortem usque obediens.

Tu, Deus de Deo genitus, mea indutus natura, patibulum ascendisti; * et in assumpta carne crudele tulisti supplicium.

O dulcis Nate, qui pro me immaniter extensus es; * o manus innoxiae quae tanto manastis sanguine!

O inerme latus, dira perfossum cuspide; * o sacri pedes saevis confixi clavis.

O decora lumina, quae mortis clauserunt tenebrae; * o regalis vultus, quem pallor exterminavit.

O procera quae riguistis brachia, * sacratissima membra ampio suffusa cruore!

Quid inveniam miser, * quod pro istis condigne referam misericordiis?

Placabilis Dei Agnus et mitis, si amorem tuum in cor infundis meum, gratum me tibi praebebo, * diligens te ex tota mente, anima et viribus meis:

Mysteria canens in Rosariis meis gloriosae tuae vitae, passionis et mortis, * testimonium grati animi mei perhibeo tibi.

— Maria in angustiis adiuva me, * ab omni periculo, corona benignitatis tuae libera me.

Mater mundo desiderabilis, inferis terribilis; et tribulatis amabilis; * solatia infundens nobis cum sacratissimo Rosario;

Quae Deum in utero concepisti; * quae Deum genuisti, et hominem.

Virgo signifera Virginum, Virga Iesse Christifera; * vitae arbor fructifera intercede pro nobis.

Integrum recinentes Rosarium tuum, * trinam nos adoramus et canimus capitis tui divinam coronam.

Corona sapientiae timor Domini, * complens pacem, et salutis fructum.

Ave sponsa, ruga carens - da intacta Dei parens - * ut laus tua cum dulcore, - meo semper sit in ore.

O Maria, serviant tibi populi, et tribus honorent; * et omnes tuum recinentes Rosarium ante te gaudentes incurventur.

— Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per mysteria
Orantibus dat Gratiam
Qua consequantur Gloriam.

CANTICUM CXVIII.

DOMINICA XIX. P. PENT. — F. MATERNITATIS B. MARIAE V.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

Maternitatem beatae Mariae virginis cum gaudio celebremus; * ex qua ortus est sol iustitiae Christus Deus noster.

Cum venit plenitudo temporis, * Deus suum misit Filium in terras;

In hunc Jesus advenit mundum missus; * et de beata Maria virgine natus, vere et perfectus homo in carne apparuit.

In mundo erat, * et mundus, qui per ipsum factus, eum non cognovit;

Huc ergo missus est per humanitatem, * ubi semper fuit per divinitatem.

Corde credo, et ore confiteor ad salutem; * istam Filii Dei missionem

opus fuisse totius sacrosanctae et individuae Trinitatis.

O Maria, sanctissima Trinitas unus Deus * matrem te fecit pulchrae dilectionis, timoris, agnitionis, et sanctae spei.

O beatissima, electa mater Domini nostri Jesu Christi, * quas tibi laudes humani generis fragilitas persolvere queat?

Singulari assensu tuo, * mundo succurristi perdito!

O pulcherrima inter formosissimas, filia Sion, * sine tactu pudoris tui inventus es mater Salvatoris.

Gaudium mundi, nova Stella Coeli,
Procreans Solem, pariens Parentem,
Da manum lapsis, fer opem caducis
Virgo Maria.

Te Deo factam liquet esse scalam
Qua teneus summum, petit altus imum;
Nos ad excelsi remeare coeli
Culmina dona.

Te beatorum chorus Angelorum
Te sacri Vates, et Apostolorum
Ordo praelatam sibi cernit unam
Post Deitatem.

Aula coelestis speciosa Regis
Fulta septenis Sophiae columnis,
Quem nequit totus cohibere mundus
Claudis in alvo.

Quem tremunt Coeli, metuunt abyssi,
Fluminum guttae, maris et procellae
Laudat occasus, veneratur ortus,
Stringis in ulnis.

Lacte nutritur cibus Angelorum,
Fertur intactae gremio puellae,
Qui sua latae ditione terrae
Pondera librat.

— Quomodo nos amasti, Pater sancte et bone, * quantum pie conditor nos dilexisti.

Qui proprio non pepercisti Filio, * et illum pro nobis tradidisti impiis.

Ipse chirographum tollens peccatorum nostrorum, et Cruci affigens, * peccatum crucifixit, et mortem occidit.

Unus ille inter mortuos liber, potestatem habens animam pro nobis ponendi suam; * et iterum pro nobis sumendi eam.

Victor et victima; * et ideo victor, quia victima pro peccatoribus est.

Ipse sacerdos et sacrificium, * et ideo sacerdos, quia sacrificium pro delinquentibus.

Merito mihi spes valida in illo est, * quia ad dexteram Pater sancte sedet tuam.

Et pro nobis interpellat; * et omnes languores sanat nostros.

Languores mei quippe magni sunt, et multi; * scio et fateor, quia multa huius mundi princeps habet.

Per ipsum tuum me iustifica filium,* qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius.

Libera me a vitiis, culpis, et negligentiis meis; * reple me tuis sanctis virtutibus; et bonis ac rectis fac me pollere moribus.

— Praeterea et nos omnes in sanctis concede perseverare operibus * usque in finem, secundum tuam sanctam voluntatem.

— Da mihi aurum ignitum sancti ardoris tui,* ut cum fervore ad Eucharisticam possim accedere mensam.

— O Jesu, o cor divini amoris incendium; * vel unam in cor immitte nostrum scintillam illius qui in te exardescit ignis.

O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris, *spiritum flammeum et urentem in nos suscita tuum.

— Illuminatrix mentium, cordium inflammatrix;* sanctae Ecclesiae splendor ave;

Rosa veris speciosa, - vitis frondens generosa; - * ave dulcis et gratiosa;

Ave, virgo, terra bona; - tu petenti mihi dona - * panem de te procreatum, vinum vera vite natum.

Sit decus summo sine fine Christo,
Sancta, quem Virgo genuit Maria,
Qui Patri par, Spirituique Sancto,
Regnat in aevum. Amen.

POSTCOMMUNIO

« Ego, aeterna sapientia, quae in Altissimis habito, * descendens in terram volui in mundum intrare per Mariam. »

« Per ipsam salutem operatus sum hominum; * per ipsam quoque statui sapientiam et sanctitatem vobis dare. »

Utique, Domine, Pater, frater, sponsus es noster, ac dulcissimus amicus; * et Maria mater est amantissima, advocata et Regina nostra.

Deus coelorum es tu, miserator et misericors; * mater tua Coeli Regina est, peccatorum refugium, et aditum ad regnum obtinet tuum.

Omni modo vere dignum, utile et iustum est ad divinam clamare Mariae maternitatem; * per quam adipiscimur gratias.

Quot per ipsam continentiae accepere donum! quot passionum victoriam? * quot coelestis gloriae coronam!

Quot in mari, quot in igne, quot in bello, quot in peste et cholera morbo;* quot in fame, siti, et in mortis angustiis per ipsam liberati!

Quia sanctuarium Dei es, o Maria, tibi adoratio debetur; * et quia gratia plena, tibi laudes benedictionis tribuimus Dei.

Places Patri; places Filio; Flamini places sponso tuo; * ideo te colentes Patri placebimus, Filio, et Spiritui sancto.

Fecit tibi magna qui potens est; * et beatissimam te omnes praedicant generationes.

Qui te colunt benedictionem de rore coeli et de pinguedine terrae a Domino accipiunt; * gratiamque in hoc saeculo, et gloriam in futuro.

Suscipe nos in servulos, * quae sub cruce iam suscepisti in filios;

Dulcissima respice ad nos gementes, * et flentes.

Maternitatem, o Maria, monstra tuam, * nos reddens erga te piissimos.

Tu quae Draconem contrivisti, nostras contere, Mater, passiones; * et nostrorum vincula vitiorum solve.

Filii tui nobis thesauros aperi; fidem dispensa firmam, spem securam, * igneamque charitatem.

Aperi, et diffunde orationis donum; castitatem et humilitatem, * saeculi contemptum et animarum zelum.

Te Mater alma Numinis
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut Daemonum
Tua sub umbra protegas.

Ob perditum nostrum genus
Primi Parentis crimine
Ad inclytu Matris decus
Te Rex supremus extulit.

Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.

Dominus Jesus loquitur pacem super sanctos cultores suos; * et in eos qui sincere ad cor convertuntur rectum.

Ipse et mater eius Maria in viam salutis nostros dirigat gressus; * et terra cordis nostri fructum iubilationis in tempore dabit opportuno.

Sit Trinitati gloria,
Quae Matris intactum sinum
Ditavit almo germine,
Laus sit per omne saeculum. Amen.

CANTICUM CXIX.

FESTUM PURITATIS B. MARIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Domine Deus meus, ecce mundus totus plenus concupiscentiarum laqueis est, quos pedibus paraverunt meis; * et quis implexos effugiet laqueos?

Hae sunt tenebrarum umbrae, * quibus operior in abysso caliginosa carceris huius.

Adiuva creaturam tuam; * ne illa,

quam benignitas operata est tua, in malitia pereat sua.

Numquid vane Deus constituisti omnes filios hominum?* creasti me, et in firmamento virtutis tuae rege me.

Quae utilitas in creatione mea si me non regis?* et vivens in corruptionem descendam meam?

Non mea te coegerunt merita, neque virtutes ullae ut me creares; * sed clementia solummodo tua.

Si me non creasses, iam, Domine Deus meus, non essem,* sed, quia creasti, iam sum.

Et si non regis?* iam non subsistam.

Ideo ne derelinquas me in cogitatu meo maligno; * neve dederis me in elationem oculorum meorum.

Aufer a me concupiscentias; et animo infrunito et irreverenti ne tradas me,* sed in lenitate posside tua, ut de te semper cogitem.

Exurge, Domine Deus meus, potens et fortis meus, * et inimici dissipentur tui.

Fugiant a facie tua,*qui animam intercipere meditabantur meam.

Sicut fluit cera a facie ignis, * sic a facie peccatores dissipentur tua.

Recipe me in abscondito tabernaculi tui;* ut cum filiis gaudeam tuis, omnibus satiatus bonis tuis.

— Reginam, viri fratres, honoremus coeli omni puritatis gratia plenam; * et contemplemur cum reverentia sanctissimum vultum eius.

Fons irrigantis gratiae de ore procedit illius; * et virginalis emanatio eius animas sanctificat castas.

Miserere nostri fulgidissima virginum Regina; * innocentiae et poenitentiae nobis ostende vias.

Laude os nostrum repleatur tua; * et hymnis, tota die, magnificentiam decantet tuam.

In te totum perficitur
Quidquid verbis propheticis
De te Virgo praedicitur;
Et verbis aenigmaticis,
Sive quidquid angelicis
Tibi verbis exprimitur,
Finitis verbis typicis
Res manifesta panditur.

Salve solamen hominum,
Salve Orbis Stella, Maria,
Salve purgatrix criminum
Salve, o Virgo singularis.
Consortio carens maris,
Concipis, paris Dominum;
Tu lapis es angularis
Quae das figuris terminum.

Validius, viri fratres; nomen invocemus Mariae, *in hymnorum varietate.

Christi mater est inviolata, et intemerata, * purissima et castissima.

Cum dulce sanctae Virginis
In aure nomen insonat,
Abscedit omnis protinus
Languor, metusque pectoris.

O nomen omni nectare,
O melle nomen suavius,
Te quisquis ardens invocat
Nescit doloris vulnera.

Tu cordis et curas graves,
Et cuncta pellis tristia,
Tu frangis iras hostium
Tu robur auges mentium.

Per te triumphat veritas
Per te fides, luctantibus
In nocte coeca erroribus,
Certat, refert victoriam.

Turris fortitudinis, et nostrae laetitiae causa, * audi Filiorum tuorum eiulatum.

Alas extende tuas, * ut fugiamus sub eas a facie inimici.

Ne dormias puritatem custodiens nostram, * quia non dormit, neque dormitabit hostis, qui nos impugnat.

Propitiam nobis Hostiam immaculatam redde, ad quam accedimus; * et benedictionis calicem;

Ipsa est cibus fortium, et potus inebrians; * fortitudo debilium ipsa est, et pax in Domino morientium.

POSTCOMMUNIO

Nunc adiuva me, Redemptor meus, ne corruam iu conspectu adversariorum meorum, captus laqueis eorum, * et animàm incurvent meam.

Erue me virtus salutis meae; * ne risu excipiant qui blasphemant pietatis tuae Sacramentum.

Ne elongeris a me; * et in auxilium respice meum.

Variae insurgunt cogitationes in me; * et magni timores animam affligunt meam;

Quomodo perfringam eos? * vel quomodo inter arcta illaesus pertransibo?

Peccata mea diviserunt inter te et me; * sed auris non est aggravata tua, ut preces non audiat meas.

Diviserunt iniquitates meae inter vitam, * et mortis imaginem;

Inter breves diviserunt annos meos, et sempiternos tuos; * inter lucem et tenebras.

Attamen vivit qui dulcedine sua, quam abscondit timentibus se, allidere potest timores meos in nocte, * et tremores pellere.

Spes, et unica consolatio mea, oro te ut evagationes cohibeas meas, * et vim tentationes facientes elidas.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator poscimus,
Ut pro tua clementia,
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia.
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Quidquid in mundo est, aut carnis concupiscentia est, * aut oculorum elatio, aut vitae superbia.

Jesu, lux noctis, Jesu terror Daemonum, oculos illumina meos ut te videant; * et praeter te, qui gloria es sempiterna, non evagentur.

Palpebrae tuae gressus praecedant meos, * ut quae a dexteris sunt videam, non quae a sinistris abs te.

Lux mea superna, quam coecitas non obnubilat, nec vanitas hallucinatur, * potentias illumina meas et ignorantias;

Peccata corripe; somnia excute mea, et clamores exaudi, * absorbe me, in claritatis tuae abysso.

— Virgo singularis
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.

Inter rubeta Lilium,
Columba formosissima,
Virgo e radice germinans
Nostro medelam vulneri.

Vitam praesta puram
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum
Semper collaetemur. —

Tu mater puritatis; * tu honoris sertum et gratiae;

Tu stella procellosi propitia maris, * impera ventis et tempestatibus;

Dic mari « quiesce » dic aquiloni « ne flaveris » * et in me tranquillitas erit magna.

— Te Trina Deitas, Unaque poscimus,
Sic nos tu visita sicut te colimus
Per tuas semitas duo nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas.

CANTICUM CXX.

FESTUM S. THERESIAE VIRGINIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Regis superni nuntia
Domum paternam deseris,
Terris, Theresa barbaris
Christum datura, aut sanguinem.

Sed te manet suavior
Mors, poena poscit dulcior,
Divini amoris cuspide
In vulnus icta concides.

— Quis mihi tribuet, ut Christi animae * anima agglutinata sit mea?

Quis, ut secundum charitatis suae thesaurum, * virtute corroboretur per spiritum eius?

Anima mea, imago Dei est et domus Dei, * sed vereor ne illa appareat deformata, et latronum spelunca;

Christi anima pura, innocens, et humilis, * sincera, pia, patiens et mansueta;

Plenitudo gratiarum, splendor virtutum; * et totius perfectionis consummatio!

Et anima mea immunda est, vana, et superba; * indevota, impatiens, et obstinata.

Imago Dei est, sed idolorum reddidi immaginem, * orationis et sanctitatis domus est, et speluncam latronum feci.

Ecquid de corpore mortis huius? * si tanta est depravatio animae meae!

In incessu levis; in facie inverecundus; in gestu petulans; in risu immoderatus; * et in ore fumi uterculus!

In gula graculus et graecans; * in omnibus membris forsan effraenatus sum!

Scio et fateor; * sed quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, Domine, qui ipsa es puritas, in auxilium accurras meum?

Audi Pater sancte, nonne manibus nos plasmasti tuis? * et gratiae lacte potasti tuo?

Nonne nobis iam adultis substantialem dedisti escam, corpus nimirum dilecti Filii tui, tam saepe corpori aptando nostro, * ut iam non suum, sed nostrum deberet esse corpus?

Quoniam igitur Christi corpus in nostram factum est alimoniam, * potentia pietatis tuae, corpus reforma miseriae nostrae, suae configuratum claritatis corpori.

Caro eius cum nostra miscetur carne; in venis sanguis eius fluit nostris; * cur non et ideo Christi concorporei, Christique efficiamur consanguinei?

Redde, Pater sancte, repromissionis tuae munus, * et Jesu Christi pietatis opus.

Redde Pater; quia caro ex carne nostra, os ex ossibus es nostris, * sanguis ipse ex nostro est sanguine.

Renova in nobis, propter tui nominis gloriam, beatae Theresiae sponsae tuae miraculum; * cuius praecordia ignito transfixisti iaculo.

Et, ut quemadmodum eius festivitate gaudemus, ita coelestis doctrinae eius nutriamur pabulo; * et pio erudiamur devotionis affectu.

Haec est dies, qua candidae
Instar Columbae coelitum
Ad sacra templa Spiritus
Se transtulit Theresiae;

Sponsique voces audiit
« Veni soror de vertice
Carmeli ad Agni nuptias,
Veni ad coronam gloriae. »

O sponsa felix, affluens
Coelestibus deliciis,
Votis tuorum supplicum
Aures benignas admove.

Miraculum transfixionis dilectionis tuae * ipsa intercedente, in nobis per sacrosanctam Communionem corporis Christi renova. Pater sancte;

Et ardore sancti spiritus corda ferveant nostra; * ut te in omnibus diligamus et super omnia.

O charitatis victima,
Tu corda nostra concrema
Tibique gentes creditas
Averni ab igne libera.

Tibique, sponse virginum
Beati plaudant ordines:
Et nuptiali cantico
Laudent per omne saeculum.

POSTCOMMUNIO

Anima Christi sanctifica me; corpus Christi salva me; * sanguis Christi inebria me; aqua lateris Christi lava me.

Intra tua vulnera absconde me; in hora mortis meae voca me; ne permittas me separari a te; * ut cum Angelis et Sanctis in aeternum collaudem te.

— Domine a corde aufer meo prava desideria; * simulationes et iras; invidias et aemulationes;

Negligentiam aufer, et tepiditatem,* affectus emunda, et concupiscentias compesce.

Cor mundum crea in me Deus; * et spiritum rectum innova in visceribus meis;

Inspice, Pater sancte, * et ad exemplar filii tui cor conforma meum.

Cor amabile et suave a te peto, cor sanctum, ut nulla deinceps concipiat desideria, * affectiones nullas, nisi quas ipse conciperet Christus.

Paupertatem amem et humilitatem;* obedientiam, crucem, ut ipse, et opprobria.

Itidem, superbiam cor exhorrescat meum, et divitias; honores et voluptates, * mundum denique in maligno positum totaliter spernat.

Extirpa, Pater sancte, cor lapideum istud e medio pectoris mei; * et carneum immitte, quod iuxta placitum sit tuum.

Hoc tu olim servae Catharinae concessisti Senensi; * et propriis tuis confecisti manibus.

— Domina mea, sancta Maria, pulchrae dilectionis mater, coeli gloria, et terrae gaudium, * accurre ad custodiam filii tui cordis, pectori infixi meo;

Et quamquam indignus sim tam amabile possidere cor, * tamen imploro, ut vinculis retineas amoris tui, et in me custodias.

Ita in posterum corde filium tuum amem tuo; * corde vivam suo:

Perge, mater et Domina, perge secura in bonis filii tui; * et tu sola, solus et ille in anima triumphet mea.

— Te cupit, et votis ambit Theresia matrem, * irrita nec tenero e pectore vota cadunt.

Per tenebras, per languores, per bella, per hostes; * illam materna virgo tueris ope.

Te duce virtutis primaevas edere flores Carmeli campos, * et iuga celsa docet.

Virgineosque choros, atque agmina lecta virorum, * per celsas fidei ducit ad astra vias.

Exemplis animos; et scriptis pascit, et urget; * foemina prae doctis facta magistra viris.

O si transadigunt quae virginis ignea pectus spicula perfoderent, * et mihi adacta sinus.

Tum Christi, atque tuo, mater flammatus ab igne, * Theresiae auderem gressibus ire comes.

— Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque
Par decus Paraclyto
Unius trinique nomen
Laudet Universitas.

CANTICUM CXXI.

DOM. XX. P. P. — FESTUM S. LUCAE EVANGELISTAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

In te Domine speraverunt Patres nostri, * speraverunt et liberasti eos.

Deus meus, respice etiam in me, * ne omnes videntes me irrideant me.

Miserere, quoniam tu extraxisti me de nihilo; * et es spes mea ab uberibus matris meae.

In te proiectus sum, ne discesseris a me; * quia Leo rapax et rugiens aperuit super me os suum.

Me a framea erue eius, salva animam meam; * et fratribus narrabo excelsum nomen tuum in Ecclesia magna.

In conspectu cadent tuo ad te adorandum omnes, qui in hunc descendunt mundum, * divites et pauperes terrae.

Tu Rex Regum, et princeps domi-

nantium, * deprecationem non spernis inopis, nec despicis.

Ego vermis et non homo, * ad te clamo ut me salves.

Ego opprobrium, et plebis despectio, * in te spero, et non confundar.

Desperarem utique propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias, * nisi verbum tuum caro factum esset nostra, et habitasset in nobis.

Nam, cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem eius, * quanto magis, quia reconciliati, salvi per eum erimus?

Omnis ideo fiducia nostra est in pretioso Filii tui sanguine, * quia propter nostram effusus est salutem.

Meam non habens iustitiam, sed eam quae in Domino est Jesu Christo, in ipso respiro; * et in ipso confisus ad te perveniam tandem.

Gratias tibi Deus; * gratias tibi una et summa Trinitas.

Quia, cum non essemus, * potenter nos compegisti.

Et cum perditi nostra fuissemus culpa, * mirabiliter nos refecisti et recuperasti.

Gratias agimus tibi clementissime et benignissime amator hominum Deus, * qui per Jesum filium tuum nos hic pascis.

Bona fac etiam nos videre, * in terra viventium.

— Virgo mater sanctissima, doce nos amare, * et meritis sperare maiora quae meritis maiora largiri non desinis.

In te sibi Jesus constituit sedem, * ideo per te preces exaudit nostras.

Communicasti illi humanitatem; * nobis nunc illius humanitatem, divinitatemque tuis in altari communica manibus.

POSTCOMMUNIO

Beate Luca Evangelista, nimis obfirmatus est principatus tuus, * quia electus de mundo ad animarum salutem.

Tu crucis mortificationem, pro Christi nominis honore, in corpore portasti; * impetra, ut crux sancta sit corporis, nostraeque unica medela animae.

Stolas nostras, bone Jesu, in tuo ipso lavare mereamur sanguine; * ut tuae suavitatis sentiamus in aerumnis nostris lenitatem.

Et tanquam formosi in candida stola tua, et in multitudine fortitudinis tuae gaudentes, * stolam induamur gloriae cum electis tuis.

Crux Christi, * salva nos.

Per crucis signum auxilium misericordiae acquirimus tuae, * ad inimicos profligandos animarum nostrarum.

Gratias iterum, atque iterum tibi Deus; * et multas referimus laudes pro tua inenarrabili dilectione.

Miseros et indignos amare non desinens unigenitum tuum in commodum misisti nostrum; * et nobiscum etiam habitare voluisti.

Egrediatur ergo ex te, qui magnus es, fons misericordiae Unigeniti tui super hoc habitaculum nostrum; * et tua irrigetur misericordia.

Maiestas appareat tua, et sanctificet illud; * ut, sine turbatione vel strepitu, vigiles, orantes, vel dormientes in tua quiescamus pace.

Tanquam perditionis Filii, et peccatores, gratias, una et summa Trinitas, rependimus tibi; * pro incarnatione et nativitate Domini nostri Jesu Christi.

— Gratias etiam sanctissimae Genitrici debitas reddimus suae; * de qua ipse carnem assumere dignatus est.

Ut, sicut Deus verus de Deo vero; * ita verus homo ex vero esset homine.

Gratias sine fine referimus pro sacratissima illa pretiosi sanguinis eius effusione, * quo redempti sumus;

Et gratias sine fine, quia sedens super coelos omnes ad dexteram Patris, * Spiritum sanctum, secundum promissionem suam, quinquagesimo post Resurrectionem die, in filios effudit adoptionis.

Et quid gratiarum deferemus pro sa-

crosancto et vivifico mysterio Corporis et Sanguinis eius; * quo pascimur quotidie et potamur?

Quo abluimur, et sanctificamur, * et unius summae participes Divinitatis efficimur?

Et quia, Domine Deus, sic mundum dilexisti, ut pro nobis inscijs, et etiam ingratis Filium tradideris, * ipse tibi idem grates pro nobis aeternas habeat.

— Accedite, viri fratres, et miramini, * qui credit in eum non perit, et in saecula vitam habet.

Haec autem aeterna est vita, ut cognoscamus te verum Deum; * et per fidem rectam, fideique condigna opera, quem misisti adoremus Jesum Christum.

Vias nobis demonstra tuas; * et semitas nos edoce tuas.

Utinam dirigantur semper viae nostrae * ad custodiendas iustificationes tuas.

Novum in nobis crea olfactum, odor vitae nostrae; * ut post te curramus in odorem unguentorum tuorum.

Gustum sana, qui sapiat et cognoscat et discernat * quam magna multitudo dulcedinis sit charitatis tuae.

Cor, quod te cogitet dona; * et animum, qui té diligat.

Mentem quoque, quae tuam recolat bonitatem; * et intellectum, qui tibi semper adhaereat.

Nos ignorantia urget, error, confusio, vanitas, coecitas; * et ipsa pallida mors.

In tanto discrimine, virtute passionis et mortis tuae * omnis diabolicae fraudis versutia et nequitia a nobis effugiat.

Ne diffidentiae tentationibus cedamus; * vel praeteritorum scelerum recordatione desperemus

In manibus accipe tuis, Domine Jesu, animas nostras; * et adversae dominationis reprime vires.

Rugientis Daemonis cum Angelis suis apostaticis, * saevitiam depelle.

Suscipe tandem spiritum nostrum; * et de terrenis nos liberans ad coelestia piissime transfer.

Sit salus tibi, decus atque virtus,
Qui super Coeli solio coruscans
Totius mundi seriem gubernas
Trinus et Unus. — Amen.

CANTICUM CXXII.

FESTUM S. PETRI DE ALCANTARA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (Ut supra, pag. 1.)

Domine peccatum meum ante te est; * sed gemitus meus a te non est absconditus.

Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? * ut quid diutius vivo, et terram occupo?

Ego lignum aridum, et infructiferum; ingratus semper et iniurius in Deum meum, nonnisi peccata accumulo peccatis; * thesaurizans mihi iram in die iusti iudicii tui.

Lumbi mei impleti sunt illusionibus, cupiditatibus, et libidinibus; * carnalis sum venumdatus sub peccato.

Haec scio, et nimis experior, quia non habitat in carne mea bonum; * et corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.

Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, * et sicut onus aquarum multarum graviter me obruunt.

Malum committo et quotidie pecco; * et quod peius est, raro aut nunquam recogito, quam grave sit quod delinquo.

Nec satago te placare, * ad iram temerarie provocatum!

Intende, Domine Deus, in adiutorium meum, * qui solus es auctor salutis meae.

Admodum miser factus sum a facie insipientiae meae; * ne me auxilio orbaveris tuo.

— Tuam pro me interpellet pietatem servus tuus Petrus de Alcantara; *

qui vivens in carne spiritu ambulavit.

Et nihil in terris desiderans * conversationem suam semper in coelo habebat.

Simílabo eum viro sapienti, * qui super petram domum aedificavit suam.

Ipsum admirabilem in poenitentiae exercitio, * altissimo contemplationis munere illustrasti.

Quare et ego eius apud te piissimum suffragantibus meritis, * carne mortificatus, tuae misericordiae particeps fieri merear.

Petre, Sol terris oriens Iberis,
Lucis ut spargas radios per orbem,
Quas tuo laeti canimus triumpho
Suscipe laudes.

Par in antiquos renovata mores,
Clara Francisci soboles nitescit;
Crescit et virtus rediviva, largo
Munere Coeli.

Mente constanti pereuntis aevi
Omne, quod vitam maculat, perosus
Despicis pompam, precibusque placas
Numinis iram.

Artubus castis nimium severum
Te fame, et diris crucias flagellis,
Sternis et noctu lacerata duro
Stipite membra.

Dignus hinc celsas habitare sedes,
Saepe sublimis volitare in altum
Visus; et, mundi fugiens tumultum,
Proximus astris.

Nunc preces audi, gemitusque nostros;
Integros nobis sine labe mores,
Et tuos nostris animis salubres
Ingere sensus.

Domine Jesu, sub tegmine speramus alarum tuarum, * et inebriabimur ab ubertate domus tuae.

Torrente voluptatis tuae in angustissimo pietatis tuae Sacramento potabis nos; * in te est perennis vitae fons et beatae. —

—Et ubinam esto Maria, Domini mei mater, et nostra, * potentissima in necessitatibus nostris auxilium?

Tanta est tua charitas, o Maria, quanta est potestas; * ita tantum potens es ad impetrandum, quantum ad parcendum pia.

Eia ergo, qua nostra tibi facilitate innotescit miseria; * eadem nunc, quodcumque in sancta petimus Communione, impetra facilitate.

POSTCOMMUNIO

Domine Jesu Christe, ex substantia Patris, ante principium omnis creaturae genitum et non factum; * invocamus te;

Domine Jesu Christe in assumpta humanitate, de Spiritu sancto in utero Mariae Virginis concepte, * tibi et matri benedicimus tuae.

Domine Jesu Christe, de profundo miseriarum nostrarum ad te clamamus; * tu per nativitatem tuam voces exaudi deprecationis nostrae.

Non est nobis spes de nobis; * et utinam spes nostra firmior esset in te.

Heu! multa quae defleamus habemus; mentis tenebras, * lubricam conscientiam, et gratiae iacturam.

Tot laquei, et peccandi pericula, * ad quid, nisi ad gemendum movent?

Da capiti nostro aquas, et oculis lacrymarum infunde rivum; * die plorabimus ac nocte praeteriti damna temporis, et futuri pericula. —

— Quando, viri fratres, unusquisque nostrum de infirmitate convalescet? * quando, qui deiecti sumus in profundo limo, resurgemus?

Putasne, quod adhuc spes esse resurgendi poterit? * mortuique homines rursum vivent?

Quam magna spes est, reponam; nam si ego dixero « nunc incipiam » tempus iam adest de somno surgere: * tempus acceptabile et dies salutis erunt a Domino concessi. —

— Attamen, adest prae foribus, quasi pondus plumbi collum deprimens meum, * idest peccandi fomes et voluntas;

Erigitur adversum me inimicus nu-

us, et consuetudo mali, * et quasi victum et vinctum manicis et compedibus me trahit suis.

Sed, si aspicies me, Domine Jesu, deprehensum in angustiis, erues me a circumdantibus me, * quomodocumque confirmatus sit eorum super me pavor.

Protege, Domine vivens, quia iam periit consilium a me, * et fortitudo defecit mea.

Quia confractum est brachium meum; * et meus non poterit me gladius salvare.

Tu solus mihi ad refugium relictus es; * et ante te omne est desiderium meum.

Et gemitus meus ;* a te non est absconditus.

Miserere mei; * et istam ad te depressam trahe animam meam.

Annuet rerum sator, et perenne
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi Flamen, Deus unus, omni
Temporis aevo. Amen.

CANTICUM CXXIII.

FESTUM S. FRANCISCI ASSISII.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Qui minor est inter nos, hic maior est; * quia qui vult primus esse erit omnium novissimus.

Qui se humiliat exaltabitur; qui se exaltat humiliabitur; * video superbum Satanam, sicut fulgur, de coelo cadentem.

Vae qui diligunt, sicut pharisaei cupientes primas cathedras in synagogis; * et in foro salutationes omnium.

Dominus Jesus vos abiicit; * quia humilitatem verbo, et grandiori exemplo nobis impense commendat.

« Discite a me quia mitis sum et humilis corde * et requiem animae invenietis vestrae. »

Et certe humilis! exinanivit enim semetipsum formam servi accipiens; * et terrae vermis, opprobrium factus est hominum.

Nascitur, ut proiectitius in stabulo; * circumciditur ut peccator.

Praesentatur in templo, ut victima, et tentatur sicut infirmus; * oh Dei Salvatoris mei humilitas!

Maledicitur ut improbus, * et flagellatur ut scelestus.

Calcatur ut seductor, ut blasphemus et ut Daemoniacus; * oh Dei Salvatoris mei humilitas!

Ligatur, conspuitur, condemnatur; et patibulo crucis inter Latrones medius affligitur; * oh Dei Salvatoris mei humilitas! —

— I nunc superbe Christiane; * intollerabilis impudentiae homo, infla te ipsum, intumesce. —

— Ecce Franciscus qui in vita sua humilitatis dono et virtutibus, * Dei templum in diebus corroboravit suis.

Humilem istum posuit Dominus in sublimi, * et caput exaltavit eius.

Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, * quia germen multiplicat sanctorum eius.

Et benedictus; * quia per istos spem in populis et gentibus salutis adauget et multiplicat.

O Divi amoris victima
Quino cruenta vulnere,
Francisce, qui vivam crucis
Christi refers imaginem.

Tu charitatis fervidis
Flammis adustus, sanguinem
Christo daturus, barbara
Ter cogitasti littora.

Voti sed impos non sinis
Languere flammas desides,
Et excitas coelestia,
Flagrans amore, incendia,

In prole vivens efferas
Pervadis oras, algida,
Gelu soluto, ut ferveant
Ardore sancto pectora.

Sic peramandis lividum
Armis Avernum conteris,
Virtutis, et firmum latus
Templo labanti subiicis,

Adsis, Pater, precantibus,
Ignemque, iate quo tua
Exarsit ingens charitas,
Accende nostris mentibus

Quasi arcus refulsisti inter gloriae nebulas; * et quasi Sol radians in templo splenduisti Domini.

Respice, beate pater Francisce, de excelso coelorum habitaculo, et deprecare, * ut nos terrena despicientes coelesti donorum participatione gaudeamus. —

— Quae Coeli Regina sedes, terrasque gubernas, * nostros ad coelum dirige virgo pedes.

Vita, salusque hominum, Patrum quae crimina solvis, * exulibus patriae limina quae reseras;

Cum qua prostrata Christus de morte triumphat, * tot debet palmas et cui virgo suas;

Tu mihi sis vitae post dira pericula portus, * gaudia tu cordis laetitiamque feras.

Lingua canentis,
Actaque vitae
Omnia spirent
Matris amores.

Ferveat imo
Corde repostum
Virginis almae
Nomen et ardor.

Quas tibi grates,
Mater agemus?
Laus tibi nulla
Par erit unquam. —

— Robora firmes
Corporis aegri;
Laeta timorem
Corde repellas.

Publica sanctis
Pandere laudis
Munera praesta,
Impavidumque
Pectore testem
Vera profari.

Ergo ades ultro,
Praesidioque
Laeta tuere
Muneris acta,
Cunctaque vitae
Facta guberna. —

— Qui Mariae sacros
Prosequitur pedes
Nemo beatior:
Nemo potentior
Quam dominum petens
Sub Maria duce.

— Sanctissima Trinitas unus Deus,* da nobis puris mentibus, sanctisque cordibus, tibi, per Mariam, iugiter sancta litare.

POSTCOMMUNIO

Diligo, te Domine, fortitudo mea, * amorem tui solum cum gratia mihi dona.

Diligo te plusquam me; * quia me creasti, redemisti et ditasti.

Diligam te in omnibus etiam, et omnia in te, * ex toto corde, mente, anima, et in viribus meis.

Amo te, amo amare te; * et ardenter cupio, ex libero in necessarium quantocius transire amorem.

Passio Christi amarissima conforta me; * bone Jesu, exaudi me.

Quomodocumque deliquerim, * ne permittas me separari a te.

Et si mei Creatoris oblitus sim, * ne me deseras oro.

Dele iniquitates meas, * et propter gloriam nominis tui impium iustifica ad pedes proiectum tuos.

Recipe filium prodigum, a facie profugum tua, * et nunc ad mansuetissimum Patrem revertentem suum.

Memento, Domine senectutis meae,* ne quando Leo rapiat animam meam; et non sit qui redimat, neque qui salvum faciat.

Ab hoste maligno defende me; * et in hora mortis voca me.

Animam meam in die obitus mei e loco angustiae libera; * et eam, Jesu pie, aeternis iube in regione vivorum confoveri gaudiis. —

— O Maria, filium Pater omnipotens tuum inter Deum et hominem mediatorem posuit; * te quoque inter reum et iudicem mediatricem collocavit.

Eia ergo, officium imple tuum; * et iube me ad te venire.

Ut cum Angelis misericordiam Dei,* pietatemque tuam in aeternum collaudem. —

— Sint Patri summo, genitoque Verbo,
Ac tibi verax utriusque Flamen,
Cum quibus regnas Deus unus, iidem
Laudis honores.

CANTICUM CXXIV.

FESTUM S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Deus meus, vita mea, fortitudo et laudatio; * dignare me laudare te.

Tibi sancti et humiles corde; * tibi Spiritus et iustorum animae gloriam referunt et honorem.

Tibi cunctae beatorum spirituum cohortes, et ordines suppliciter adorantes, * sine fine « Sanctus, concinunt, sanctus, sanctus. »

Et homo etiam magna creationis tuae portio, ore et corde, * perque dies, perque noctes laudes cantet tuas. —

— Sed, quomodo pulchra in ore peccatoris evadet laus? * vel quantum accepta e labiis pollutis?

Sanctificator excelse animum totum posside meum, * ut eum tuus absorbeat amor.

De visibilibus ad invisibilia transeat; de temporalibus ad aeterna; * et mirabilem visionem laudet tuam.

Ita sacrificium labiorum meorum acceptabile coram te erit; * et laudis hymnus in odorem ascendet suavitatis. —

— Tu es Deus omnipotens, * quem Trinum in Personis, et unum in Deitatis substantia colimus et adoramus.

Qui, cum non essemus, potenter nos creasti; * et cum culpa perditi fuissemus nostra, pietate mirabiliter recuperasti tua.

Miserationibus miserationes adde; fidem adauge, spem et charitatem, * vivifica nos, o beata Trinitas.

Magis quam nos et acceptabilius canori tibi tuorum Angelorum populi, * et coelestium virtutum cohortes, quae te cognoscunt, laudant et glorificant;

Faciem semper ibi videntes tuam; * sine temporum intermissione in te legunt et eligunt.

Semperque diligunt, * et nunquam praeterit id quod diligunt.

Legunt, eligunt, et diligunt * immutabilitatem consilii tui.

Legunt, quod nunquam eorum plicabitur liber; * quoniam ipsa tu, beata Trinitas, beatitudo illis es, et in aeternum eris.

O sancta Trinitas, felices qui te, et Verbum carnem factum * iucundissime laudant;

Et qui Mariam Patris Filiam, Spiritus sancti Sponsam, et Verbi incarnati Matrem * in laetitia cernere possunt.

O ter quaterque beati, qui nimia gaudent dulcedine et exultatione, * quia in te gaudentes semper vident unde gaudere et laudare valeant;

Qui semper videntes ardent, * laudant, et pius amant.

— Ave pulchrioribus amoribus mater et laudibus dignissima; * super agmina sanctorum adsis mihi laudatissima;

Ave grandis et pusilla, - Dei mater et ancilla, - * tu Regina Reginarum, - honor coeli, laus terrarum.

Ave turris nostrae spei, - esto virgo

memor mei, - * et cantorem laudum tuarum - salva mater gratiarum.

— Et tu Raphaël Archangele, qui es unus ex septem qui adstant ante Altissimi thronum, * lauda pro nobis Deum, Deique mirabilia nobis enarra.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Stirpis humanae sator, atque rector,
Arduum nobis tribue benignus
Scandere Coelum.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e coelo Raphaël, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo dux pacis, genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia Coeli.

POSTCOMMUNIO

O aeterna veritas, et vera charitas, * Domine Jesu et Deus meus.

Ad te nocte suspiro ac die; tibi inhio, tibique intendo; * et ad te pervenire desidero.

Qui te sacramentaliter sumit, te noscit; * veritatem appetit; immutabilitatem sperat.

Dulcedo ineffabilis, * totiusque optabilis es tu Christe Redemptor;

Cum in voce confessionis animam super te effundo meam; * paululum respiro, et in me exulto.

Et ad te vehementer aspiro; * dum in mente, veluti sonitum epulantium, et festivitatem celebrantium, sanctorum revolvo laetitiam omnium. —

— Sed oh! quam tristis es anima mea; * quare nunc conturbas me?

Spera in eo, donec haec brevis pertranseat nox; * et spera in dulcissima eius matre Maria.

Trahe residua adhuc in infirmo, et viduo corpore propter peccata; * trahe donec appareat dies.

Et spem confirma tuam in salutari vultus sui mane ad eum adstans; * contemplans, semperque laudans.

Vivificabit ipse mortale corpus tuum, * propter inhabitationem Spiritus eius in te, ut iam sis filius lucis.

Expecta igitur animula mea, per fidem contemplans, donec inclinentur umbrae; * spes enim quae videtur non spes, sed visio est.

Felix ego, et in perpetuum felix, si post resolutionem corporis huius audire meruero coelicolarum tripudia; * measque simul attexere voces!

Oh! nimium beatus si ipse ego supernorum civium dulcissima meruero canere cantica: * et in iubilum prolatus novas semper harmonias edere.

Memento Jesu pie, * quod tu ipse dignatus es mihi hoc polliceri.

« Pater volo, ut quos dedisti mihi, sint mecum; * et claritatem videant meam, quam habui a te ante constitutionem mundi. »

Laudet te interim cor meum pro mentis viribus; * et lingua canat, dum anima, carnis vinculis pressa, speret et supersperet. —

— Angelus Raphaël cum beatis spiritibus * laudat coram, non per fidem;

Sed diversis licet modis laudes tibi concinam ego, * tamen laetatur anima mea et supersperat.

Unum est enim laudis sacrificium; quod in coelis persolvitur et in terris sacrosanctae et individuae Trinitati; * et crucifixae Domini nostri Jesu Christi humanitati.

Misericordia redemptionis eius perveniemus ad eorum consortium; * tunc semper, facie ad faciem, perpetim hymnum dicemus.

Tibi Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus;
Alternantes, concrepantes
Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes
Omnes Coeli Principes,
Sed praecipue fidelem

Medicum et Comitem
Raphaëlem, in virtute
Alligantem Daemonem.

Quo custode, procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici :
Mundo corde et corpore;
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia. — Amen.

CANTICUM CXXV.

DOMINICA XX. P. P. — F. B. MARIAE V. SUB TITULO AUXILIATRICIS AGONIZ.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Ab omnibus me Domine erue iniquitatibus: * ob quas ludibrium me dedisti insipientibus.

Tabescere animam, sicut Araneam, fecisti, * iustum est a me maximas sumere poenas.

Tu scis improperium meum; * confusionem et verecundiam super me inductam, quibus suffundor.

Sed memorare, bone Jesu, * quod exolvisti quae non rapuisti.

De condigno pro me satisfecisti, * et copiosa omnium apud te redemptio.

— In dominatione tua, Deus pater omnipotens, universa sunt posita, * et non est qui voluntati possit resistere tuae;

Quia omnia de nihilo creasti; * et sola voluntate servas et defendis tua.

— Ecce auxiliatrix, ecce Maria, ecce nostra accurrit spes; * et nostrum in egressu auxilium nostro.

Praemonstratrix coelestis viae venit in adiutorium nobis agonizantibus, * ut nos a Daemonio liberet meridiano, et ab unguibus excursorum.

Dies verni circumdant eam, * flores Rosarum, et Lilia convallium.

Ornatam monilibus suis filiam Hierusalem Dominus concupiscit; * et omnis populus viscera laudat misericordiarum suarum.

Te Redemptoris, Dominique nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus et levamen
Rebus in arctis.

Saeviant portae licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet, et superno
Robore firmat.

Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntque turmae
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Milite tuta;

Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, Coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.

Sancta Maria auxiliatrix miseris auxiliare, iuva pusillanimes; * et refove flebiles;

Ora pro populo, interveni pro clero; * intercede pro devoto foemineo sexu.

Ave virgo vitae via, - salve mundi spes Maria; - * cuius legem cor rimatur, - os Sophiam meditatur.

Ave virgo specialis, - fove tuis me sub alis; - * sede fruar ut amoena, - et quiete pace plena. —

— Offero tibi, Domine Deus, Hostiam immaculatam istam; * tuum et Mariae invocans nomen auxiliatricis;

Calicem accipiam salutis, * et propitiationis victimam.

POSTCOMMUNIO.

Quid tibi, Domine Jesu, retribuam, * pro omnibus quae dedisti mihi?

Iterum te ipsum tibi offero; * sic in pace dormiam et requiescam, quoniam singulariter in spe constituisti me.

Ingemisco tanquam reus
Culpa rubet vultus meus;
Supplicanti parce Deus.

Justè Judex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Deus Unigenito tuo in cruce pendenti pro animarum salute * Genitricem virginem Mariam adesse voluisti;

Deus nobis in extremo vitae constitutis periculo, ad lectum doloris nostri ipsa adveniat mater Maria, * quae exorabilem te reddat et clementem.

Tu voluisti, ut de plenitudine intercessionis eius acciperent universi; * gratias tibi Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas.

Gratias, quia per talem mediatorem talemque mediatricem captivi redemptionem; aegri curationem; afflicti consolationem; * et peccatores contritionem obtinent et veniam;

Gratias, quia iusti gratiae accipiunt augmentum, * et gloriam et laetitiam cum Angelis sempiternam.

— Ecce, viri fratres, ad nos Maria,* sicut cinnamomum aromatizans et balsamum odorem dat suavitatis.

Ecce spes nostra, quam in adiutorium de coelo invocamus sereno; * ut, viventes, et morientes de manu nos Inferni liberet.

Ecce, quae in aeternum beatissima deliciis ascendit affluens, * et in odorem nos attrahit unguentorum suorum.

Post dira vitae praelia
Regina sanctos excipis,
Ore et beato recreas
Agone functos horrido.

Luctum et dolores carceris
Oblita mens in lumine
Tuae refecta gloriae
Te laudat, ornat, praedicat.

Te praesidem certaminis,
Teque auspicem victoriae,
Te janitricem gratiae
Jugi salutat carmine.

Andriani.

Virginum virgo, benedicta Jesu mater, * sub tuo in vita dimicantes praesidio triumphum in morte valeamus consequi.

Te per aeternos veneramur annos,
Trinitas summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent.

CANTICUM CXXVI.

FESTUM SS. SIMONIS ET JUDAE APOST.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Nobile par pugilum, per diras pergitis oras, * et quas Euphrates alluit, atque Tygris;

Quos amor et pietas, genus et cum sanguine virtus; * et Christi et Mariae iunxit et alma fides;

Quos et apostolicae claravit gloria vitae, * ornavitque sacra laurea martyrii.

Simonem et Judam, quos mors beata consociat una, * ipsorum canit lux hodierna fidem.

— Deus adiuvat me; * et Dominus protector vitae meae est.

Averte a me mala; * et secundum promissa tua Domine libera me;

Fuisti mihi munimen et refugium in tribulationibus, * quae invenerunt me nimis;

Mihi gratiam concede tuam, ut mecum sit mecumque laboret, * et mecum usque perseveret in finem.

Da mihi hoc semper desiderare, in te acquiescere; * ut cor meum pacem in te inveniat et felicitatem.

Da velle quod tibi magis acceptum est, et carius placet, * et te super omnia desiderare.

Tu vera cordis pax, requies tu vera animarum; * extra te dura et inquieta sunt omnia.

Tua mea sit voluntas; et mea semper tuam sequatur voluntatem; * et optime ei concordet.

Tu omnes creaturas possides; * sine labore regis eas, et sine taedio gubernas.

Nihil est, quod ordinem et venustatem imperii tui perturbare valeat, * vel in summis, vel in imis.

In omnibus locis sine loco haberis; * omnia sine ambitu contines; et sine fine, situ, vel motu ubique praesens ades.

Qui nulla turbaris animi commotione, * nec totius mundi, vel universi subversio tuum est damnum, vel periculum.

Et nunquam te aliquid fecisse poenituit, * aut anxit;

Qui nec mali auctor esse potes, quia malum nihil est; * et tu non potes nihil, dum omnia tibi pari modo possibilia sunt.

Ideoque flagitia, vel hominum scelera nec imperas, nec adprobas; * sed damnas omnino et punis.

Beatus, benedictus, gloriosus dominus Pater, dominus Filius, dominus Paraclytus, * Charitas, Gratia, Communicatio.

Genitor, genitus, regenerans, * sancta Trinitas unus Deus laudamus te, adoramus te, benedicimus tibi.

In bonitate tua possidentem, quae coeli continentur ambitu, Dominum te profitemur vitae et mortis; * peregrinationis et gloriae nostrae.

Converte ad nos oculos miserationis tuae; * et adiuva nos.

Iniqui animam persequuntur nostram, * et ad exinanitionem redigunt eam.

— Confortamini viri fratres in Domino; * et in potentia virtutis eius state adversus insidias Diaboli.

Unicuique nostrum dedit Deus gratiam, * secundum mensuram donationis Christi.

In salutari tuo, Domine; * et in verbo salutaris tui anima confidit nostra.

Induamus armaturam Dei; * ut viventes et decidentes omnia nequissimi hostis ignea tela extinguere possimus.

Tandem aliquando ex hoc transibimus exilio in locum admirabilis Tabernaculi sui; * atque incolumes ad sedem perveniemus gloriae suae.

Unum sit mihi velle, et unum nolle, * nec aliter posse, velle, aut nolte, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt; * et propter te contemni, et in hoc nesciri saeculo.

— Parum est, quod passus sum, * in comparatione Simonis sancti et Iudae;

Parum in comparatione aliorum apostolorum, virginum et martyrum; * qui tam multa pro nominis tui gloria sustinuerunt.

Tam fortiter tentati, et tam graviter ipsi vexati; * tam multipliciter probati et exercitati.

Patiar adhuc ego pro te aliquid, * et possibile fiat per gratiam quod impossibile mihi videtur per naturam.

Interim, tu Domine, qui poenitentium peccata secundum multitudinem deles miserationum tuarum, * praeteritorum criminum culpas venia tuae evacua remissionis.

— Temporalia, Domine, quaesivi bona, * et ecce statim ac obtinui turbatus fui.

Inops et vacuus bonorum operum iam morior; * et tu non es mecum.

Ubi sunt misericordiae tuae antiquae? * numquid irasceris mihi in finem vitae meae?

Placare, obsecro, et miserere mei, faciemque a me non avertas tuam; * qui eam pro me redimendo ab increpantibus non avertisti, et a conspuentibus.

Peccavi, damnationem merui, et poenitentia non sufficit mea ad salvationem; * certum tamen est, quod misericordia tua omnem superat offensionem.

Vae mihi misero, cum dies iudicii advenict tui, et de me dicetur; * « ecce homo, et opera eius. »

Quid tunc faciam, domine Deus meus; * cum coeli et terra iniquitates revelabunt meas?

Cum conscientia me accusabit, * et omnes adversus me consurgent?

Trepidus nunc potius et confusus volo coram te supplex stare; * et obsecrare.

Noli, piissime, adversum me amaritudines scribere meas; * ut postea intres in iudicium cum servo tuo;

Potius secundum multitudinem miserationum tuarum, * animam dealba meam.

— Deus meus es tu; * et ego filius matris tuae Mariae;

Holocaustùm ipsa in conspectu ponat tuo; * et tu hodie peccato propitiaberis meo.

Holocaustum, in quo fructus est nobis iustitiae et redemptionis; * sanctificationis et glorificationis.

Sancta Maria, mater mea, sicut laetantem Jesum in ulnas iamdiu recepisti tuas; * sic me indignum recolligas oro, et ipsi reconcilies.

POSTCOMMUNIO

Tu, Domine Jesu, vera cordis pax, nostra tu sola requies; * in te uno summo aeterno bono dormio, et iam requiesco.

Modicum anima expecta mea, divinum expecta promissum, * et omnium abundantiam bonorum in coelo habebis.

Hic Domine fac in me quod iubes, et iube in me quod vis; * in manibus ego sum tuis; gyra et reversa me in circuitum.

Haec mihi in saeculo compensatio; * libenter carere velle omni humano solatio.

Et si tua etiam defuerit consolatio; * tua iusta voluntas mihi sit probatio dilectionis, summumque solatium.

Non enim in perpetuum irasceris, * neque in aeternum comminaberis.

— Anima mea invoca Mariam, * neminem tam poenae in hac vita torscunt propriae, quam ipsam alienae.

Mater, si dum vivebas in hoc mundo, tanta pietas fuit tua, * quanto maior in coelis esse debet ubi regnas?

Iris pacis, Arcus sempiterni foederis es tu, * quae Dei mitigas iudicium et sententias contra nos peccatores confitentes.

Tu Christe panis es vivus, qui de coelo descendisti; * et Maria facta est quasi navis institoris de longe portans nobis hunc vitae panem.

Venit e Coelo mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere vates,
Parce moerori, lacrymisque amaris
Filia Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodivit; novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Permanet orans.

Vindicem placat Genitoris iram;
Reprimit forti iacienda dextra
Fulmina; occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.

Sic terit duros laqueos Averni;
Et diu clausam reseravit aulam,
Nos ad aeterni revocans beati
Gaudia Regni.

In tuo quicumque per poenitentiae Sacramentum proluit sanguine stolam * abstergit maculas, et candidum induit decus, quo protinus Angelis sit similis.

Benedictus es, Domine Jesu, qui tam salubri terram aridam pluvia de tuis irrigasti venis * quae rhamnis scatebat et sentibus.

Et in aeternum benedicendus, quia nunc tuo pretioso irrorata sanguine * flosculos germinat fragrantissimos;

Et fructus affert suavissimos * ad Beatorum sedem, procreatione filiorum, incolendam.

Summa laus Patri, genitaeque Proli
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus,
Omne per aevum. Amen.

NOVEMBER

CANTICUM CXXVII.

DOMINICA XXII. POST PENT. — FESTUM SANCTORUM OMNIUM.

(Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi integrae debent huic et aliis quae leguntur in principio cuiusque mensis.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Video in coelis turbam magnam ex omnibus gentibus, stantem ante thronum; * quam dinumerare nemo potest.

Benedicite Dominum omnes electi eius; * diem agite laetitiae et confitemini illi.

Gaudium illud, quo electi gaudent, nec auris audivit, nec oculus vidit; * nec in cor ascendit hominis.

Tantum gaudent, quantum amant; * tantum amant quantum cognoscunt.

Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo; * adhuc supra modum superest gaudium.

Gaudium est plenum, et plusquam plenum; * quia non solum intrat in gaudentes, sed toti in illud gaudentes intrant.

Salve patria, salve celso in vertice fulgens; * te de valle salutant voces exulis aegri.

Ad te pectus anhelat, * pleno ut gaudia de fonte aeterno ebibat haustu.

Laetamini in Domino, exultate iusti, * et gloriamini omnes recti corde; * gaudium nostrum magnum erit in coelis.

— Dominus meus et Deus meus, * per tui cordis gaudium, redde me dignum in istud intrare perfectum et plenum gaudium.

Cor meum, cor indigens, cor miseriis obrutum, quantum gaudebis in gaudium receptum Domini tui; * ibique in saeculum permansurum saeculi!

Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israël, populo appropinquanti sibi; * gloria haec est omnibus sanctis suis.

Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo, ex omnibus linguis et nationibus; * et fecisti nos Deo nostro regnum.

Vos Angelorum millia,
Patrum coetus, et agmina
Canora Vatum; vos reis
Precamini indulgentiam.

Baptista Christi praevius,
Et claviger aethereus,
Cum caeteris Apostolis,
Nos solvant nexu criminis.

Chorus sacratus martyrum,
Sacerdotum confessio;
Et Virginalis castitas
Nos a peccatis abluant.

Monachorum suffragia
Omnesque cives coelici
Annuant votis supplicum,
Et vitae poscant praemium.

Quicumque in alta syderum
Regnatis aula Principes
Favete votis supplicum,
Qui dona Coeli flagitant.



S. STANISLAO KOSTKA.

Purissimo S. Stanislao voi che per l'ardentissimo amore verso Gesù meritaste di riceverlo per mano degli Angeli, accendete me di un amore equale, ed impetratemi maggiori desiderj, e sempre migliori disposizioni per l'augusto Sacramento della Santa Comunione. Così sia.



A. P. Roma Via di S. Pantaleo N.° 14.

Benedictio, claritas, sapientia, et gratiarum actio, * honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula.

Oro te, Deus meus, cognoscam te, te amem; * ut de te semper gaudeam.

O admiranda divinae propitiationis dilectio; * mihi amorem ostendendo tuum a multis variisque me liberasti periculis.

Nec quidquam condigne amori possum conferre tuo; * nec satis meis unquam explicare canticis.

Nam dum diversis ostenderem modis, et a peccando non desisterem, tu dissimulasti, * nec ad me puniendum properasti.

Domine me visitasti, et cor mutasti lapideum meum; * ita ut amara sentiam nunc esse illa, quae antea male dulcia mihi erant.

Amator piissime, qui commoves terram, et conturbas eam, cordis mei contritiones sana et passiones, * quia iam ob errata dolore excruciatur.

A faecibus munda peccatorum; incendio dilectionis tuae excita illud; * et a torpore resuscita ignaviae.

Crescat, et hic amor concrescat tuus; * hic gaudium tuum magnum mihi sit in spe, ut sit ibi in re plenum.

Deus verax, peto ut accipiam quod per Filium promisisti tuum; * « petite et accipietis, ut vestrum gaudium plenum sit in coelis. »

Illud mens meditetur mea; lingua illud sermocinetur mea, * et cor amet meum.

Anima illud esuriat mea, * et caro sitiat mea.

Illud tota mea desideret substantia; * ut in illo exultem, cum gloria apparuerit tua.

— Amoris plenitudo et gaudium plenum est in coelo * sed et etiam in Eucharistica mensa.

Paradisum ille in corde delibat suo, * cui tibi Deus meus dulcedinem communicare libet tuam.

Amplectar te, sponse coelestis, sempiterna beatitudo desiderium et summa animae meae exultatio; * teneam te, ita ut in aeternum possideam.

Accipe interim libertatem; spiritum meum, * nihil inde meo relinquens arbitrio.

POSTCOMMUNIO.

Iusti in perpetuum vivent; * quia iustorum vita et cibus Dominus est.

Anima mea unicum istud amat bonum, * quod omne bonum est, et in quo omnia sunt bona.

Concupiscit, et iam anima deficit mea de memoria tui; * quando veniam et apparebo tibi in laetitia maxima?

Quare faciem a me abscondis tuam? gaudium per quod vivo; pulcher mi quem desidero, * vita mea, cui omnia vivunt, ubi latitas?

Vocem audio tuam, et reviviseo, * sed cur faciem non video tuam?

Tu dixisti « non videbit me homo et vivet » * eia, Domine, moriar ut te videam; videam et illico moriar ad te in aeternum videndum.

Saltem quaeram te semper, te semper desiderando, * et te quaerendo semper te invenire desiderem.

Inveniam te amando; * amem amplius inveniendo; * et inveniendo, et amando, nunquam amplius te amittam;

Cognitor meus, virtus mea, * consolator meus, lumen oculorum meorum;

Desiderium vivissimum mentis et cordis mei, * ostende te mihi, videam, cognoscam, et oro, ut moriar;

Cognoscam non solum per speculum et in aenigmate, sed sicut potestates te cognoscunt, et coelorum virtutes, * sicut principatus et dominationes.

Sicut te cognoscunt Patriarchae, et Prophetae, * Doctores et Apostoli.

Martyres et Confessores, * Virgines et Anachoretae.

Laetamini Iusti in Domino; * et in confessione laudis confitemini sanctitati, iustitiae, et misericordiae eius.

— Piissime Domine Deus meus; * tu qui in me hanc imaginem creasti tuam, reforma eam.

Concupiscit et iam deficit anima mea contemplans te Deum meum, * in quo omnia perfecta in bonitate potentia et sanctitate.

Influat in me bonitas ista tua * quae de tanta et tam variata opulentia procedit sanctitatis et sapientiae tuae.

— O Maria in umbra alarum requiescamus tuarum; * quia delectabile nobis erit valde refrigerium tuum.

Manus tuae myrrham distillant primam et pretiosam; * et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmenta mali-punici guttur est tuum; * et oris tui spiramen suave compositum Thymiama.

Tota pulchra es in gloria sanctorum omnium; * ut luna plenissima est aspectus decorus tuus, et tamquam sol refulges.

Sanctorum aeterno splendent mille agmina regno numinis, * et longo gaudia fonte bibunt.

Una tamen meritis, virgo, supereminet illi * curia tota alacri funditur obsequio.

Tuque, o quae cunctos ultra subvecta Tonanti * donisque et meritis proxima virgo

Da pacem longos inter fera bella labores; * da patriae tutos posse tenere sinus.

Sit laus Patri cum Filio,
Et utriusque Flamini,
Quod vestra felix civitas
Hymno celebrat perpetim.

CANTICUM CXXVIII.

COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 4.)

O vos fideles animae
In Christo defunctorum,
Sed merito prohibitae
Ab aditu coelorum;
Quam velim vobis dexteram
Opemque praesentare,
Ut hinc ad coeli gloriam
Possitis evolare,

O magne Pater, domine
Misericordiarum,
Facturas tuas respice,
Sed immemor irarum;
Poenas sunt quidem meritae,
Te tamen non negarunt;
Hinc locus sit clementiae,
Ignosce quod peccarunt

O Jesu clementissime,
O optime Salvator,
Tuo redemptis sanguine
Sis mitis liberator.
Indulgeto amantibus
Tuam benignitatem;
Paenamque deprecantibus
Ostende bonitatem.

O Consolator optime
O dulcis Paraclyte,
Hos tu desertos respice,
Et indigos quiete.
In aestu hoc temperiem
Veraeque pacis bona;
Et, post laborem, requiem
Aeternam eis dona.

Omnes resurgemus * sed non omnes immutabimur.

Mortui in charitate Dei resurgent incorrupti, * et pietate Dei immutabuntur.

Absorpta est mors in victoria; * corruptibile corpus induit incorruptionem; mortale immortalitatem.

Beati tantum mortui, qui moriuntur in Domino; « amodo, jam dicit Spiritus,* ab auditione mala non timebunt. »

Rex tremendae maiestatis
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Juste iudex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Precibus tu nostris semper occurris * precibus ideo et humili te invocamus obsecratione.

Hostias etiam tibi Domine laudi,

offerimus; * tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus. Fac eas de morte transire ad vitam * quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

Lux aeterna luceat eis, Domine, cum sanctis tuis in aeternum, * quia pius es.

Libera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum, et eas absorbeat Tartarus; * sed signifer sanctus Michaël in lucem eas repraesentet sanctam.

Requiem, Domine, aeternam dona omni quae ad te venit carni, * ut inde reviviscat in cinere animata suo.

Confundantur gehennae ianitores, * et ministri erubescant nequitiae.

Resurgant ad indulgentiam, non ad poenam; * et liberas Paradiso redde tuo.

Vos tutelares genii,
Quorum sunt hi clientes,
Quantum vestri subsidii
Sunt ipsi indigentes!
Piorum desideria
Et vestrum excitate,
Aptata refrigeria
Clientibus curate.

Vos omnes quoque coelites
In regno triumphantes
Solamini hos milites
In flamma hac purgante;
Vestris in terris socii
Cum fuerint laborum,
Nunc et beati otii
Sors vocat et donorum.

Quot usque estis Numini
Et superis devoti
Audite quid rogemini,
Ut sitis Dei toti;
Haec charitatis viscera
Fraternae explicate:
Vices rependet misera
Haec turba liberata.

O dulcis Mater gratiae
Solatrix afflictorum,
Vim cohibe iustitiae
Rigorem tormentorum:
Flammam voracem tempera
Et mitiga dolores:
Incendium refrigera
Et fini hos angores.

Congrega me quoque, Domine Jesu cum Filiis Dei, qui Dii vocabuntur; * haeredes quidem Dei, Christi cohaeredes.

Te Redemptorem videam et ego facie ad faciem * et praesens semper adsistens, manifestissimam beatis oculis aspiciam veritatem.

Recordare Jesu pie
Quod sum causa tuae viae
Ne me perdas illa die.

O quantum erit mihi gaudium cum gaudentibus; * et illic possessio cum possidentibus.

Novi quidem quod multi idipsum possidebunt, * quos omnes, quantum me ipsum, amabo.

Et tantum pro singulis laetificabor, * quantum pro me ipso.

Ecquid vero erit de mutua illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum, * qui non aliter gaudent pro singulis aliis, quam pro se ipsis?

Cor meum capax erit tot continere et tanta gaudia? * Utique, quia in te infinito Domino meo, infinite gaudebo.

Ave Jesu, solatium nostri laboris; * nostrae afflictionis refugium.

Ave nostrae peregrinationis viaticum, * et nostrae expectationis sine termino praemium.

Panis ave Angelorum, * factus cibus viatorum.

Ave cibus fortium, * vita, veritas, et ad patriam via.

POSTCOMMUNIO.

« Ego sum resurrectio et vita, dicit Dominus, * qui credit in me vivet in aeternum. »

Et iterum; * « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, ego resuscitabo eum in novissimo die. » —

— Jesus mortuus est, et resurrexit; * ita Deus qui in Jesu dormierunt, adducet cum eo.

O fons misericordiae,
Summaeque bonitatis
Prosint piorum lacrymae
Hoc igne cruciatis:
Locum tuae iustitiae
Agnoscimus Infernum:
Laudes tuae clementiae
Hi cantent in aeternum.

Quid est praesens vita * nisi cursus ad mortem?

Si enim comparatur tota hominis longaevitas aeternitati, * non est nisi momentum.

Nil est, nec dici potest diuturnum,* in quo est ad extremum pervenire.

Et omnia singulorum spatia definita si interminabili comparentur aeternitati, * non exigua sunt, sed nulla.

Sicut foenum dies transierunt mei;* et brevi effluxerunt tanquam flos agri.

Spiritus non semper in me subsistet; * pertransibit, nec amplius cognoscet locum in quo floruit.

In corpore, et in spiritu meo misericordia solummodo perdurabit tua; * quia inexterminabilem, ob ipsam, me constituisti.

Attamen non in terra, in qua omnia mutationi subiacent, sedem parasti meam; * sed ubi te benedicunt omnes potentes virtute, verbum facientes tuum.

Pauros post dies, vel menses, vel annos, expleto exilio isto; * rapiar in nubibus obviam Christo meo in aëra, cum mortuis tuis.

Pellite corde metum mea membra, et credite vosmet cum Christo reditura Deo; * et vos gerit ille, et secum revocat.

Morbos ridete minaces; inflictos contemnite casus, et atra despicite sepulchra; * exurgentes, quo Christus provocat, ite.

Qui me refecit, manna me cibavit patrum, et potu immortalitatis potavit; * ipse et inter oves mihi praestabit locum.

— In illa, viri fratres, infinita amoris extasi amabimus Deum plusquam nos ipsos et omnes electos simul * io! dicite triumphum!

Matrem amabimus Dei nostri, plusquam nos ipsos et omnes electos simul; * oh! voluptas!

Ita plus gaudebimus, absque aestimatione, de felicitate Dei, et matris nostrae Mariae, quam de nostra, * et omnium aliorum nobiscum.

Tota mens, totum cor, tota anima hac sancta inebriabitur dilectione; * io! in saecula, dicite triumphum!

Quid porro me iactem ad sperandum hunc plenum triumphum? * cognoscis, Domine, figmenti mei miserias et aerumnas.

Sed si iuste contra me irasceris; recordare quia pulvis sum, * et mortis umbra.

Substantia mea tanquam nihilum ante te, * si poenitet me, tu propitiaberis mihi.

Omnes ergo Domine, infirmitates * sana meas et aerumnas.

Usque adhuc longanimis non secundum peccata fecisti mea mihi, * neque secundum meas retribuisti iniquitates.

Redime ergo de interitu animam meam; * ne tradas bestiis confitentem nomini sancto tuo.

Libera me ab igne devorante; * num habitare potero cum ardoribus sempiternis?

Tua me salva virtute, * ut ad nullum declinem peccatum.

Et ad tuam faciendam iustitiam mea procedant eloquia; * dirigantur cogitationes et opera.

Corona ut in Aquila inventutem meam, et gratia recinge tua senectutem meam, * sic iudicium merear evadere ultionis.

Requiem aeternam, beata Maria, * omnibus fidelibus impetra defunctis.

Misericordia et miserationibus circumda etiam me tuis,* parentes et proximos meos.

Qui poenali expectant detrusi in carcere lucem, * Virgo, fidemque tuam, praesidiumque vocant.

Tu resera occlusos postes, tu vincula solve, * tu pande ad Christi regna beata viam.

Benigna mater numinis
Spes una fuuctis lumine;
Quos flamma coeci carceris
Aestu et tenebris expiat.

Disrumpe noctis vincula,
Durosque postes dimove;
Ut ad supernam convolent,
Te dante, lucis patriam.

Per te perennis gaudii,
Vultusque Patris compotes,
Vires, decus, clementiam
Tui celebrent nominis:

Nostra et videntes eminus
Tot bella, tot discrimina,
Laeti salutis tam suae
Nostram tueri gestiant.

— Domine Jesu, * salva a poenis et cruciatibus omnes nobis benefacientes.

Bonis reple tuis omne desiderium eorum; * et eos in requiem adduc sempiternam.

Per te fideles mortui
Flammis habent auxilium;
Qui tanta praestat munera
Regnet Deus per saecula. — Amen

CANTICUM CXXIX.

FESTUM S. CAROLI BORROMAEI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Pastoralis tua sollicitudo gloriosum te reddidit; * placuisti Deo, beate Carole; et in tempore magnae iracundiae eius factus es gregi tibi credito propitia reconciliatio.

Agnovit te Dominus in benedictionibus suis; * et benedictionem populorum omnium claritati addidit tuae.

Magnificavit te; assumpsit te in Sacerdotem magnum; * et te beatificavit in gloria.

Euge, serve bene, euge et fidelis, super multa te constituit, * et te in gaudium introduxit suum Dominus Deus omnipotens.

In consolatione et tribulatione nobis intercessio opituletur tua; * ut amore et charitate ferventes gratiam coram oculis inveniamus Domini.

— Quis dicere, aut tantum cogitare poterit, * qualis sine fine in sanctis sit festivitas visionis Dei?

Et quid desiderium visionis eius cum satietate: * et satietas cum desiderio?

— Benedic anima mea Domino; * et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Ecquis par erit ad explicandum, quae eorum sit laetitia sine defectu? * et qualis omnis ardor non crucians, sed summopere delectans?

— Benedic anima Dominum, * qui reformabit corpus humilitatis meae, configuratum corpori claritatis suae.

— Beati summae inhaerebimus beatitudini; coniuncti lumini, lux facti; * et in incommutabilem aspiciemus Trinitatem.

Voces ideo iungamus nostras sanctorum vocibus et Angelorum; * et pro modulo laudemus nostro communem Dominum.

Justum namque est ut creatura suum laudet Creatorem; * nostris non indiget laudibus, sed ad se laudandum nos plasmavit et refecit.

Transeat interim animus noster; * et omne quod creatum est transcendat.

Currat, volitet, * ut iustitiae sedem aquilinis contempletur intuitibus.

Lux stellarum, firmamenti, et solis, quae loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, * in comparatione illius lucis non dicenda est lux, sed tenebrosa nox.

Vera est lux et indeficiens; * aeterna, et immutabilis essentiae:

Lux praeterea incomprehensibilis virtutis, nullius indigens, * ipsa sibi sufficiens.

Cuncta alens, * et se extra se communicans.

Lux est ista magnus Dominus noster * Dominus stabilis et immensus.

Infinitus, interminus, inscrutabilis;* et cuius sapientiae et omnipotentiae non est numerus.

Venerandus, atque reverendus; amabilis atque amandus; * metuendus atque terribilis; honorandus atque laudandus;

— Et tamen iste terribilis et metuendus Dominus, * in altari nostro sese humilians, suavissimae suae gratiae dapibus, et coelesti suae carnis nos satiat pabulo!

Benedic anima mea Domino humiliato nostro, * qui nos dignatus est visitare oriens ex alto, et nobiscum remanere.

O Divina abscondita vis! * homo in cruce pendens aeternam suspendit mortem, genus prementem humanum!

O celata potestas! * homo cum latronibus damnatus homines salvavit cum Daemonibus iam perditos!

Homo in patibulo extensus, et animam emittens animarum peremit mortem; * et omnia ad seipsum traxit, et reviviscere fecit!

Fac nos Domine gustare per amorem, quod per cognitionem scimus * et per effectum, quod sentimus per intellectum.

Nostra peccata, Pater sancte, lethalem merentur sententiam, * sed pretiosa ad dexteram consedentis tuam prolis interpellatione tu placatus restaures ad vitam.

Clamemus clamore magno, * totis cordis medullis clamemus, viri fratres, in iubilo, et in mentis ardentissimo desiderio.

Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales;
Tuos tibi commensales,
Cohaeredes ac sodales
Fac sanctorum civium, — Amen.

POSTCOMMUNIO.

Utique bonum est confiteri Domino, * laudibus nomini suo psallere altissimo.

Justus sicut Palma florebit; * et sicut Cedrus Libani a Domino multiplicabitur.

Vir insipiens Providentiae Dei vias atque consilia non dignoscit; * et stultus haec non intelligit.

Nos per fidem scimus, et per experientiam, quod oculi tui in hoc Sacramento defixi sunt super nos, * et aures tuae ad preces intendunt nostras.

Clamamus ad te, et tu exaudi nos; * et ex omnibus libera tribulationibus.

Tu custodis omnia ossa timentium te; * ne unum ex his sinis conteri.

Divites in superbia egurgitant sua et esuriunt, * inquirentes autem te in humilitate spiritus non minuentur omni bono.

Qui de te vivo gustant, et vero, suavem te dicunt, * laudant, et in te confidunt.

Timete eum gentes et populi, * gustate dulcedinem magnam istam de fontibus Salvatoris.

Reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani; * ut inventor mortis Diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur.

Exultet sanctus, quia ad palmam propinquat victoriae; * gaudeat peccator, qui invitatur ad veniam.

Laetentur gentiles, * quia vocantur ad vitam.

Timete eum, viri fratres, * cum timore et tremore salutem operamini vestram.

— Magnificabimus Dominum Jesum nostrum; * et nomen Mariae matris eius exaltabimus in idipsum.

In ipso et in ipsa anima exaltabitur nostra, ob acceptam redemptionem; * audiant hoc poenitentes, et congaudeant cum mansuetis.

O benedicta filia Hierusalem propitia nobis sis et clemens; * curam assumens conquerentis peregrinationis nostrae.

Te sequentes nunquam deviabimus; * et magna est multitudo dulcedinis tuae.

Dominum ergo et Dominam in omni benedicamus tempore; * gloria et laus eorum ubique ab ore resonet nostro.

Christi sancta parens, a te, ceu fonte perenni, * iustitiae et vitae gratia cuncta venit.

Te dedit omnipotens vitae pacisque sequestram, * inque tuum sortes contulit arbitrium.

Sic te Christianum patronam sacra vetustas sensit; * et assiduis extulit obsequiis.

Sic et maiorum vestigia sancta sequentes, * ad tua Diva parens, munera perveniant.

Fac Deus simplex, pariterque Trine
Hic sequi vocem Genitricis almae;
Ut tibi laudis modulemur hymnum
Omne per aevum. — Amen.

CANTICUM CXXX.

DOMINICA XXIII. P. P. — OCTAVA SANCTORUM OMNIUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Dominus Deus noster non sinit nos homines subiacere periculis; * cogitationes cogitat ipse pacis et veniae.

Nos te invocantes de cunctis reducis captivitatis locis; * vitam actionis nobis addis; vitamque contemplationis pro mercede superaddis.

A corporeis cupiditatibus libera nos Deus; * et tuae nos divinae fac vacare sapientiae.

Strepitus conticescat terrenarum cupiditatum; * et in deliciis aeternis anima laetetur nostra.

Verbum supernum prodiens
E Patris aeterni sinu;
Qui natus orbi subvenis,
Labente cursu temporis

Polliceri dignatus es nobis « Pater volo, ut quos dedisti mihi, sint mecum; * ut videant claritatem meam, quam habui ante constitutionem mundi. »

Et denuo, * « qui mihi ministrat me sequatur; et ubi ego sum, ibi minister meus erit. »

Et quasi non sufficeret promissionis amplitudo, tertia promisisti vice; * « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum; et manifestabo ei meipsum.

Illumina nunc pectora;
Tuoque amore concrema;
Ut cor caduca deserens
Coeli voluptas impleat.

Utique diligens te Domine ex toto corde meo * novum dilectionis hymnum gloriae canam tuae.

Sed quis promet quanta sit laetitia, * et quam summa visionis tuae gloria?

Quam excelsa regia sit habitationis tuae? * ubi vivis margaritis, auro mundo et pretiosis gemmis, omnis structura nectitur?

Ibi Lilia, Croca, Balsama, Pigmenta et Aromata; * et non lapsura poma floridorum pendent nemorum.

Mutabilibus exutus quisque sanctorum * velut praeclarus solis splendor rutilat.

In te cuncta valentes scire * pectoris arcana penetrant vicissim;

Ita ut, quod est proprium singulorum, * sit comune gaudium omnium.

Lumen agni triumphantis * inocciduum diem illis fert continuum;

Immortales, rutilantes * mutuo conjubilant?

Et nos gementes, conquerentes exules Filii tui, * in hac adhuc tenebrarum et lacrymarum valle

Lutum sumus, * sed tu frater noster, tandem operi manum tuarum porriges dexteram.

Tua cum miseratione omni labe fuerimus defaecati, * carnis bella in nobis non amplius residebunt.

Infirma et inquinata statura nostra, * per te in spiritualem immutata, et mentes nostrae unum tecum idem sentient.

Pace multa perfruentes, * non amplius mundi scandala sustinebimus.

Tuam exinde contemplantes divinitatem, * et ex tua speciosa humanitate dulcedinem colligentes.

Aquam haurimus, bone Jesu, * ex vivo fonte vitae tuae;

Quam in praesenti sub aenigmate, * et sub diversis speciebus audemus sumere.

Jesu corona coelitum,
Maria Coeli gaudium,
Deo fruentes Angeli
Audite vota supplicum.

Jam nunc, Paterna claritas,
Te postulamus affatim
Absint faces libidinis,
Et omnis aestus noxius.

Ne foeda sit, vel lubrica
Compago nostri corporis;
Ob cuius ignes ignibus
Avernus urat acrius.

Mundi Redemptor, quaesumus,
Tu probra nostra diluas,
Nobisque largus, commoda
Vitae perennis conferas.

Vos Patriarcharum chori,
Vatumque turmae nobiles,
Vos Principes Apostoli
Vos purpurati Martyres;

Vos Incta Confessoribus
Amoena castra virginum,
Anachoretarum greges,
Nostris favete precibus.

Vos Angelorum curiae
Cingunt Choreae perpetim,
Et irrigant purissimi
Æternitatis rivuli.

Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut Christi laudes debitas
Persolvamus alacriter.

Desideratissime Agnus Dei et amantissime, bone pastor, panis vere, *tecum nunc, et in aeternum cum sanctis coniubilabimus tuis.

Tu nos hic pascis, hic tueris; * et tu nos pasce, et nos videre bona tua facias in terra viventium.

Omnes sancti et sanctae Dei, et tu praesertim salvatorum Regina,* sublevate servulos, magna labefactatos tempestate.

Jam dudum gemitu, et lacrymis pulsatur Olympus, * gratia nec reserat commiserata fores.

O coelici Quirites
Tonantis aulici
Post bella postque lites,
In axe fulgidi,
Clientuli precantis
Ne vota spernite.

Servique vos vocantis
Ne verba temnite,
Adeste quando vitae
Est lapsa Clepsydra:
Ad vota tunc venite
O viva sidera.

Tunc transitum parate
Ad celsa limina.
Terrisque me vocate
Ad vestra gaudia.

POSTCOMMUNIO

Jesu misericordiae et pietatis, * qui mihi opitularis, vivus ad me veniens, et verus.

Jesu indulgentissime qui misereris super afflictionem uniusculusque nostrum, * auxilium gratiae tuae nobis praesta.

Dulcissimum nomen tuum invocantes et Mariae, * familiam et proximum nobiscum, a teterrimo isto rebellionis spiritu, et a morte libera aeterna.

Libera etiam, Jesu pie, gloriae rex, vivens et in saeculum regnans populos et gentes omnes a totius perditionis incursu.

Gratiam in conspectu fac inveniamus tuo * nos exaudiens, et de mercenariis considerans tuis.

Exultat anima nostra in spe gaudii tui; * et pulcherrimae matris tuae.

Tu, o Maria, mater es etiam nostra; tuis nos doloribus pasce in hac vita *

tuisque singultibus tepiditatem refove nostram.

Per tuam propitiam intercessionem cito Redemptor noster miserebitur nostri * quia nos exaudiens te honorat.

Amara cuius Passio, et piissima tua compassio aeternum nobis comparavit gaudium; * et gloriae coronam.

Ad hanc obtinendam nos induit filius tuus vestimento salutis; * et indumento iustitiae circumdedit nos.

Gaudentes in te gaudebimus; * et anima ad pacem recepta Angelorum monilibus ornata apparebit quasi sponsa.

Urbs beata Hierusalem,
Dicta pacis visio,
Quae construitur in Coelis
Vivis ex lapidibus;
Et Angelis coronata,
Ut sponsata Comiti.

Portae nitent margaritis,
Aditibus patentibus,
Et virtute meritorum
Illuc introducitur
Omnis qui per Christi nomen,
Hic in Mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis;
Disponuntur permansuri
Sacris aedificiis.

Gloria et honor sit Deo,
Usquequaque Altissimo,
Una Patri, Filioque,
Inclyto ac Paraclyto,
Cui aequalis est potestas
Per immensa saecula. Amen.

CANTICUM CXXXI.

FESTUM S. ANDREAE AVELLINI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Deus Deus meus factus es fortitudo pauperi in tribulatione; * spes a turbine; umbraculum ab aestu.

Cum saevissimo hoste animarum nostrarum, * non in tua Divinitate, sed in nostra congressus es humanitate.

Eamdem obiecisti ei nostram formam, eamdemque naturam; * mortalitatis quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem.

— Beatae Mariae virginis viscera, quae aeterni Patris portaverunt Filium * nos salvent.

Et beata ubera, quae Christum lactaverunt Dominum * nos sanctificent.

Reminiscentes ergo, quia per viscera misericordiae Dei nostri eruti sumus de potestate tenebrarum; et in lumen translati et regnum gratiarum,* confidenter sic clamabimus.

« Quid de morte repentina corporis, * anima turbaris mea ?

« Jesus Dominus, frater et sponsus meus, peccatum et mortem vicit, * nihil ergo efficiunt mihi. »

« Ipse oblatus, quia voluit, tradidit semetipsum, * et cruci mortem et peccatum affixit. »

« Affixit, ut stimulum omnem in nostrae retunderet vitae exitu; * et nobis vitae donaret regnum. »

Cogita interim anima mea, * quod aeternae aestimatio vitae tantum est, quantum Deus est.

Ubi ergo o mors stimulus existit tuus? * ubi victoria tua?

Cogita etiam, quod si ipsi te reddis, * eius in te regnum erit.

Sic a vetere emundata peccato, et a vulnere sanata; * vitam in te fundabis aeternam.

— Quid amplius, Domine, vel quid melius tibi dicemus? * aut quid vis ut faciamus? tui sumus, salva nos.

Amplius non dominetur in nos peccatum; * circumcingat nos fides, spes, charitas, et sanctus timor iudiciorum tuorum.

Ita regnabit in nobis spiritus vitae, in acquisitione aeterni gaudii; * et ita in te confidentes tibi dicemus rythmum.

Rector potens, verax Deus, * Jesu pie nostri miserere.

Tu, qui temperas rerum vices, * iube nos vitam vivere gratiae.

Iube, intercedente beato Andrea Avellino, * nos in osculo pacis emori tuae.

Sancti tui benedicunt tibi; * et gloriam regni canunt tui.

Tui sumus nos etiam; * et regni cantabimus misericordias tui.

Vides malum quod fecimus,
Occulta nostra pandimus;
Preces gementes fundimus;
Dimitte quod peccavimus. —

— Si cupimus, viri fratres, optatam inter tot praelia pacem; * ad Mariae tutum confugiamus laeti sinum.

Mater adsis; imperium Christi, Petrique cathedra * rideat intentas sub tua signa minas.

Compesce audentes, malesanaque foedera rumpe; * Styx nigra te nobis sentiat esse ducem.

Tota tuis coeli pendet de nutibus aula; * laetaque virgineo subditur imperio.

Te matrem, Dominamque vocat, precibusque salutat, * laudibus atque tuis undique terra sonat.

Te timet, et pavidus tua nomina Tartarus horret, * sic triplicis Regni iura suprema tenes.

— Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; * parce, exaudi et miserere nobis.

POSTCOMMUNIO

Corpus Domini nostri Iesu Christi * animam in vitam aeternam custodiat nostram.

Quo nate Dei, et rex noster, tua descendit humilitas!* quomodo tua deflagrat charitas! quo tuus rapitur amor!

Ego facinus admisi, et tu ultione plecteris! * ego crimen edidi, et tu poena mulctaris!

Ego praesumpsi vetitum, * et tu subiisti equuleum.

Mihi reo ridens congaudet Heva; * tibi pie plorans compatitur Maria.

Et meam participans humanitatem factus es insuper adiutor meus, * ut curares infirmitates.

Quatenus, unde crimina emerserant et flagitia * inde sacrificium immolaretur laudis.

Per hoc sacrificium, tuam, Deus Pater omnipotens * placabilem reddimus iustitiam.

Nos iam, Filii tui, refecti sumus * a te refecti et potati carne Unigeniti tui et sanguine;

Divinae facti consortes naturae, prohibe nunc, Domine, * ne in veterem vilitatem degeneri redeamus vitae conversatione.

Clamitet nunc in nos iste, inquirat ille; murmuret conscientia; insidietur Daemon, suasque paret decipulas; * tui nos sumus, et ut nos salves oramus.

Calor urat, frigus incurvet; * caput doleat, et pectus ardeat;

Frangant corpus ieiunia; labores graveut; * et vigiliae extenuent;

Pallescat vultus, infletur stomachus; pectus findat tussis; oculi caligent, * deficiat in infirmitate vita mea, et anni nostri in gemitibus;

Tuus sum ego; * ecquis a charitate me superabit tua?

Separa ergo, quantum vis amara mors, et quomodo vis, * non nos a patrocinio separabis Iesu, et Mariae agonizantium matris.

Ingrediatur tandem putredo in ossa propter peccata; * subter nos scateat in sepulchro.

Quidni, si anima ad populum ascendat accinctum, * et glorificatum?

Quidni, si hoste prostrato, pugnas numerabimus ante thronum maiestatis Dei,* et ad Mariae pedes?

Videtes inde; * et vitale haurientes ex vivo fonte refrigerium et dulcedinem.

Nonne et tormenta * dignum est nos proferre?

Nonne et omne quod triste est * iustum est sustinere?

Nonne et mori, * ut tantae simus felicitatis participes?

Fiat, corpus moriatur mortalitatis nostrae; * ut anima volitet in laetitiam iustorum.

Jesus in regno Patris sui opera plebis suae et merita recenset; * singulis et operibus promissa retribuit praemia.

Pro terrenis coelestia, pro temporalibus aeterna; * et, ut suae par est magnitudini, pro modica, magna.

Ipse Deus omnibus omnia est, * splendoribus facies unaquaeque micabit suis.

Sicut varius et multiplex numerus est habitantium apud te Deus; * sic multitudo erit et varietas in te laetantium.

— Ne subito, viri fratres, praeoccupati die mortis spatium poenitentiae quaeramus, et invenire non possimus,* beatum invocemus Andream.

Si quaeris mirabilia, quae manu Andreas prodiga dispensat; * si apopletica nescire vis pericula;

Procumbe ad aram, invoca Andreae nomen; * oleo, vel flore, vel effigie munire, opemque suscipe.

Si vis agonem ultimum, rite solutus crimine, * cibo refectus mystico, et unctus oleo vincere.

Procumbe ad aram, invoca Andreae nomen, * oleo vel flore, vel effigie munire, opemque suscipe.

— Domine Jesu Christe, * per intercessionem sancti Andreae Avellini, a subitanea nos libera, et improvisa morte.

Sint tibi plausus, tibi sint honores
Trine qui regnas Deus, et coronas
Aureas servo tribuis fideli
Omne per aevum. Amen.

—

CANTICUM CXXXII.

DOM. XXIV. P. P. — FESTUM PATROCINII B. MARIAE VIRGINIS

Et annualis Commemoratio fundationis Sanctissimi mei Oratorii familiaris; quod fuit erectum anno 1842, sub Tit. B. Mariae Virginis Septem Dolorum (Ista mihi dies deliciis affluens semper memoranda erit, pariterque colenda.)

CANTICUM GEMINUM

PARS UNA ET ALTERA.

Pars una

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Clementissime Deus, si non habeo te placatum,*saltem non experiar iratum.

Quaeso piissime, invocantem ne deseras; * quia priusquam te invocarem, me benigne recepisti.

— Virgo potens, ad te etiam confugio; * data est tibi omnis potestas in coelo et in terra, ut, quod volueris, valeas efficere.

Potentissimum charitatis tuae praesidium affectu abundat compatiendi; * et subveniendi.

Per te omnes, qui misericordiam implorant, * gratiam consequuntur.

Ave, filia Dei Patris, mater ave Dei filii; ave Spiritus sancti sponsa; * ave nobile beneplacitum totius Trinitatis et deliciae.

Mihi firmissima in te est fiducia; * et, nisi tu Domina mea me adiuvisses, paulo minus in Inferno anima habitasset mea.

Ab affluentibus me liberasti malis; * et eos, qui quaerebant perdere animam meam, confudisti.

Te in ioia, mater mea, exaltabo die;* ei nomini tuo confitebor in saecula.

Implear agnitione voluntatis tuae, * ut in omni sapientia, et spiritali me perficiam intellectu.

Digne per omnia ambulem, tibi in viis placens tuis; * fructificans et crescens de virtute in virtutem.

Confirmatus in omni patientia et longanimitate * inveniam tandem Jesum filium tuum in lumine et gaudio gratiae suae.

Inveniam, amem; * et velut signaculum intra ror meum habeam;

Ut redemptionem per sanguinem iu me firmet suum; * ita supergaudens regnum expectabo suum.

Ingredere ergo piissime Jesu in animam meam; * cur foris stas?

Ingredere, dilecte mi, in eam, * quam fecisti et refecisti;

A terrenis libera eam cupiditatibus * tibique coapta eam.

Omnimode ad coelestia transfer desideria, * ut in perfecta eam possideas dilectione.

Istam animam dilata meam; intuitum cordis attolle mei; * sapientiam attingat tuam super omnia manentem.

Quaeso, piissime, quemcumque ex fratribus meis ne deseras te invocantem; * omnia opera tua perfecta sunt.

Adiuva nunc, Domine, veniens in nos realiter et corporaliter; * ut anima in deliciis tuis abundet nostra.

Angustae sunt animae nostrae tibi coeli et terrae regi, * si amplitudinem quaeris, tu, qui in Praesepe iacere non horruisti, dilata et orna eas;

Obrutae sunt ruinis; * ideo, si integritatem expectas et magnificentiam, refice iterum eas.

Multas habent sordes, quae oculorum tuorum puritatem offendunt, scimus et fatemur, * appare, et nobis aquas praebe pulci salientis lui, mundans eas;

Cuinam alteri, praeter quam tibi clamabimus? * aquas expectamus, quae e latere fluunt tuo salubres.

Ab occultis enim mundabunt nostris; * et ab alienis liberabunt nos.

Aqua lateris Christi abluat nos; * ut sanctificati ad sacram accedamus communionem.

Christus noster sit cibus; potusque noster sit fides; * laeti bibamus sobrii ebrietatem spiritus.

Te Christe solum novimus; te mente pura et simplici, * flendo, et canendo quaesumus, intende nostris precibus.

Sic Christe nobis omnibus, indulgeas credentibus, * ut prosit exorantibus, quod praecinentes psallimus.

Largire lumen vespere, quo vita nunquam decidat; * sed praemium mortis sacrae perennis instet gloria. Amen.

POSTCOMMUNIO

Corpus Christi sanctifica nos; anima Christi satia nos; * aqua lateris Christi munda nos, et mundi erimus.

Tu nos te invocantes foves; * tu nos in pace visitas; tu nobis parcis.

— Sed quomodo mansuetissime Jesu mihi peccatori parcis? * nonne summe iustus es?

In parcendo malis, * bonitatem non iustitiam exerces tuam.

— Domine, qui das fidei intellectum, * da etiam mihi, quantum expedire noscis, ut intelligam.

Tu es, sicut credo; * et quamquam incomprehensibilis sis, tamen es, quod credo te esse.

Equidem, credo te esse aliquid quo nihil maius aut melius a supremis possit cogitari intelligentiis; * et multo minus comprehendi.

Omnium summum bonum; bonorum summa omnium; solum per te ipsum existens, * et omnia ex nihilo existere faciens;

Tu verax, tu beatissimus; * tu infinitarum omnium perfectionum immensa congeries.

Sed cum totus et summe iustus sis,*

quomodo mihi, qui malus sum beni-gnus es?

Minus namque tua pateret bonitas, * si nulli malo placabilis esses?

Melior enim in effectu apparet, qui in bonis simul et malis bonus est; * quam qui tantum in bonis bonus est.

Vere in altissimo est secretissimo bonitatis tuae thesauro latet fons,* unde regalis manat fluvius misericordiae tuae.

Ideo ergo mecum bonus es, * quia totus summe bonus es!

O infinita bonitas et immensa, * quae sic excedis omnem intelligentiam.

Iustitia et pax in te osculatae sunt; * et in terris habitant sicut et in coelis.

Cogitem, amem bonitatem istam; * et iustitiam laudem in saecula.

Misericordiae tuae, Domine, super peccata et scelera superabundant nostra; * cur ergo desperabimus?

Admodum scimus, quia super iustitiam, misericordia superabundat;* et quomodo non sperabimus tuas in aeternum cantare miserationes?

Piissime, nonne priusquam pietatem obtestaremur tuam, tu in cruce pendens nobis pepercisti? * tu qui gratis nos salvasti et quotidie salvas?

Jesu Fili Mariae; Jesu dulcis et pie,* Jesu redemptor a mala morte, et ab omni nos libera peccato.

Amator noster, fortis et patiens cor dirige nostrum; * ut te semper diligamus, et in omni tempore.

Mundana ut contemnamus; * et tanquam inutilia et noxia penitus derelinquamus.

De commissis condolentes peccatis, fac peccandi * malam amittamus voluntatem.

Fac, ut nos virtutis amore et iustitiae * tibi satisfaciamus.

O piissime amoris opifex, amoris vinculum te in cruce tenuit; * quem omnia totius mundi ferrea vincula nullatenus uno tenuissent instanti.

Gratiam concede te toto amandi corde, tota anima et mente, * ut a te nunquam separari valeamus.

Miserere nostri Domine propter Mariam * Jesu Christi matrem.

Contemplando bona Christi, - et aeterna praemia - fac nos mala eluctantes, - demum in coelo iubilantes - tecum fruamur gloria.

Pars altera

Huius cantici

ANNUA COMMEMORATIO SS. ORATORII FAMILIARIS.

Audi, audi Domine canticum; et orationem hanc, * quam familia tua ista orat coram te hodie.

Oculi aperti sint tui, * auresque intentae tuae.

Respice de sanctuario tuo, * et de excelso coelorum super sacellum istud die ac nocte;

Nostram exaudisti orationem, ut altare aedificaremus tuo et matris tuae nomini, * benedic ergo et sanctifica illud in saecula Deus Israel.

Locum elegisti istum, ut domus orationis esset; * immaculatum, propter gloriam nominis tui, conserva eum usque in aeternum.

Ista dies nobis, quamdiu vixerimus, * coelestibus affluens sit deliciis.

Sit etiam misericordiis redundans omnibus, qui ad nos pertinent, * et qui in illud conveniunt.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri; * et, propter Mariam, quam tecum in sacra hac veneramur aedicula, salva nos.

Miserere, quia dileximus decorem domus tuae; * et locum habitationis gloriae tuae.

Non accedat ad nos malum; * neque flagellum appropinquet ubi aedicula est haec tua.

Domus tua, domus orationis et pacis est, * ideoque miseratus illustra ac defende eam.

Proprio tuo clarifica splendore, et

gratiam infunde in eam; * ut omnes qui nobiscum te invocant, auxilium misericordiae experiantur tuae.

Ita nomen fratribus nostris in saeculum narrabimus tuum; * et in medio Ecclesiae laudabimus te.

Omnes gentes, quasi stilla situlae; quasi staterae momentum; et quasi guttae antelucani roris, quae descendit in terram, * extant ante te.

Coelum sedes tua; terra autem pedum scabellum tuorum; * plenum gloria tua est firmamentum.

Ego cogito, quod tu excelsior coelis es; * et super stellarum vertices sublimaris.

Si coeli capere te non possunt, * quanto minus digna vel capax aedicula erit cedrina haec, quam tibi et matri aedificavimus tuae!

Sed tu misericors, miserator et humilis, qui stabula non horruisti in praesepe, * nobiscum non dedignaberis in saeculum commorari saeculi.

Clarius haec veros Mariae testatur honores,* quam falsis moles marmorea dicata Diis.

Ad te donorum ascendit mens sedula fontem; * aptumque fit ducere pectus aquas.

Tibi redeunte die, submisso carmine laudes dicimus; * et in numeris luce obeunte cantus.

Sic tu Diva regas vitae noctesque diesque; * auspice te, redeant et labor et requies.

Nos cum turbalis animus iactatur ab undis; * adverso hic petimus tempore perfugium.

Si propter te nostras has numen proteget aedes: * ara haec erit sacris titulis, pignoribusque potens.

Dum tempus lacrymas, gemitus, suspiria poscit; * da virgo ut feriat pectora nostra dolor.

Qui veteris vitae maculosos deleat actus, * quique novam reseret sidera ad alta viam.

Domine, qui custodis pactum cum servis tuis, qui ambulant coram te, * benedic iterum et sanctifica sacellum istud familiae meae in sempiternum.

Altaria sunt tua, Domine virtutum,* rex noster et Deus noster.

Sanctificetur sacellum hoc in honorem omnipotentis Dei, * et gloriosae virginis Mariae.

Et ad nomen et memoriam sancti Josephi, sanctae Annae, * sancti Francisci Assisii;

Sanctae Irenes, sancti Hyacinthi,* et sanctorum omnium.

Ad custodiendum illud, * deputa, Domine, sanctum Archangelum tuum Michaelem.

Tu Domine, qui totus in omni assistis loco; qui omnia operaris; et creaturam omnem intrinsecus ambiendo concludis, * tu fundasti illud;

Ideoque tuum est, * et in tua manet custodia.

Propterea aedificationi tuae coelestia concede incrementa; * et aeterna eam conserva defensione.

Nostras de excelso gloriae solio * exaudi preces;

Pax aeterna sit nobis, * pax perennis a Verbo aeterni Patris;

Pacem et septiformem gratiam * pius praestet consolator Paraclytus.

Alto ex Olympi vertice
Summi Parentis filius,
Ceu monte desectus lapis,
Terras in imas decidens,
Domus supernae et infimae
Utrumque iunxit angulum.

Omnis illa Deo sacra,
Et dilecta civitas,
Plena modulis in laude,
Et canoro iubilo
Trinum Deum unicumque
Cum fervore praedicat.

Hac in aede, summe Deus
Exoratus adveni;
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe:
Largam benedictionem
Hic infunde iugiter.

Hic promereantur omnes
Expetita acquirere ;
Et adepta possidere
Cum sanctis perenniter ;
Paradisum introire,
Translati in requiem.

Fluminis impetus civitatem laetificat Dei ; * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Porta est nobis introitus salutis et pacis, * ostium est pacificum per eum, qui se ostium appellavit Jesum Christum Dominum nostrum.

Laus, honor Patri genitaeque Proli
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per aevum.

CANTICUM CXXXIII.

FESTUM PRAESENTATIONIS B. M. V.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (ut supra, pag. 1).

Parva lares curasque domus regina paternae * deseris, et templi limina sacra petis ;

Blandimenta fugis, patrias ac deseris aedes ; * maternae retinet cura nec ulla domus.

Una tuo residet, fervetque in pectore cura ; * ut regi placeas sedula servitio.

At me facta premunt animo terrena subacto ; * et saecli curis mens onerata gemit.

Quod si post sanctos traheres me, mater, odores, * impositos fasces protinus abiicerem.

Fac te, virgo, sequar, per te mihi detur, * vita sit ut sancto sedula servitio.

Convertere Domine aliquantulum, * et animam sana meam, quia peccavi tibi.

Mitissime Deus, aures pietatis tuae precibus inclina meis ; * et gratia sancti Spiritus illuminet adstantes sacris tuis mysteriis.

Tibi omne patet cor, * et omnis voluntas loquitur.

Cogitationes purifica ; * ut ad amandum, digneque te laudandum accedamus.

Sed nunquam te vidi, Domine Deus meus ; * nunquam faciem novi tuam.

Certe tu inaccessibilem habitas lucem ; * et quis me doceat, quomodo ad inaccessibilem accedam lucem ?

Quis me deducet, et in illam adducet ; * ut tandem, desideratissime, te in illa videam ?

Quibus, dilecte mi, te signis quaeram et flagitem ? * forsan in mea te vidi vita ?

Plenitudinem speciei tuae nunquam novi ; * converte ergo Domine, pro pietate tua aliquantulum ad me decorem faciei tuae ;

Converte, et tuis me respice oculis ; * ut te luminibus respiciam meis.

Oculi frustra attenuati sunt suspicientes in excelsum ; * oculi mei semper ad te Domine, ut aliquando me respicias, et miserearis mei.

Certum est etiam te ubique esse praesentem ; * sed cur non video te hic adstantem ?

Ergo, Altissime Pater, quid ego longinquus et exul agam tuus ? * quo ad te exquirendum, et investigandum ibo ?

Quomodo anima delectabitur mea amore tui anxia, * et longe a vultu proiecta tuo ?

Gemitus amoris et anxietatis meae, Domine, harmonicus auribus sit tuis * sicut gemitus amantis turturis, ut me respicias.

Credo te praesentem, vivum et verum in Hostia consecrata, * sed, cum sis tectus speciebus, humilitatem non maiestatem video tuam.

Calix tuus inebrians o quam praeclarus est ; * sed bibens adhuc sitio.

Eia ergo Deitatis mihi detege vultum, * quem angeli semper vident, et aspicere desiderant.

Utique sitio, Domine, * accedens ad custodiam Sacramenti tui.

Sitio, et semper esurio inveniens te; * noscere cupiens gloriae tuae lucem.

Ausculta cordis mei gemitus, * te, dilecte mi, incessanter obsecro.

Locum mihi detege, vel corda, vel lilia ubi pasceris * ubi cubas, ubi pacis nidum tibi formasti et requiescis.

Convertere, convertere pulcherrime mi, iamdiu quaerens te quaero; * et adhuc ignoro magnam dulcedinis tuae requietem.

Eia Pater, frater, sponse mi; * saltem doce me, quomodo digne ad Sacramentum corporis accedam tui.

Ubi, et quomodo reverenter et humillime te accipiam; * te in fractione cognoscam panis, te audiam loquentem, et te possideam.

Manna absconditum, omnipotentia Dei caro facta, de te edam; de te semper famelicus sim; * ut tandem videam te, teque possidens gaudeam.

POSTCOMMUNIO

Quaesita iam primum Fides
In corde radices agat;
Secunda Spes congaudeat;
Qua maior extat Charitas.

Emptus ego pretio magno; * Deum ipsum in pectore meo gero meum.

Ave Verbum incarnatum, - Sacramentum venerabile; - * verum corpus nobis natum, - de Maria virgine.

O beata Maria, singulari tuo accessu ad templum Dei; * facilem ad gloriae templum nobis praeparasti ingressum.

Quid te nobilius; quid candidius, quid castius? * quae corpus sine corporis contagione generasti:

Virgo non solum corpore, sed et mente; * cuius nullus doli ambitus sincerum adulteravit affectum.

Quas tibi, sancta parens, * laudes humani generis persolvet fragilitas?

Nimirum haec nostrae salutis subsidia pro tua veneratione * divinae offerimus maiestati.

Et quem nostra tepiditas tibi Pater, tibique Mater * novum canet rhythmum?

Audi Pater, audi Mater, et quomodocumque canere possumus, * pergratum vobis sit.

Ave Verbum incarnatum, - rivus es, et fons pietatis; * verum pignus nobis natum - de Davidica puella.

Ave Mater dilectionis - sanctae spei et agnitionis, - * quae mundo succurristi perdito.

In te gratia omnis viae, - in te species veritatis; - * et spes virtutis omnis et vitae.

Tu fratres et sorores - tu subditos et maiores, * Filio repraesenta tuo.

Tu pulcherrima coeli ianua, - tu augustum Dei templum, * nos canentes fac consortes - beatorum civium. - Amen.

Pandite nunc portas felicia templa Sionis; * ad sacras aedes laeta puella venit.

Qua propior non ulla Deo, nec gratior ulla est* divinae eximio tracta decore domus.

Cuius in adventu, turba mirante Polorum * et thalamum, felix hospitiumque paret.

Tu mihi fac similes flammescant pectore sensus* et doceas animo miseras linquere terras.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam ac Paraclyto,
Qui trinus et unus Deus
Exstat ante saecula.

CANTICUM CXXXIV.

DOMINICA XXV POST PENTECOSTEM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Multi et magni sunt, domine Deus, languores mei; * sed amplior est medicina tua.

Merito mihi spes est valida in te,

quod sanabis me* per eum, qui ad dexteram sedet tuam, et pro me interpellat.

Advocatum habeo ante thronum tuum, Jesum Mariae filium; * ut me doceat reprobare malum, et eligere bonum.

Mater puritatis et veritatis quasi vitis fructifera suavitatem fructificavit odoris* et Flos tuus fructus honoris est et honestatis

Tota pulchra et pura mater Domini mei, mei etiam mater est* et tota ratio spei meae

Nihil inquinatum in ea incurrit * candor est lucis aeternae.

Speculum est, Dei Genitrix, sine macula * et pro nobis intercedit omnibus.

Quomodo nos amasti Pater omnipotens, qui filio tuo non pepercisti unico? * et nobis tradidisti impiis?

Unus ille inter mortuos liber, * propter nos homines at propter nostram salutem factus subditus est ad mortem usque.

Ille, qui potestatem habet animam ponendi suam, et iterum sumendi eam pro nobis, victor est et victima* ideo victor quia victima.

Ipse fecit nos tibi de servis filios * qui de te genitus nobis servivit.

Quomodo nos amasti, Pater sancte, Verbum fragilitati nostrae coniungens tuum;* ut vera fieret caro et habitaret in nobis.

Et pro nobis mortuus est Filius tuus, ut nos, qui vivimus, iam non nobis vivamus * sed ei qui pro nobis mortuus est.

Iacto, Jesu pie, Frater, et animarum Sponse, curam meam in te * tu ignorantias et magnos scis labores meos.

Doce me, sana me, ita ut in te semper vivam * et per te moriar.

Non invideant, neque calumnientur me superbi, quoniam frequenter ad mensam tuam accedo, ut manducem* et famelicus amplius satiari de te desiderem;

Cogitans, mirabilia cogito tua* inter omnes qui mecum edunt et satiantur;

Pauperes et egeni, qui cum paupere et egeno requirunt te, repiebuntur ab ubertate domus tuae, * et te laudabunt in aeternum.

Quomodo nos amasti, piissime Pater, qui in similitudinem peccatoris, excelsum inter mortales filium misisti tuum;* ut noster apud te mediator esset.

Mortalis cum hominibus; * in quantum homo, Deus mediator;

In quantum Verbum, non medius, sed aequalis Deo est; * Deus apud Deum et unus Deus cum Patre et Spiritu sancto.

Licet mirabili dignatione Verbum caro factum sit, neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata est substantiam * sed hypostatice simul coniunctae.

Ita Trinitatis mysterio quarta non est addita persona,* unita quippe est, non confusa Verbi Dei hominisque substantia.

Ut cum Deo, quod ex nobis susceptum fuerat, proveniret* et Verbum illud, quod fecerat, assumens, cum eodem arctissime copularetur.

O admirabile mysterium!* o inenarrabile commercium!

Veni iuste et immortalis * mediator veni, advocate et Salvator;

Veni Deus et homo, victor et victima* sacerdos et sacrificium.

Veni Domine Jesu, ne tardes, mortalis et peccator miser et egenus,* rudis et stolidus sum ego;

Attamen ipse ego ille sum qui perieram;* et quem tu iamdiu quaeris errantem.

POSTCOMMUNIO

Vivo ego, iam non ego, vivit in me Christus;* quem iam suscepi vivum et verum.

Justi in perpetuum vivent; * quia vita iustorum et salus Dominus est;

Immortales, et quodammodo omni-

potentes erunt;*qui, sicut Deus per seipsum potest quod vult, ita poterunt quod per illum voleut.

Illi volunt,quod Ille volet,*ita, quod illi volent, debet esse.

Supra infinita gaudia constituet eos nullatenus defutura * Filii Dei vocabuntur, haeredes quidem Dei, et Christi cohaeredes.

Hoc vinculum charitatis, hoc Dei cum humanitate coniugium * hoc pietatis Sacramentum, aperta facie illis in Coelis nunc apparet.

O beatitudo et fortitudo in pace morientium, * exaltatio in terra viventium!

Seminatur quidem hic nostrum animale corpus* et Dei potestate non uatura propria, resurget immortale.

Qualis et quanta est ista sanctorum refectio*veloces,fortes,liberi et pulchri fulgent plusquam stellae, et sunt sicut angeli Dei.

Sapientes, concordes, satiati ex venustate et abundantia Gloriae* et ex torrente inebriati dominicae voluptatis.

Licet cuique sit diversum pro labore meritum* Charitas suum facit quod amat in altero.

Sic, quod est proprium singulorum*, diffusum gratantes sentiunt omnes.

Quomodo nos amasti, Pater aeterne * qui mediatorem de Coelo misisti, ut immortales nos redderet in gloria.

Et quomodo amantissime, mediatricem etiam ex nostra erexisti gente* ut secum omnes ad coelum adduceret.

O sola cunctas, quae praeivisti virgines * intacta labis patriae,

Candore mentis cuncta vincens lilia* et super astra perfulgens.

Quocumque vertamus lumina* seu diem coelo serenum surgere cernimus;

Seu vergit in noctem * plagasque serus ad occiduas propinquat;

Seu prata pictis* consita floribus,

Seu poma curvis arboribus; vitro sive aemulas undas* vel in arvis uberibus segetes videmus,

Formae decore mens rapitur tuae * qua nulla fulgent lumina pulchrius;

Cui Terra nec certat, * superna nec speciem similem recondunt.

Te cuncta matrem condita numinis* ac te salutis, pacis et arbitram, vitaeque coelestis Parentem eloquio celebrant silenti.

Haec aure nobis vox sonat intima* sunt et diserta in corde silentia.

Alte tuas laudes loquuntur* virgineum refoventque amorem.

Beata mater, ora pro populo; interveni pro clero * intercede pro devoto foemineo sexu.

Tota pulchra et pudica* tuum in anima, tuum in sensibus iuvamen capiant omnes.

Et quomodo nos amasti, Lucis optime Creator; * mittens etiam super nos moerentes, clementissimum consolatorem spiritum Paracletum.

Jam cordis nostri, divini amor numinis Patris omnipotentis, Prolisque sancta communicatio*in penetralia potenti illabere virtute.

Et tenebrosa quaeque, ac neglecta latibula* luminis corusci fulgoribus, pie inhabitator laetifica.

Tuique roris abundantia*longo ariditatis marcescentia squalore, visitando foecunda.

Pota nos tuae voluptatis torrente*ut nihil mundanorum degustare amplius libeat nobis venenatae dulcedinis.

Veni dolentis animae consolator, mundator sceleris, curator vulneris;* fortitudo fragilium, relevator labentium.

Navigantium veni sidus, portus naufragantium* omnium viventium gaudium singulare, et morientium consolatio et refugium.

Sit rerum Domino iugis honor Dei
Et Natum celebrent ora precantium,
Divinumque supremis
Flamen laudibus offerant.

CANTICUM CXXXV.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS DOMINI

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Anima iucundare mea, et exulta satis,*Dominus ecce venit, et omnes eum sequuntur miserationes.

In hac die stillant montes dulcedinem * dies haec est pietatis, salutis et gloriae.

Commune, qui mundi nefas
Ut expiares ad Crucem,
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Descende coeli e cardine
Verbum superni Numinis,
Et vota ferventis sinus
Solare sanctae Virginis.

Miserta terrarum ingum
Te expectat illa, et invocat.
Vota et adventus tui
Dilata luget gaudia.

Visura natum tempora
Et quae tulisset te dies,
Tanto futuram germine
Matrem beatam praedicat.

Ergo gementem exaudias
Et rumpe poenales moras,
Negare tantas ad preces
Tua nil solet clementia.

Frater noster es, tu parvus infans et Deus noster * opus manuum tuarum sunt omnia; nos,nos vero lutum sumus.

Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis a te eripimur;* et te liberante, salvamur.

Excita ergo potentiam tuam, et veni; Coelum et terra diu te expectarunt * divexa et destrue adversitates omnes et errores.

Nos omnes reple gaudio et pace,*fac nos abundare in Spe,et Spiritus sancti virtute.

Alma Redemptoris mater, quae pervia coeli,porta manes et stella maris,* succurre naufragantibus.

Quid dulcius *quam in nomine filii, et dilectae invocare filiae suae Patrem?

Et eum in recordatione Unigeniti sui,* ac dilectae filiae suae ad pietatem inflectere?

Rei carceribus eripiuntur; mancipati vinculis solvuntur * ob pretium a carissima Sobole irato persolutum Patri.

Tristem accipientes sententiam capitis, dummodo Regi dilectae sponsae memoraverint charitatem absolvuntur * et insuper insolitam nanciscuntur libertatem

Sic et ego, charitatem Patris per filium postulo et per filiam; * ut me, nomini confitentem suo, a vinculis liberet peccatorum.

Ego Pater, cui propria demerita lethalem paraverunt sententiam* coaeternum tibi offero natum.

Et idem ego ad genua procumbens pulcherrimae ad dexteram prolis consedentis matris * oro ut placata omnes nos apud te restauret ad vitam.

Ecce Dominus oritur ab alto, * et plenis Hyacinthis et Rosis descendit manibus.

Ecce Pater advocatus et susceptor, * intercessor et propitiator pro nobis interpellat;

Pontifex summus et in aeternum sacerdos; * qui non alieno nos expiavit sanguine, sed proprio refulsit suffusus cruore.

Hostia ecce sancta beneplacens et perfecta, * in odorem suavitatis oblata, grata et accepta in conspectu tuo est, Pater.

Ecce Agnus sine macula, qui coram tondente se obmutuit; * alapis caesus, opprobriis afflictus os non aperuit suum.

En Pater iustissime qui peccatum non commisit, et nostra pertulit; * ut sui proprii corporis livore languores sanaret nostros.

Protege nos Domine tuis servientes

mysteriis; * ut divinis inhaerentes rebus corpore tibi famulemur et mente.

En hominum et Angelorum Pater virgo virginum dilecta tua * quae filium suum in cruce conclavatum reddit piis precibus, miseris placatum.

Utinam et ipsa clementissima mater* suis dilectum suum nobis porrigat manibus.

Veni Domina, nobis donans Panem angelorum * Sacramentum pacis et laetitiae.

POSTCOMMUNIO

Venit quem expectabam dilectus meus in hortum suum; * comedat nunc ipse fructum pomorum suorum, novorum et veterum.

Anima mea desideravit te in nocte; * et de mane vigilat ad postes atrii sancti tui.

Hae sacra me Domine virtute mundatum * ad meum facias puriorem me venire principium.

Quid mihi est in coelo, et quid volui super terram? * nihil aliud quam te, dilecte mi, plaratum.

Deus cordis mei es tu; * et pars in aeternum mea.

Et tamen o ineptus! * haereditatem tuam adipisci cupiens desidia consenesco.

Jesus multos habet regni sui amatores; * sed paucos suae crucis numerat bainlatores.

Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem vitae panis; * sed pauci usque ad calicem passionis bibendum eius.

Omnes rupiunt gaudere cum eo; * pauci volunt aliquid pro eo sustinere.

O quantum potest amor Jesu purus; * nullo proprio commodo vel amore permixtus.

Fac Domine ut abnegem memetipsum; * crucem tollam meam, et te praeeuntem sequar.

Vias tuas in passione cordis et corporis demonstra mihi; * et me tuas edoce semitas.

Benedictus Dominus Deus noster; * et beatus populus cuius Dominus Deus eius.

In mea natura factus sum vanitati similis; * diesque mei sicut umbra praeterierunt.

Eripe me Jesu pie, et de aquis me libera multis, * tange animae meae inimicos, et fumigabunt in cinerem redacti.

Protector meus es tu; * qui prava sub pedibus desideria subdis mea.

In te confido; quia ipse tu susceptor meus es, et refugium meum; * misericors et liberator.

Timor mortis conturbat me; * propter commissa.

Tu evelies me de laqueo et de mortis poena, * et ab Inferno liberabis me.

Quando me vocabis, respondebo tibi, * « operi manuum tuarum porrige dexteram. »

Deus noster tu veniens vivificabis nos, * et laetabimur in te.

Universi qui te expectant * ab expectatione cordis non confundentur.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, * et salutare tuum da nobis.

In conspectu tuo et Angelorum adventum canemus tuum. * super misericordiae, et veritatis tuae diffusione.

Et proinde in ascensu tuo magnificantes super nos nomen sanctum tuum * hymnum victoriae cantabimus.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

—

CANTICUM CXXXVI.

F. S. ANDREAE APOSTOLI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

* Adorabo te Domine Deus meus ad templum sanctum tuum; * et nomini confitebor tuo.

Laetetur cor meum quaerens te Domine; * faciem quaerat tuam videre semper.

Sunt multa fucis illita,
Quae luce purgantur tua
Tu vera lux coelestium
Vultu sereno illumina.

Memoriam fecisti mirabilium tuorum misericors miserator et iustus; * escam dedisti de coelo timentibus te.

Memor esto in aeternum foederis tui; * et in hoc praeclarissimo esu et potu corporis et sanguinis tui, magnitudinem operum tuorum populo annuntia tuo.

O admirabile mysterium! o inenarrabile connubium, * o mira semperque amanda divinae propitiationis benignitas!

Servi digni non fuimus; * et ecce Dei facti sumus Filii!

Magnum mysterium manifestatum in carne, * et iustificatum in spiritu.

Magnum pietatis miraculum ab angelis annuntiatum; praedicatum gentibus; creditum in mundo * et assumptum in gloria.

Clementissime Deus Pater unde hoc nobis? * et quis nos ad hoc perduxit, ut dignos faceres promissionibus eiusdem filii tui?

Confirma Pater * et perfice quod operatus es in nobis;

Et perfice, ut mirabiliter coepisti, opus hoc magnae pietatis tuae et gratiae; * nos tua mundans virtute,

Jesum viri fratres invenimus, * et nobiscum habemus Messiam.

Ipsemet qui peragrans Judaeam vocavit Petrum et Andream et Joannem apostolos suos; * et infinita operatus est prodigia;

De ipso igitur quaeramus, * iustum, dignum est, necesse est hoc facere;

Ut utile semper est, de eo loqui et canere; * et quoque nostram meditari salutem.

Jesu fonte baptizaris
Placens Patri declararis
Testis adest spiritus.
O si vita salutari
Fonte laver, ut probari
Possim tibi penitus.

Jesu, postquam ieiunasti
Quam potenter profligasti
Satanae versutias.
Ne fraus mala me confundat
Fortis fide mens retundat
Daemonis nequitias;

Jesu vocas Piscatores
Et sequuntur te, Doctores
Mox futuri gentium.
O fac, intus te vocantem,
Mox sequamur, sed cunctantem
Gressum trahe mentium.

Jesu, sponsos cohonestas;
Dum, rogante matre, praestas
Vinum praesens nuptiis.
Fac amicos ordinatis
Te prae cunctis charitatis
Prosequar officiis.

Jesu, terras peragrando
Et ubique praedicando
Quanta fers incommoda.
Pro te frigus et sudorem
Famem, sitim, et laborem
Mente feram placida.

Jesu, zelo charitatis
Flagrans, o quot a peccatis
Revocas ad gratiam.
O si meos primum mores,
Dein curem peccatores.
Tuam zelans gloriam.

Jesu multas diu gentes
Te docentem sustinentes
Verbo, cibo recreas,
O si corpus conservante,
Sed cor magis confirmante,
Cibo semper nutrias

Jesu doces; facis mira;
Sanas morbos; pellis dira;
Sed quid refers?... odia t
Mente semper fac benigna
Bona praestem, nec maligna
Movear invidia.

Jesu, monte Thabor grandis
Maiestatis typum pandis
Dans praegustum gloriae.
O si vita nunc insonte
Feram celso tandem monte
Praemia victoriae.

Jesu, petis Solymorum
Urbem, deflens tot malorum
Cladibus obnoxiam.
O, si tui vim amoris,
Mihi praestes vim doloris
Et malorum veniam!

Jesu, Deus et magister
Lavas pedes ut minister
Damnans arrogantiam.
Lava, precor me sordentem
Et quae forsan foedat mentem,
Elue superbiam.

Tuum etiam pro nobis imploret auxilium, * frater apostoli sancti Petri;

Andreae piscatoris hominum ad nostram debite salutem praevenimus, * et celebramus festivitatem.

Ad crucis Andreas flammanti pectore lignum * advolat, et diri munera martyrii,

Tantus anhelantem sanctae crucis ardor adurit, * gratia de Christi sanguine tanta crucis!

Dicamus nos etiam cum illo « Salve crux quae in corpore Jesu dicata es; * et ex membris eius tanquam Margaritis ornata;

« O bona crux suscipias nos discipulos tuos; * qui pependit in te magister noster Christus est.

« Accipe et subleva nos de ista aerumnarum valle; * et magistro redde nostro, ut nos recipiat qui per te nos redemit.

Tu nos e superum protege sedibus
Clemens, atque preces dum canimus tuam
Quaesitam Cruce palmam,
Pronis auribus excipe.

Sancti martyres a tuo amore nullis poterant Domine poenis avelli; * vel quantulumcumque separari;

Facilius pes separatur a tibia, et caput a cervice * quam ipsi a te.

O dilectio quam magnum vinculum tuum est * quo ligari solus potuit Deus.

O piissime Jesu amoris opifex, hoc te in cruce vinculum tenuit; * quem nullatenus omnes simul tenuissent gigantes.

Diligamus te vicissim toto ex corde, et intellectu sine errore; * ex tota voluntate sine contradictione.

Ex tota mente et virtute * sine oblivione.

Concede nobis Domine triplicem hunc amoris funiculum * qui difficile rumpitur.

Crux Christi quae antea in opprobrium fuit et contumeliam; et nunc in gloriam et nobilitatem, * sit nobis in salutem.

In morte tua Domine factae sunt tenebrae super universam terram; * expelle nunc a nobis tenebrarum opera, vanitates et insanias falsas.

Tu in terram descendisti ut Diaboli destrueretur potestas; * a nobis suggestiones eiice eius.

Et per virtutem huius sacratissimae Missae sacrificii * in tenebras eum relega exteriores.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, * Christus ab omni malo nos defendit.

Nomen Jesu fugat Daemones; nomen Jesu sedat tempestates; * et mundum salvat naufragum.

Vivit et vivat in nobis Christus, * nostra iucundissima sit salus in eo.

POSTCOMMUNIO.

Lucernam Deus meus illumina meam, * e cruce tua tenebras propelle meas, et proximi mei.

Collocans nos inter convivas mensae tuae, memoriam fecisti mirabilium

tuorum, * escam de coelo praebens timentibus et te quaerentibus.

Inijce nunc pedes nostros in compedes tuos, * et collum adnecte nostrum ad torques tuos.

Ita semper tecum erimus; * et nemo a charitate poterit nos separare tua.

Discam a te etiam Virgo Maria, amare quem amas; * diligere quem diligis.

Eius erga me voluntatem discam, * meamque erga eum mutuo insolubili praeligabo vinculo.

O mater Jesu domini mei* ideo mater mea, et sapientissima magistra.

Sciat anima mea amoris tui incendium, * prae gaudio una deficiat die, vel una dumtaxat hora et liquescat.

Revela mihi mater mea quomodo amabas eum dum gestares in utero, * portares in sinu; uberibus lactares, et brachiis amplexareris,

Quomodo et quantum amabas quem infantulum fovisti; quem puerulum nutrivisti, * quem educasti adolescentulum.

Et quem iuvenculum prae filiis hominum speciosum * admirata es.

Electa Filia inter electas Sion expitca mihi, quae aeternae vitae audisti concionantem Verba, * quae virtutis opera cum hominibus vidisti patrantem.

Et quomodo in cruce propter nostram salutem, * compassa es morientem.

Dic quantum deflevisti e cruce depositum? * quantumque o Davidica turris es mortuum amplexata.

Sic narra quantum etiam amore flagrans laetata es resurgentem aspiciens eum * et in coelum ascendentem.

Et si per te mihi indigno revelare licet, sciam quam Spiritus sancti plenitudinem acceperis, * quamque dilectionem.

Certe haec omnia sciam, revelata facie in gloria Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus sancti, * quando te videbo, et videns amabo.

Sat forsan est mihi nunc virgo sacrata scire, * et amorem laudare tuum erga unigenitum tuum.

Cohortes Angelorum et Sanctorum agmina simul, * ne longissime quidem attingere amorem possunt tuum.

Quia *super omnes* amantissima * et amatissima es mater Dei mei.

Et revera *super omnes* quia *super omnes*, amabilissimus est * in utero conceptus tuo.

Inveni et ego quem anima sanctissima tua in Eucharistiae diligit Sacramento, * eum in pectore teneo meum, nec amplius dimittam.

Sed amor tuus tener, constans et fidelis, * amor efficax tuus longe a corde abest meo.

Mater pietatis largire et mihi ex tui redundantia fontis patientem et generosum amorem, * ardentem et lucentem, laetantem et triumphantem.

Amorem a te peto * et omnibus postulo precibus.

Amorem amores omnes vincentem, * ut tecum merear amoris praemio potiri sine fine.

Gloriam Patri, Genitoque Patris,
Gloriam sancto pariter canamus,
Et pie matris celebremus omnes
Semper amorem. — Amen.

DECEMBER

CANTICUM CXXXVII.

FESTUM S. FRANCISCI XAVERII INCLYTAE SOC. JESU.

(Preces, quae sunt in primo Cantico, praeponi integrae debent huic et aliis quae leguntur in principio cuiusque mensis.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

O Ignati militantis
Clara fax Ecclesiae ;
O Xaveri devïantis
Sidus et lux Indiae :
Vos honorent quotquot ambit
Phoebus orbis climata.
Quaque pontum sero lambit
Quaque tollit lumina.

Vera virtus cum ruebat
Pressa pravo dogmate,
Hanc Loiola fulciebat
Nixus uno numine.
Sic Xaveri te docente,
Credit orbis Indicus
Inde natum cum parente
Tollit aether laudibus.

Nulla durae tela sortis,
Nulla fati vulnera,
Ipsa neo pericla mortis
Nulla mundi munera
Vos amore separarunt
Proximi vel numinis ;
Vos beatis avocarunt
Coelitum commerciis

Vos polique, vos solique
Bina luminaria,
Infimique, maximique
Sicut exemplaria
Intuentur obstupentes.
Lumen, oro, spargite.
Ne premantur forte mentes
Criminum caligine,

Veritas tua Domine, et misericordia tua fuit cum beato Francisco Xaverio; * ad annuntiandum mane pietatem tuam; et veritatem tuam per noctem.

Implevisti eum Spiritu sapientiae, et intellectus : * praedicatione et miraculis Indos Ecclesiae magnae aggregavit tuae.

De te loquebatur in conspectu Regum, * et meditans nimisque mandata diligens tua non est confusus.

Apostolum invictum habemus adhuc eum in longinquis, * et inhospitis regionibus.

Et sub eius tutamine viventis in fratribus suis, * sicut Cedri in Libano, et Palmae in Edom,

Admodum plus vireut inclytae Societatis Jesu Filii, * vigent et sub eius florent et fructificant patrocinio.

Non ut olim multa sed pauca nunc Deus grana in nostro mittit agro * ut multarum messium fruges ex eorum recipiat fide.

O quam speciosi sunt pedes eorum evangelizantium pacem ; * annuntiantium bona!

Gratias isti Deo agentes, * maiores et Deo gratias referentes.

Lumbis praecincti ; lucernam habentes in manibus ardentem, * termi-

num alacriter attingunt terrae, et quasi praetergrediuntur.

Sapientiae cum sint magistri, et operarii in virtute Dei, * ubique locorum unus Spiritus coelicus in eis.

Una militat fides; * charitatisque unguenti perfusio.

Ad tuae pietatis thronum Xaverius gloriosus apostolus * semper Domine precator accedat.

Ut nobis hic illius praecinimus merita, * sic ille indulgentiam impetret fidemque operativam in coelis.

Oras ad Indas advolas
Francisce, Coeli nuncius,
Genti daturus barbarae
Verae salutis munera,

Non te viarum lubrica,
Non ira tertet aequoris;
Vincis sed audax turbines,
Ventorum et undas strenuus.

Idola vertis dextera,
Verbisque, quae non noveras
Praedura flectis pectora,
Afflante mentem Spiritu.

Ceu turbo pellis nubila;
Nutu procellas discutis,
Volente te, nunc intumeut
Et nunc residunt aequora;

Erepta mortem corpora
Jubes repente reddere;
Scrutaris alta cordium;
Duplex et astas dissitis.

Ergo, premente turbine
Urbem malorum, supplices
Rogamus, ut nos liberes,
Et des quieta tempora.

Contunde tu superbiam
Nostro tumentem in saeculo;
Dignamque virtutis tuae
Nos edoce modestiam,

Non ulla nos incommoda,
Tibique laudes debitas
Turbent, sed omni tempore
Te mens celebret libera.

Agonizans pro Jesu nomine, Indias divino replevit semine, * et mundum linguae praeconio.

Pauper degens sub tegmine, pernox cum Christo, * proprium non habebat lectulum.

Post lacrymarum fluvium, * vix humefiebat corpusculum!

O beati carnis cruciatus, et mentis martyrium! * post emensum cursus stadium vitae tibi mercantur aeternae praemium.

Offerimus nunc tibi Domine sanctissimum Missae Sacrificium in protestationem aeternae supremae et increatae excellentiae tuae, * tui dominii et dependentiae nostrae;

In memoriam offerimus vitae, * et passionis domini nostri Jesu Christi;

In argumentum gloriae et gaudii humanitatis eius, * et nostrae levamen miseriae;

In gratiarum actionem, pro omnibus nobis collatis donis * et conferendis beneficiis;

Et in expiationem omnis tibi irrogatae iniuriae, * vel temerarie inferendae;

In argumentum gloriae et beatitudinis immaculatae Matris nostrae Mariae, * omniumque Sanctorum et Angelorum.

Hunc latriae cultum tibi debitum soli, * tibi pro nostris retribuimus peccatis;

De quibus propter te summopere contristamur, * parati tibi satisfacere.

In virtute tua cor laetabitur nostrum, * et in dulcedine nominis tui Jesu anima recreabitur nostra.

Et sacrificium et communionem, * pro vivis offerimus atque pro defunctis;

Pro sacrosancta Romana Ecclesia Catholica; * pro sororibus, fratribus amicis et proximis nostris;

Pro unoquoque indistincte offerimus de populo, * sive amici sint, sive inimici.

Tuae ideo commendamus pietati, et memoramus praesentes, * et futuras animarum nostrarum necessitates.

Largire nobis et omnibus de tua abundantia, * lava Domine foeditates;

Illumina Domine coecitates, * et egestates quantum saluti expedit subleva.

Ita suscipiamus amoris Sacramentum, * unamque rem et multiplicem Sacramenti virtutem.

Corpori tuo mystico incorporari mereamur, * et inter tua annumerari membra.

Gloriosa virgo mater Maria, * corpus animamque tuam Deus Spiritu sancto cooperante praeparavit.

Tuis nunc dispone manibus * dignum in corde nostro Filio habitaculum tuo.

Miserere nostri Domina luminis mater et aeterni splendoris, * illumina nos veritatis luce et virtute.

Corona immortalitatis in capite tuo sancto est; * cuius fulgor et charitas non extinguetur in aeternum.

In mentibus infunde nostris Dei sapientiam, * intellectum prudentiae, et formam disciplinae.

Super humiles vultum aperi tuum, * et aspectum tuum super confitentes te.

Messores omnes evangelici in terris inhospitis, quae albae iam sunt ad messem, sub tua agonizant protectione, * et tuam implorant benedictionem.

Ave celeste Lilium,
Ave Rosa speciosa,
Ave Mater humilium,
Superbis imperiosa,

Deitatis domicilium
Hac in valle lacrymarum,
Da robur fer auxilium
O excusatrix culparum.

Veni ad nos Jesu Domine; * quamquam vere digni non sumus, ut sub tectum intres nostrum.

Veni qui tollis Agnus Dei mundi peccata, * lava quod est sordidum; riga quod est aridum.

Et medicina sanguinis et aquae lateris tui, * sana quod est saucium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, * da ut tuo in saecula sancto praecinamus nomini.

POSTCOMMUNIO

Parasti Domine in conspectu nostro Eucharisticam mensam, * ad reficiendas vires adversus omnes qui tribulant nos.

Jesus Christus bonus Pastor rexit nos a iuventute nostra; * in loco pinguis Pascuae ibi nos collocavit.

Impingua adhuc charitatis tuae oleo caput nostrum; * calix quem nobis praebuisti o quam praeclarus est.

Misericordia tua subsequetur nos, * donec attingamus domum gloriosae aeternitatis tuae.

Te cuius bonitate facti sumus, * et cuius iustitia poenas luimus, et clementia liberamur;

Te fontem divinae invocamus lucis, * solemque charitatis aeternae;

Te omnipotentem qui omnia concludis, magnum sine quantitate, * et ideo summum et solum bonum.

Cuius voluntas opus est; * cuius velle posse est;

In summis et in imis, ex nihilo omnia creantem; * omnia renovantem;

Te semper anima quaerat nostra, * quaerendo non deficiat, et inveniendo possideat.

Tu sitis et fames nostra; * tu gaudium et exultatio es.

Da nobis benignitatem, * et terra nostra protinus exhibebit fructum.

Desiderium Domine adauge nostrum, * et orationem exalta nostram, * ut des, quod abundanter petimus.

Da quod iubes et iube quod vis, * et nos parebimus.

Sed coelum et terrae non nobis sufficiunt nec nobis proderunt; * nisi te ipsum, qui cuncta fecisti, nobis dederis.

Ecce nunc dum mens ad te adipiscendum suspirat nostra, * ipsa carnis sarcina minus nos gravat.

Ecce dum ineffabilem meditamur

pietatem tuam; * pondus mortalitatis non hebetat nos solitum.

Amore visionis tuae, et desiderio invisibilium, * memoria viget, intellectus lucet; cor ardet et animus recreatur;

Cogitationum cessat tumultus; * silent cuncta, et tranquilla sunt omnia.

Et mater in qua Altissimus Verbum immisit suum, et quam virtus obumbravit eius, gratia nos amplius impinguet sua; * et pacis abundantiam nostris donet terminis.

Per sanctam virginitatem et immaculatam conceptionem tuam, virgo Maria, * mentem emunda, cor et carnem nostram.

Virgo pia, sine pare
Gabriele nunciante,
Quae meruisti portare,
Christum, Spiritu sacro afflante:

Virgo partum post et ante,
O refugium singulare!
Hac in vita vacillante
Tuos servos consolare:

Sperantes ergo in charitate Patris, Filii, et Spiritus sancti; et in matris Mariae protectione, * Deum benedicemus, Deum laudabimus, et in aeternum exaltabimus.

Gloriam et honorem tibi cantabimus sancta Trinitas unus Deus; * et in nomine Jesu in terris glorificabimur et in coelis.

Et tu o beate Francisce Xaveri Pampilonensis, qui ubique terrarum, et maxime inter Indianas gentes novis stupendisque fulsisti miraculis, * hoc etiam nobis plenius impetra.

Granum excussum palea, - nexu soluto luteo, - * de paupertatis area, - coeli locantur horreo.

Ascendenti de valle mundi lubrica, - * tibi chori plaudunt Angelici.

Fulget in tribu virginum apostolus veritatis. - * Sertum honoris geminum gerens cum beatis.

O Ignati et Francisce Xaveri, o vos beati, - * mei, et inclytae Societatis Jesu filiorum mementote.

O patroni vos amore,
Vos honore prosequor.
Corde laudo vos et ore
Voce, mente comprecor.
Vos faventi verba vultu
Comprecantis cernite:
Proque vestro vota cultu
Ne clientem spernite.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus
Sicut fuit, sit iugiter
Saeclum per omne gloria.

CANTICUM CXXXVIII.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS DOMINI ET HISTORICA, FESTIVA, AC SOLEMNIS COMMEMORATIO ADVENTUS MONOPOLIM MIRIFICAE IMAGINIS B. MARIAE DE MADIA.

(*Notatur in IV lectione Officii Divini; decimasexta die Decembris A. D. 1075 sub Pontificatu Gregorii VII*)

CANTICUM GEMINUM

Pars prima

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra pag. 1.)

Paracletus, qui a te procedit et a Patre, Domine Deus Dei Fili, mentem illuminet meam, * et in omnem inducat veritatem.

Advenit, viri fratres, dies admirabilis, in quo Deus humanatur, homo Deificatur * Virgo prole foecundatur.

Dies acceptabilis, quia abunde Dei diffunditur gratia; * Diaboli potestas subruitur, et peccati retunditur malitia.

Et desiderabilis dies, * in qua coelum restauratur, et homo beatificatur.

Excita ergo Domine Deus nostra corda ad Unigeniti tui praeparandas vias; * ut per eius Adventum purificatis mentibus tibi servire mereamur.

Universi, qui te expectant Jesu pie* non confundentur.

Concives adscripti supernorum civium, * aeternum tibi concinemus hymnum.

Auxilium ergo gratiae concede supernae tuae; * et corpore et corde mundi a regalibus tuis descendentem sedibus te excipiemus.

Populum Sion et alienigenas ecce venit Dominus ad salvandum; * auditam faciet gloriam, et potentiam vocis suae in laetitia cordis nostri.

Nox praecessit, dies appropinquavit Redemptionis,* expergescimini de mortis somno.

Deus potentiae et virtutis, * da nobis sapere secundum Jesum Christum;

Tu promissiones Patrum confirmasti nostrorum; * et nos unanimiter te uno glorificamus ore.

Confitebimur tibi, radix Jesse, * et propter te in Ecclesia laetabimur tua magna.

Gentes omnes laudate nobiscum Jesum Christum, * omnes eum magnificent populi.

Exurgat Deus omnis spei et pacis populum regere suum; * redimendo nos efficiat, ut ambulemus in virtute et in gaudio Spiritus sancti sui.

Quid non sperabimus in te, o summa spes omnium finium terrae? * unica es animarum nostrarum salus.

Quo confugiemus nisi ad te Jesu * tutissimum munimen et refugium nostrum?

Ore dixisti sacrosancto tuo * « venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. »

Dulcia faucibus nostris haec eloquia et suavia super mel ori nostro; * te habentes quid non habemus?

Potens es in omnibus; * ideo super omnia bonus es et clemens.

Vere Deus meus es tu, et Jesus Salvator meus, * bonus super omne bonum.

Mens iam resurgat torpida,
Non amplius iacens humi,
Sidus refulget iam novum
Ut tollat omne noxium.

En Agnus ad nos mittitur
Lavare gratis debitum.
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam.

Diligo te Agnus Dei, qui ex nimio amore mei in carne venisti, * et ad mortem usque me dilexisti.

Et in signum amoris huius in Sacramento te ipsum reliquisti, * sustinens me indignum tuam sumere maiestatem in cibum et potum.

Et certe sic amare, tibique soli adhaerere vehementer cupio; * ut plusquam meipsum te amem, et omnia pro te parvipendam.

Utinam per Sacramenti huius virtutem tanta inter me et te convalescat amoris coniunctio, * ut nihil aliud a charitate me separare queat tua.

Utinam sit propositi tenax voluntas mea per se tam labilis et infirma.

Nos omnes adiuvet Regina nostra Maria, * a dexteris tuis adsistens in vestitu aurato, circumdata varietate.

Specie et pulchritudine prospere processit sua, ideoque singulariter regnat in coelo; * et super nos in terra regnabit in aeternum.

Diffusa est omnis gratia et omnis decor in labiis suis, * propterea Domine benedixisti eam;

Et nos benedicimus etiam, * et in aeternum benedicemus et laudabimus.

Ex nunc anima nostra magnificat eam; * quia vitam universo attulit orbi et salutem.

Beatam te praedicant nationes omnes, * propter magnam humilitatem tuam.

Trahe nos in odorem unguentorum tuorum, * et post te curremus laetantes.

Confidentes in tuo patrocinio accedimus ad Eucharisticam mensam, * ubi Jesum Filium tuum sub speciebus panis latentem et vini accipiemus.

Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem; * qui surgens comedit et bibit;

Et in fortitudine cibi illius * ambulavit usque ad montem Dei.

Sed et nos ex hoc digno Angelorum manducantes pane ad montem pervenientus excelsum Dei, * ubi vitam acquiremus immortalem.

Ob hoc Redemptor, quaesumus,
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

POSTCOMMUNIO

Dominus regit me a iuventute mea; * in loco pascuae ibi me collocavit.

Jesus Pastor bonus qui pro ovibus suis animam posuit suam, * nos non alio pascit cibo, quam corpore suo proprio et sanguine.

Quid non mihi dederis, cui te ipsum dedisti? * non patieris utique aliquid mihi ad salutem deesse.

Quoties in me venis, toties accipio et possideo salutis auctorem; * non utique me damnabis propter gloriam nominis tui, quod est *Salvator*.

Dulcis Christe bone Jesu da mihi cordis contritionem; * et lacrymarum fontem.

Charitatis, Deus meus, dilectione me accende tua; * me tua iucunditate inebria.

Flamma tui incensus amoris * tibi coram hominibus et Angelis reverenter laudes decantabo dignas.

Amor meus semper ardens, et nunquam extinguibilis te semper in ore habeam, et prae oculis, * et ubique serviam et tibi canam.

Gloria Patri, Filioque cum Sancto Spiritu, * in sempiterna saecula. Amen.

Pars altera

Huius gemini cantici CXXXVIII.

HISTORICA, FESTIVA, AC SOLEMNIS COMMEMORATIO ADVENTUS MONOPOLIM MIRIFICAE IMAGINIS B. V. MARIAE DE MADIA (1).

(*Notatur in IV. lectione Officii Divini, decimasexta die mensis Decembris A. D. MLXXV sub Pontificatu Gregorii VII*).

PRAELUDIUM

Ex intimo cordis mei affectu.

Omni die dic Mariae - mea laudes anima; - * eius festa, eius gesta - cole splendidissime.

Sine fine - dic Reginae - Mundi laudum cantica; * eius bona - semper sona - semper illa praedica.

Omnes mei - sensus ei - personate gloriam - * frequentate - tam beatae - virginis memoriam;

Nemo certe - tam disertae - extat eloquentiae, * qui condignos - promat hymnos - eius excellentiae.

Te mater opto mille
Laudare vocibus,
Et mille mille mille
Amare cordibus.
Cor millies renatum
Si mater impetres,
Cor mille dicatum
O mater auferes.

Virgo salve - per quam valvae - coeli patent miseris; - * pro me pete - ut quiete - sempiterna perfruar.

(1) Quae ad veridicam attinent historiae commemorationem de Adventu huius Imaginis Monopolim, omnia prorsus eliciti ex Officio approbato a S. R. C. die XVII. Martii 1728; et die VII. Septembris eiusdem anni a Benedicto XIII: qui per se Virginis imaginem antea in ipso visitaverat templo.

Novum nunc viri fratres in voce iubilationis, * canticum agamus laudis.

Divam precemur supplices - matrem Mariae Madiae - * e barbarorum finibus - nobis datam divinitus.

Assumat os nostrum Angelorum melodiam, * ut laetitiae nostrae populis et familiae gentium annuntiemus magnificentiam.

Dignissimum *Adventum* eius in patriam hodie recolimus nostram; * simulque Jesum Filium eius adoramus Dominum.

Ipsa, Arca benedictionis et pietatis, mundo Verbum exhibuit Patris * et ipsa nobis specialiter in brachiis suis Regem portavit novi luminis.

Illumque ingressurum in Templum sancto nomini aedificatum eius, * in organis comitemur bene sonantibus; et in tuba iucunde, in Neomenia buccinantes.

Debite inde divae matri totus orbis cantica concinat; * et in dulcem amorem omnium coalescant corda.

Benedicta sit undique in aëre, et in mari, * in omnibus etiam abyssis.

Gutturi nostro et faucibus lingua adhaereat nostra, * si propter hoc non benedixerimus tibi Mater et in saecula.

Ave, gratia plena
Domus septem columnarum,
Dei manu fabricata,
Nec ab eo violata;

Dei parens piissima,
Hevae nepotes flebiles
De mille vitae fluctibus
Salutis ad portum vehas.

Ceu turbo pellis nubila
Mater procellas discutis,
Volente te, nunc intumeat,
Et nunc residunt aequora.

Benedictus Deus noster, * qui in terram immisit nostram matris suae mirificam imaginem.

Singulare nobis praesidium praebuit, * ut ipsa servulorum suorum vota susciperet assidue.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus; * et nomen maiestatis eius sit in saeculum benedictum.

Regina coelorum facta es nobis quasi navis institoris; * Dei cumulata donis, de longe portans nobis gratiarum cumulum.

Tu, o Maria, quasi umbrosus Terebinthus, ramos ad nos extendisti tuos in trabibus tuis; * et rami tui honoris sunt, puritatis et gratiae.

Tu, quam paterni criminis
Non ulla labes inficit;
Qua tota morsu concidit
Damnata proles noxio!

Pia mater et humilis,
Amica stella naufragis,
Fluctus inter tot devios
Tutam reclude semitam.

Absterge labes criminum,
Nostri et tenebras pectoris,
Tuaeque mater coelitus
Infunde lumen gratiae.

Locutus est Dominus David dicens * « Filius tuus, quem dabo pro te supra solium tuum, ipse aedificabit Domum nomini meo. »

Salomon cogitans inde aedificare Templum nomini Dei, misit ad Hiram; * ut Sidonii servi experti eius cedros praeciderent de Libano.

Et ita optatum de arboribus cedrinis et abiegnis * caesione obtinuit expleta.

Et illis de Libano traiectis in compositis ratibus, * Templum Salomon Rex aedificavit ex eis.

Itidem aedificata Monopoli nomini Virginis Mariae nova Cathedrali, * nil operi deerat splendido illi nisi fastigium.

Robertus Guiscardus, Northmanniae Dux et Apuliae Comes, * valido nisu et pio admittebatur magno operi.

Et trabes tamen diu duraturae tanto deerant oneri, * nec etiam a longinquis suppetebant regionibus

Tunc Romualdus illius temporis eximius Antistes * vota omnium satagebat in ipsam convertere Virginem;

Omni humano orbatus auxilio fiduciam in Mariam exposcebat a populo, * et de coelo sperabat consecuturum, quod negabatur de terra.

En speciosa tandem visa est in somnis candida Columba, * ascendens desuper aquarum rivulos, et inter amoena volitans vireta.

Magnus nimis et inaestimabilis odor * erat in vestimentis eius.

Ave fidelissima Noë Columba, * quae inter Deum et mundum, spirituali submersum diluvio, mediatrix existis amantissima.

Columba vere castissima, perfecta, omni carens felle, * et pacifera es tu, o Maria.

Columba puritatis, columna veritatis; corona virginitatis; * et deliciae sanctissimae Trinitatis.

Et proinde vicinitus in visu etiam noctis, * excelsam pius homo ipsam admirata fuit Dei matrem.

Quae super tumentes gradiebatur fluctus, * subter tenens pedibus selectiora ligna, ut sibi perficeret Domum.

O nox *Adventus* conscia huius, * laetitia et plausu saecula cuncta reples.

Nox tenebris fulgidior
Quam sol diurno sidere,
Astrisque cunctis clarior,
Illustras almo lumine.

Metuendus Deus, viri fratres, * qui divisis Erythraei maris aquis profunda nudavit.

Qui Moysen, sicco vestigio, velut per concava montium, * Israëlitas ducere iussit.

Et ita abscisso pelago populum suum inter stupefactas incolumem transvexit undas, * et hostium subsequentium demersit insignia.

Misericors Deus, qui Petri pedibus marinos subegit vortices; * ut liquidum illius pedibus officiosum praeberet firmum transitum,

Accinctus potentia sua profundum conturbat maris, * editque et simul compescit sonitum fluctuum eius.

Deus *summa est sanctitas*, qui sub plantis etiam beati Hyacinthi Poloni sacram Synaxim, et marmoream virginis in manibus gestantis statuam, attonitum duravit flumen;

Non cursus, non cura fugae, non pondera terrent Hyacinthum, * quin miris signum viribus arripiat:

Pluma velut levis fertur onus, nec gressibus obstat, * mox tamen oppositi fluminis unda tenet.

Trasmeat immunis, rabidos et ludit in hostes, * sospes et in tuto mystica dona locat.

Ipse *metuendus Deus*, ipse *misericors* et *sanctissimus*; * alta tenebant media dum nocte silentia terras,

Dum nix alba, * dum frigus et glacies solet nemus,

Et sylvas tegere, * et praecipites aquis cursus sistere,

Ipse fecit etiam, ut inter exagitatos hyemales fluctus * rates Madiae semitam ad nos invenirent tutissimam.

Sublimis et nobilis stella, super hoc mare magnum et spatiosum nimis, sublevata es, o Maria * micans meritis, coruscans exemplis.

Salus mundi, Domina,
Coelorum Regina,
Salve virgo virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiae
Clara luce divina;
Mundi in auxilium,
Domina festina.

Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terras, Pontum, Aethera,
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, quae in
Adam non peccavit.

Salve virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici,
Mensaque exornata,

Ab omni contagio
Mundi praeservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu mater viventium
Et porta es Sanctorum,
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum;
Zabulo terribilis,
Acies castrorum;
Portus et refugium
Sis Christianorum.

Fons conclusus, lucidissimus, aurifluus,* dulcium aquarum vena et veniae.

Gementium levamen, et fortitudo peregrinantium, * o quam speciosi gressus sunt tui pulcherrima inter mulieres!

Egressa es ab Oriente, * in salutem populi tui;

In salutem cum Christo; *et viam in gurgite cum equis fecisti tuis.

Et propter nimiam charitatem tuam, * syrtes amovisti dolosas.

Tu cursus (ergo), certamque viam; metamque tenendam ostende, * et coeli tolle benigna facem.

Perfulgens in superis terras et maria perlustras;* virtutes in animis refovens et misericordias perpluens.

Magnanima Vians, intellectus bonus omnibus invenientibus te, * in scopulos incurrentibus tentationis et tribulationis.

In te animus portum, curae solatia poscant; * in te delicias spiritus inveniat.

Ave virgo, tu quietum
Fac frementis mundi fretum;
Jesus navi soporatus
A te surgat excitatus.

Iam satis undivagos ponti toleravimus aestus, * et tulit insanos mens agitata notos.

Crebrescunt populi voces, plebes coeca susurro, * effractas leges, et sacra iura dolet.

Cursibus incertis iam pubblica iura feruntur,* et perversum paucorum regnat arbitrium.

Quisquis apostolici laudat decora inclyta Patris, * is tentata dolis insidiisque gemit.

Simpliciumque perturbant dicteria mentes; * fac ne sancti Imperii decus inficiant.

Comprime ferales animos, Martemque repelle, * tu quae tranquillae foedera pacis amas.

Liceat tandem positis lasso de pectore curis, * te Mariam placido concelebrare animo.

Dulcis Proreta nostra in nostram ascende naviculam, * a te ducta ad Patriam per summa velificet aequora.

Tu stella procellosi propitia maris,* potestate dominaris, et motum fluctuum mitigas eius;

Ad tuos pedes lassi furorem ponunt,* et coram te nostrarum passionum venti pulsare timent, et laedere nimbi.

O dulcis mea patria, cuius ad portum, decimo sexto die decembris, nocte intempesta, * septuagesimo quinto anno supra millesimum, nostrae appulit matris Arca;

Sine remige, sine nauta, per manus angelorum, in prima noctis vigilia, * peregre optatas afferens trabes, putredini non obnoxias, tegendo operi necessarias.

Quas in ratis contextas formam * gentilii lingua *madiam* vocarunt.

Commoveatur nunc ad laetandum plenitudo maris,* et amplitudo exultet eius;

Coeli, terrae; et creaturae cunctae,* nobiscum benedicant Dominum.

Quia tot signis per Mariam * nobis qui in turbulento versamur pelago, spem auget ad portum securitatis aeternae perveniendi.

Tu Deus in tenebris arcana et promis et abdis; * occultata malis, sed reserata bonis.

Sic Mariae portum media caligine cursus occulis;* ac tenebris corda superba tegis.

Haec ubi mira specie repente
Obtulit se populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.

Virgo, quae magnis decorata signis
Nunc quoque effulges, miseris iuvamen
Affer, et fusis patiens olientum
Annue votis.

Romualdus Episcopus, sacerdotes, magnates, coetus omnium civium in illa silenti excitati hora a tintinnabulis sonantibus, * processerunt ad mare.

Oculis lacrymantibus, prae insueta animi commotione, * undequaque in illa hora omnes accurrebant.

Ubi nova, ex insperato, laetitia: * nam ingens conspiciebatur miraculum.

Clamantes inde et devote gestientes, genibusque positis,*quadripalmarem adorabant effigiem;

Invisibilibus ardoribus plenissimam super Madia stantem,* rutilo taedarum fulgore coruscantem.

O lampas almi luminis,
Quae noctis tenebras dissipas;
Pignus et Arca foederis,
Quae flectis iram vindicis,

Tu per salutis semitam
Gressu vagantes devio,
Ad vera Christi gaudia
Beata mater dirige;

Inter tenebras saeculi
Mens tristis ad te respicit,
Tanquam sereno cardine
Laetatur orti Luminis.

Cum te sequendo diligit,
Jam laeta terras despicit;
Jam tuta portum contigit,
Cum te canitque et invocat.

Ingredere, pia mater, tu et Arca sanctificationis tuae,* in Templum nomini aedificatum tuo.

Plena Deo et locuples, ceu navis, merce, * repostos tranquilla in eo pergis adire sinus.

Festivis resonabant compita vocibus, * omnes laetitiam omnibus modis in transitu exprimebant tuo.

Taedis flammiferis, istructi ordine prodibant puellae pueri et senes.

Canentes te concives adducebant mel laude frequenti, * o dulcis, o pia virgo Maria.

In iubilo inenarrabili, in buccinae clangore, in Tympanis, et in Cytharis,* tuam imaginem ad novum allatam Templum solemni ritu, in Ara principe collocarunt

Proinde alio persaepe translata, * semper repetito portento, sua sponte, in sublimiori inventa fuit defixa ara.

Ubi ab erecta sede oculis perlustrat omnes sibi addictos; * et peccatores morti devolutos filio conglutinat suo.

Recipit ipsa in charitate et exultatione qui memores sunt pietatis suae in omni generatione et generatione * et eos retinet in Templo Regis sui.

Ipsa est, viri fratres, tanquam facula, * mundana discurrens arundineta.

Ipsa stella, * quae solis rotam vincit decore et lumine.

Hoc sidus aeternum manet,
Haec stella nunquam mergitur,
Nec nubis occursu abdita
Abrumpit obductam facem.

Gressus nostros gloriosissima, * in viam dirige pacis.

Vitae portus es miseris;
Per te salus acquiritur,
Nescit reatum criminis
Qui te devote sequitur.

Et ita etiam in beatitudine promeritae gloriae, * ac in regni solio sublimatam post Christum residere te credimus;

Exinde pro omnibus* gloriosum matris munus obire profitemur tuum.

In illa nostra sublimi Ara * ad haec usque colitur tempora;

Et non minus auro et gemmis,* quam suis ipsis conspicua miraculis.

Formositatem induisti, Domina nostra, et emicantem pulchritudinem: * fulgent vestimenta maiestatis tuae.

Perenni promicantem miraculorum gloria, * stupentes advenae cernunt, resonantque totum quae patras per orbem.

Cuius inter portenta illud celeberrimum, quod trabes quae supererant ad perficiendum Ecclesiae tectum, * post novem incorrupta servantur saecula veiut immortalitate perfusae

Ita ut et gummi guttas perfluentes et odorem perfundentes * quasi recens excissae videantur!

Quorum segmenta, summa in veneratione habita, Virginis operante virtute, * supra fidem est quanta fidelibus conferant beneficia.

Certe non sunt huiuscemodi allata ligna, * neque visa usque in praesentem diem.

Lignum vitae est iis qui apprehenderint eam, * et qui tenuerint eam, beati in aeternum dicentur.

Qui vero magnalia matris enarrant nostrae, laetabuntur in cubilibus suis, * et sors illorum inter angelos pacis.

Haec sunt visentis pia munera virginis (*madiae*), * atque adventus haec sunt dulcia dona sui:

Benedicant maria Domino in hymnis et symphonia, * mecumque canticum istud concinant novum.

Laudent nomen Domini et Dominae nostrae * aquae omnes quae super coelos sunt.

Et collaudent, quae maritimum patriae meae lambiunt decorem; * suavemque foecunditatem,

O virgo Maria, quam pulchra est domus sanctuarii Dei nostri; * admirabile in pietate et in magnificentia;

O quam sancta per manus aedificata tuas, * ex lignis e coelo comparatis.

Quam delectabilia in domo ista habitacula sunt tua, * et splendida!

Suspirat, concupiscit, ingemiscit cor meum et deficit, * in appotentia sacrae aediculae tuae.

Tu me a iuventute extraxisti mea, e domo Patris mei, * et de tabernaculis peccatorum me pluries liberasti.

Et cum generatione faciem quaerentium tuam me coniugasti; * et semitas ambulantium rectas.

Super aquas refectionis educasti me; * et animam convertisti meam.

Insuper sapientiam infudisti, * ut virtutem filii scirem tui, * et iustitiam coram hominibus impavido profiterer pectore.

Ecce iam consenui, * curvo labore iter capessens, et peregrinus adhuc vivens e terra natalis mei;

Et tota anxius die, * ad tuam dilectam visionem tota anhelans anima.

Oculum non avertam a te, nec desiderium meum, * donec ad pedes pausem et requiescam tuos.

Pennas ut aquila induam ego; * Lucis concutiam alas.

Morte iam adventante, * pro vice tantum una, iube ut ad excelsum procumbam altare tuum ardens in amore tuo.

Emporium gratiarum omnium, * transeam modo in sinum requietis tuae,

Et transiens languidum reclinem caput meum in dulcedine tua, * et obdormiam

Ibique, clementiae Mater, anima colliquescat mea, * et in tuis beatissime expirans brachiis, locus sarcinam istam meam excipiat sepulturae.

Ave coelorum Regina, terrarum gloria ecce iunctis manibus et lacrymantibus oculis, * tuam qui iacet expectat aeger opem.

Tu virgo, mater gratiae,
Tu praeses una languidis,
Te mens celebret iugiter,
Te lingua matrem concinat.

Ave turris nostrae spei — esto virgo memor mei — * et cantorem laudum harum, — salva mater Gratiarum.

Omnipotens, et sempiterne Deus, * filia rogante tua, fac ut ad templum, ad

moenia, ad colles appropinquem venustulae patriae meae frondenti coronatae pacifico olivo.

Et ego singulis vertentibus annis, * mirabilem adventus eius singulis narrabo nationibus.

Attollite nunc, sacerdotes Domini manus vestras in sancta; * et vocem laudis in communione sanctorum.

Gloria tibi in saecula, virgo Maria *Madiae*, * et nullo in tempore saecularis et regularis cleri, fratrum et sororum, comitum et amicorum oblivisci velis.

Te virgo coelum concinat; — te Maria matrem sentiant, — * te nostra semper pectora, — quaerant, adorent, invocent.

Tu es virgo, tu es stella,
 Tu es Gratiae fluvius,
 Deitatis munda cella
 Genitrix, cuius Filius
 Flos dicitur et radius.

Charitatis fundens mella
 Coelis cunctis superior
 Mundum servans a procella.

L. Deo et B. M. V. de Madia.

CANTICUM CXXXIX.

F. S. NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS—ET COMMEMORATIO S. AMBROSII CONF. ET ECCLESIAE DOCTORIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Offerimus tibi Deo nostro hostiam laudis, * fructum labiorum confitentium nomini tuo sancto.

Nostros pene pedes, quasi cervorum tu diriges * et nos super excelsa tua deduces victores hymnos canentes.

Beneficentiae non obliviscimur et Communionis; * talibus enim Hostiis te promeremur.

Gratias tibi agimus, propter Ambrosium beatum confessorem tuum, atque Ecclesiae doctorem tuae, * qui pro nobis ad te Domine Jesu * intercedit.

Vigilavit, in omnibus laboravit; opus Evangelistae fecit; * et dulciter, ac fortiter ministerium adimplevit suum cum populis et regibus.

Ita si eum doctorem; inclytum praesulem; et vitae nostrae in terris exemplum praebuisti; * intercessorem etiam efficacissimum ut sustineas, oramus in Coelis.

Agimus etiam grates propter Nicolaum servum tuum, nostrumque protectorem; * qui vere et sancte fratres adamavit suos.

Veritas et misericordia tua fuit cum illo, * et exaltasti cornu eius.

Statuisti ei Testamentum pacis; * principem fecisti eum in ecclesia tua magna, ut sit illi sacerdotii dignitas in aeternum.

Miserere nunc mei, Domine; * quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

Ne in furore tuo arguas me pro peccatis; * sed paterne ad salutem corripe.

Consenui prae lassitudine fractus viribus; * animam sana meam pene agonizantem.

Per diem plangam coram te, * et per singulas noctes stratum meum lacrymis inundabo meis.

Discedant ideo a me omnes, qui loquuntur mendacium et nequitiam, in fugam acti valde velociter, * et erubescant qui operantur iniquitatem.

Doctrinis abducimur variis et peregrinis, * immemores, quia *novatores* nobis verbum loquuntur mendacii.

Teterrimum ac detestabile rebellionis spiritum a nobis valde longe eiice Domine; * quia omnimode nomen profanat tuum.

Deprecationem suscipe nostram, et vocem eiulatus benignus exaudi nostri; * nobis spiritum donans scientiae, fortitudinis, et consilii.

Simulatos explanta *philantropos*, qui stulti sunt saeculi huius et impii, * et falsam disperde *praedicantium fraternitatem*;

Tu scis, Domine, quia linguae dolosae sunt istae, et hypocritae, * et conventus aspidum.

Et nos iam aperte comperimus, quia non alienis intendunt subvenire malis; * sed quae sua propria sunt, inquirere.

Insuper quae ipsis proficiunt et placent, * honores videlicet, gloriam, res publicas et alienas carpere, et in se transferre.

O beate Ambrosi succurre nobis; * in adiutorium descende nostrum.

Iustus quasi leo confidens est; * et tu audax in magnanimitate, ad nullum pavisti occursum, et omnia aggressus es ardua.

Ecce examen apum erat in ore leonis, * et favus mellis.

Ita quando iacebas in cunabulis, venit examen apum, et intravit in os tuum; * et postea visum est volare ad coelum.

Et tu sicut qui mel multum comedit, * mel et lac in praedicatione, et sacrarum scripturarum expositione lingua protulisti tua.

Qui habitat in adiutorio matris Dei; * in protectione commorabitur eius.

In tuo, Domina Maria, confidimus patrocinio, * e sublimi solio tuo, et in gratia a genimine istarum nos defende viperarum.

Concursus hostis non nocebit nobis, neque per diem neque per noctem * sagitta per aerem volans non tanget nos.

Clamamus omnes ad illum in obsessione seductorum, * quibus circumdamur.

Cohibe, o Maria, deliros istos; * et flagellum rebellionis et incredulitatis nostro non appropinquabit tabernaculo.

Ave Maria—Deo cara * pulchra valde prudens clara, — sola Dei salutare — digna mundo generare.

Ave scala—Coelum tangens;—ad te Virgo clamo plangens; * — ut a malo stella maris — me de Sion tuearis.

Ave digna omni laude - casta Dei mater gaude, - * et admitte vota precum - ut sis virgo semper mecum.

Chirographum, filius tuus, damnationis tulit nostrae, * et cruci illud affigens peccatum confixit et mortem.

In hoc salutis ligno legem plantavit dilectionis, * et pendens ex eo exemplum *unicum* universalis praebuit *fraternitatis.*

Quia animam suam pro *fratribus* posuit suis, * praedicans praeceptum Domini.

Ideo insanias respuentes falsas, veritatem, Domine Jesu diligamus tuam, * et in medio cordis nostri legem detineamus tuam.

Jesus Christus, viri fratres, nonne heri et hodie? * nonne ipse et in saecula?

Quomodo ergo perfrictae frontis homines, inaudito adhuc modo, * sanctum Evangelium eius perperam explicant populis ac perverse?

O quales *Doctores* * tenebras excutiunt mentium!

An passus est Deus, Patres et Ecclesiae Doctores * per saecula, et per innumeras homines fallere generationes?

Deus, qui Veritas est infallibilis, immutabilis, iustitia et vera pax cordium, * hanc permitteret fraudem thecnicam in Ecclesia sua sancta, et deceptionem?

Et hodie per tristes *novatores lucem* nobis ortam ostenderet, nunc tandem *veritatem* intelligentiae patefaceret nostrae, * et viam demonstraret salutis!

Revera omnes periere, qui nos praecesserunt in umbra mortis et erroris, et nos solummodo per istos salvi erimus! * o crimen, o scelus, o facinus!

Diabolicum exercent isti ministerium, * et filii diaboli vocabuntur, sicut heri, et hodie, sic et in saecula.

Jesus Christus idem heri et hodie; * ipse idem erit et in saecula.

Securi requiescemus in eo, * qui sedens ad dexteram Patris per ecclesiam suam docet nos omnem veritatem.

Ipse magister, et Ipse frater semper nos docens, * et assidue interpellans pro nobis.

In eo confisi iam secure ambulabimus; * iam in pace moriemur, et resurgemus.

Jam in eo revivemus, in coelum conscendemus, * et in coelestibus consedebimus.

Vivit et vivet in nobis Christus, doctorum magister et apostolorum; * et Christianorum sapientia.

Jesu bone defende nos; * Jesu palma bellatorum, nobis patientiae virtutem dona, fortitudinis, et iustitiae.

Donum etiam humilitatis, * prudentiae, fidei, et perpetuae charitatis.

Temporalis haec perceptio corporis et sanguinis tui, * sempiternam praefigurat fraternitatis tuae fruitionem.

POSTCOMMUNIO

Jesu fons dulcedinis et misericordiae; * Jesu fons laetitiae et gratiarum.

Jesu splendor patris, et merces nostra, * teneo te in pectore meo, nec dimittam nisi benedixeris mihi.

Benedic Domine in hac aerumnarum valle * benedic mihi in regno tuo.

O quam gloriosa dicta sunt de te civitas Dei; * sicut laetantium omnium habitatio est in te.

Revertatur anima mea ardenti desiderio ad considerandam nobilissimam coeli patriam; * in qua, pietate Dei adscripti sumus et cives decreti.

Cives iu miserationibus suis beatorum omnium; * domestici Dei, cohaeredes autem Christi

Ubi nullae Daemonum insidiae, * ubi nemo laeditur, nemo invidet, nemo irascitur:

Ubi nulla exardescit cupiditas; nullum cibi desiderium; * nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio.

Non mancus, non claudus, non gibbosus; * neque deformis ibi creatura aliqua.

Non paupertatis metus, nec infirmitatis angit imbecillitas; * non mors corporis, sed immortale munus, semperque iucunda regnat vita.

Ibi omnes in virum occurrent perfectum; * et in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Non tenebrae, neque nox * non nubium concursus, neque frigoris aspectus, vel temporum vicissitudines;

Lucerna Paradisi est Agnus sine macula; * Solis luce candidior, splendidior, et felicior.

Sancti in hoc fulgent lumine sicut stellae; * in perpetuas aeternitates.

Coniubilantes invicem, vident praesentem Dei vultum; * fratres, sorores vident, parentes, amicos; consortes, angelos et virtutes Dei.

Matrem nostram vident immaculatam, ad aethereum assumptam thalamum, * in quo Rex regum stellato sedet solio.

Quam omnes filii Sion et filiae beatissimam praedicant; * et Reginam collaudant.

Pax laeta cuncta continet in unitate mentium; tranquilla sunt omnia in unitate cordium.

O gloriosa Civitas, fundata propter exultationem plebis Dei, * concupiscit et deficit anima mea in atria tua.

Attenuantur oculi mei suspicientes in excelsum; * munera peroptans sempiterni gaudii tui.

Jam laus, iam gloria, iam honor, et gratiarum actio Patri, Filio et Spiritui sancto sit, * ex nunc, et usque in saeculum. Amen.

CANTICUM CXL.

CONCEPTIO IMMACULATAE VIRG. MARIAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Salve virgo puerpera,
Quae thronus es Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.

Solamen moerentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis;

Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis;
Sancta et immunis
Culpae originalis.

Civitas Altissimi,
Porta orientalis;
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.

Quam pudica es, quam pulchra, aeterni Regis filia,* virgo perpetua, templum Spiritus sancti, et Christi Mater, macula non est in te.

Sicut Spina Rosam - genuit Judaea Mariam; * - ut virtus vitium operiret; - gratia culpam.

Rosa decens, Rosa munda,
Rosa recens sine spina,
Rosa florens et foecunda,
Rosa gratiae divina.

Facta coelorum Regina
Non est nec erit secunda
Tibi; o reis medicina
Nostris coeptis obsecunda.

In scripturis figurata
Multis locis ostenderis;
AEnigmatibus monstrata,
Sacris ut patet litteris.

Testamenti iam veteris
Et novi, iure praelata
Mulieribus caeteris:
Super omnes elevata.

Creator omnium, qui creavit te, in tuo requievit tabernaculo; * quia immaculatam te creavit.

Et radicasti in populo honorificato, et in plenitudine sanctorum facta est potestas et haereditas tua; * quia sine labe concepta.

Virgo Jesse floruisti Deum et hominem concipiens et parturiens; virga produxit florem; * et super hunc florem Almus requievit Spiritus.

Pacem Deus restituit submerso mundo, * in te Virgo immaculata, ima reconcilians summis.

Cui comparabo,* vel cui assimilabo te Filia Hierusalem?

Quasi Cedrus exaltata fuisti, mater Domini mei, in Libano; * et quasi Cypressus in monte sancto Sion super omnes Sanctos.

Quasi Palma in Segur, super omnes filias Israel; * et quasi plantatio rosae in Ecclesia Dei;

Quasi oliva speciosa in campis; * et platanus umbrifera, iuxta refectionis aquas, et secus sanctitatis rivulos et iustitiae.

Virgo Deum et hominem genuisti; * virgo prius ac posterius inviolata permansisti.

Quem totum non capit coelum et terra; * in tua se clausit viscera factus homo.

Ideo sicut cinnamomum et balsamum in altissimis oles;* et quasi myrrha electa odorem diffundis in concilio electorum.

Quanta es mater dilecta nostra, * et quam magna.

Veni Regina nostra, veni candida, illibata; * veni immaculata in hortum odoris super omnia aromata.

O quam pulchram et pudicam te fecit Dominus Pater, dominus filius, dominus Spiritus Sanctus, * sancta Trinitas, unus Deus.

Domine Deus per te ipsum benignitatis auctorem, matris ac domus tuae zelatorem, * devotas nostras suscipere digneris cum hilaritate supplicationes.

Et rogamus, ut sicut ipsa tua praeveniente gratia immunis hodie ab omni labe apparuisti mundo, * ita nos, tuae matris munere, mundas tibi exhibeamus gratiarum actiones.

Mater, dum tui nos dicimur filii et sumus * fratres etiam nos dicimur et sumus Jesu Filii tui.

A quo trepidabimus! mitis ille et humilis carnem diligit suam,* membra et viscera sua.

Nisi tu Verbum Dei, et Mariae fili, caro factus esses nostra, * inanis omnis foret spes nostra.

Imo utique desperaremus propter nimia vitia, culpas et negligentias; * quas pro nostra commisimus fragilitate.

Fili Mariae, Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus grandium, spes confidentium nobis parce,* et fac nos in te crescere.

Vita es, qua vivimus; spes, cui inhaeremus; * gloria quam adipisci desideramus.

Mentem tu nostram rege; * intellectum dirige, amorem erige.

Fac unusquisque nostrum suo te palato manducet, et comedat te os nostrum, * et nectare dulcediuis tuae nostra repleantur viscera.

Adde pietatem, Domine Jesu, per matrem immaculatam tuam, * et praedilectionem animas elevando nostras, et trahendo in fluenta supernae sedis tuae.

Quamvis peccatores de hac communione Gratiae non diffidimus et Gloriae; * os nostrum eructabit coram te verbum bonum.

Peccata prohibent nostra; * sed substantia te requirit nostra;

Delicia excluduut propria; * sed naturae participatio non reiicit neque repellit.

Carnem assumpsisti nostram, * coniunxisti te nobis, et nos in filios adoptasti.

Ut cum secundo fulseris,
Metuque mundum cluxeris,
Non pro reatu punias,
Sed nos pius tunc protegas.

Abba Pater succurre miseris, recollige lapsos, * erige deperditos

Satia nos famelicos, * et sacro cibo tuo

Et ad tuam discumbentes opiparam mensam * gloriosa nomini tuo sancto in aeternum praecinemus.

O Virgo Angelica prae cunctis dignior esca * fac nos Coeli Epulas seduli esuriamus.

POSTCOMMUNIO

Adoream Domine suavitatis sacrificii suscipe huius; * et praesta quas expectamus gratias.

Hodie Mariae immaculatam celebrantes conceptionem * eius salubri intercessione fructum centuplum accipiamus devotionis.

Salve urbs refugii,
Turrisque munita,
David propugnaculis,
Armisque insignita:

In conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

Et mulier fortis,
O invicta Judith,
Pulchra Abisag virgo
Verum fovens David.

Rachel curatorem
Ægypti gestavit;
Salvatorem mundi,
Maria portavit.

Salve virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiae
Stellis coronata:

Super omnes Angelos,
Pura, immaculata;
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.

Per te, mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum;

Patens coeli ianua
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula sanctorum. Amen.

Egredimini filiae Sion, et Reginam videte nostram, * quam rutilantia laudant astra matutina.

Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur; * et simul nobiscum iubilant omnes filii Dei, laudantes eam.

Per ipsam Dei filius, in servi forma ad nos accessit homines * et nostram operatus est salutem.

Humiliavit semetipsum, * et familiariter egit cum publicanis et peccatoribus.

Venit ad nos viles et miserrimos non despiciens nos, * sed benigne suscipiens.

Beata Virgo Maria per sanctam et immaculatam conceptionem tuam, mentes, cor, et animas emunda nostras; * et nos hymnum praecinemus tibi.

Ave Virgo vena munda; - per te vivi fontis unda - nobis semper irroretur; * quo cor nostrum inebrietur;

Ave decus puellarum, - Virgo Judae - Semen clarum; * Patris Nata - Parens Prolis - Dei domus - aula Solis.

Summus Artifex omnium
Te providit vas nobile,
Vas dignum, vas egregium,
Vas gratum, vas laudabile
Vas cunctis venerabile,
Famulis ut edulium
Ministres delectabile;
Panemque coeli civium,

Mater natum, Patrem nata
Stella solem genuisti.
Increatum res creata
Fontem vivus emisisti;
Vas figulum peperisti
Virgo manens illibata,
Per te nobis, mater Christi,
Est perditis vita data;

Altissima sunt viscera,
Quae Domini sunt conclave,
Sanctissima sunt ubera
Quae suxit, et lac suave.
Quo laetatur; Mater ave,
Quae regnas super sidera:
Nos tibi canentes Ave,
A mala morte libera.

Virgo Dei Genitrix virga est, * Flos filius eius Jesus.

Speciosa facta es mater nostra, vernans in floribus rosarum; * et liliis convallium.

Soli amica calcas Anguis
Colla plantis lurida,
Et paternae labis una
Ac ruinae nescia:
Virgo mater laeta prole
Pura servas lilia.

Per sanctam et immaculatam conceptionem et virginitatem tuam, * purissima mater, mentem, cor, et carnem emunda meam;

Exaudi me de vertice collium aeternorum, * libera me de laqueo, quem mihi inimici absconderunt.

Quam suavis es adiutrix mea, quam clemens et pia, immaculata mea; * in te confido, et filius me non confundet tuus.

Te summa o Deitas unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant.

CANTICUM CXLI.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS DOMINI (*GAUDETE*) ET COMMEMORATIO ALMAE DOMUS LAURETANAE.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

Pax Christi, quae exsuperat omnem sensum cor custodiat meum, * et intelligentiam meam.

Gaudeamus fratres, Dominus terram benedixit suam; * et captivitatem avertit a nobis.

Per ipsum coeci vident, claudi ambulant; et mundantur leprosi, * gaudeamus fratres.

Audiunt per ipsum surdi; evangelizantur pauperes; mortui resurgunt; et terrae totius renovatur facies; * gaudeamus fratres.

En clara vox redarguit,
Obscura quaeque personant:
Procul fugentur somnia,
Ab alto Jesus promicat.

Quae nova lux mundi, quae toto gratia coelo? * quis fuit ille nitor Mariae, cum Christus ab alvo processit splendore novo?

Velut ipse decor Sponsus egressus ovans e thalamo, * forma speciosus amoena, prae cunctis filiis hominum.

Cuius radiante figura; * blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.

Domine Deus sacra nos instituta peragentes mysteria tua redde miseratione a vitiis expeditos, * luce illustra nos tua et a morte libera peccati.

Laetamini omnes; * pusillanimes nolite timere, ecce Dominus ad salvandum nos venit.

Hodie Deus factus est homo ut homo fieret Deus; * et ecce nova facit omnia.

Ipse restaurat universa; * sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.

Et ipse corpus reformabit humilitatis nostrae* corpori configuratum claritatis suae.

Sedet Salvator noster super solium excelsum in veritate; Rex clemens, omnipotens, sapiens, mansuetus; * et Regni eius non erit finis.

Gaudeamus, quia de excelso maiestatis suae solio aures precibus accommodat nostris; * et suae visitationis gratia tenebras illustrat nostrae mentis.

Rogamus ergo fidenter te, Pater omnipotens, per vim immensi amoris illius, * qui Unigenitum traxit tuum e sinu tuo in virginis uterum.

Per vehementiam rogamus desiderii illius, quo desideravit in ultima coena Pascha cum discipulis manducare suis,* et opus Redemptionis perficere.

Per vim quoque amoris illius, quo Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, in memoriam dilectionis suae, et futurum instituens gloriae pignus; * in cibum nobis reliquit et potum.

Et per virtutem illius ardentissimae charitatis, * qua semetipsum in Ara Crucis, in Sacrificium et pretium, pro redimendis terrae vermiculis obtulit.

Rogamus, ut salutaris eius gratia nos dirigat semperque custodiat, * et copiosum fructum et robur contra carnis mundi et Daemonum consequamur insidias.

Ut virtutes nobis maxime necessarias diligenter exerceamus* et fidelibus tibi de die in diem servire studeamus operibus.

Utinam exhibere tibi possimus nostrum corpus hostiam viventem, * sanctam, ubique placentem.

Utinam animae tibi soli vivant nostrae; * et nostra omnia tibi serviant soli.

Ecce nos inopes fatemur esse et pauperes, * tu vero dives in meritis et miserationibus ne nos despicias.

Indignas, domine Jesu, nostras oblationes aeterno offer Patri * cum sanctissimis operibus tuis et commenda.

Hoc servitutis nostrae coniunge officium cum pretioso isto sacrificio;* quo te ipsum in amantissima offers Deo Patri charitate et obedientia.

Inopiam abundantia tua supple nostram; * supple, et clementer in hoc mysterio insufficientiam adimple.

Respice Pater in faciem Christi tui, in quo tibi bene complacuisti* et preces exaudi nostras.

Gratiam, viri fratres, fideiussoris nostri * ne obliviscamur.

Salvatorem mundi de Spiritu sancto conceptum in domo virginis Mariae; * venite adoremus.

Sancta domus, rutilo quae splendes aemula coelo, * quae pretio cunctas divite vincis opes.

Sancta domus, temploque mihi sacratior omni; * et Christi et Mariae nobilis hospitio.

Excipis angelicae coelestia verba salutis; * in te facta Dei est numine Virgo Parens.

Te colit aetherei, quem non capit aula recessus; * laetitiae et vitae munera prima tenes.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum;* et haec est domus Dei, in qua nomen invocabitur eius.

Istam Mariae virginis almam Lauretanam domum, * per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecravit.

Istam post tot rerum discrimina, et portentosa itinera, * per manus Angelorum, in sinu Ecclesiae suae collocavit.

Concede nunc, Domine Deus, ut qui eam veneramur, * a tabernaculis segregati peccatorum, digni coelestis domus tuae postmodum efficiamur habitatores.

Ad vos quoque sancti confugimus, et sanctae Dei, * et in primis ad te sanctissima Dei mater Maria.

Virgo et patrona es nostra ; Templum Dei, Sacrarium Spiritus sancti; * quae sola, sine exemplo, placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Quod Heva tristis abstulit
Tu reddis almo germine,
Intrent ut astra flebiles,
Coeli recludis cardines.

POSTCOMMUNIO

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; * Charitas est; veritas est; amor Patris et Filii.

Te invoco; te laudo; te adoro spes mea, beata Trinitas , * Spes et honor meus vivifica me.

Deus amore venit ad homines; * in homines venit; factus est homo.

Amore invisibilis Deus * servis suis factus est similis;

Ex omnibus animae motibus, sensibus, atque affectibus, * amore tantum, etsi non ex aequo, Creatori et Redemptori vicem rependere possumus.

Consacro tibi Jesu cogitanda, ut sint a te dicenda, et facienda, ut sint secundum te; * et ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quomodo vis; * volo quia vis; volo quamdiu vis;

Ita respiro in spe veniae et misericordiae; * ita habeo unde queam aspirare ad nuptias immaculati Agni, qui es tu ipse pie Jesu.

Ita tecum abhinc gaudens * possum suave amoris ducere iugum.

Amor facit unum spiritum de duobus, * idem facit velle, idem et nolle.

Ita amor animam Deo similem per voluntatem reddit, * cui facta est similis per naturam.

Per amorem ergo Deo coniungimur nostro, * in nos traducentes eum, et ei affectus omnes captivantes nostros.

Domine Deus amore tuo mores prius compone nostros, * postmodum omnia quae sunt, tanquam non adessent, considerabimus.

Amor tuus per se omnibus sufficit,* per te et propter te etiam mihi placet et sufficit.

Et quia fructus amoris est meritum, et praemium, * amando te, superna et interna, munda cordis acie in te nitide conspiciam; et terrena despiciam.

Et spirituali alimonia repletos doce nos Domine praediligere coelestia; * et in te gaudiorum gaudio gaudere.

In nos participes incarnationis mysterii et mortis tuae infunde immensi amoris tui copiam, * et etiam erga dulcissimam Mariam.

Ipsa Mater , advocata , Regina , * et unica nostra clementissima spes.

Tenerum annis Christum, o Maria, lactasti, * reple nunc nos ingravescentes annis consolationis tuae bonis, nos in pace visitans.

Ipse in cruce moriens te beato Joanni, et nos tibi in Joanne commendavit;* doce ergo nos amare quem amasti dilectum.

Gloriam Patri melodis personemus vocibus, * gloriam Christo canamus ;

Gloriam Paracleto, * qui Trinus et unus Deus extat ante saecula. Amen.

CANTICUM CXLII.

FESTUM PATROCINII S. JANUARII ET SOC. MM. P. P. C. ET REGNI etc.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ec. (ut supra, pag. 1.)

Te Domine martyrum candidatus laudat exercitus; * et laetabundi in monte sancto Oreb tibi in aeternum confitentur.

Hostias tibi beatorum Martyrum Januarii et sociorum dicatas meritis * benignus assume.

Eorum patrocinio munitis * perpetuum nobis clementer subsidium tribue.

Quot martyres amantissime Jesu, * tot tui amantes;

Maiorem charitatem habere non potuerunt, * quam ut animam pro te ponerent suam.

Posuerunt, * et intimi cordis amorem sanguine testati sunt.

Testatus est ante omnes Stephanus,* qui per puritatem et innocentiam tibi sese similem reddere conatus est;

Similem et per patientiam; * per charitatem, et mortem;

Tecum ita Domine Jesu, et cum sancto Stephano, et cum sancto Januario patrono nostro, dicam et ego, * « Pater ignosce maleficientibus mihi, et ne illis hoc statuas peccatum. »

Item et Ignatius Martyr te semper in ore habuit, teque semper gestabat in corde; * in quo post martyrium dulcissimum sculptum nomen apparuit tuum.

Et quid de Agnete dicam virgine et martyre? * de Lucia, Caecilia, et Agatha?

Amantes inquiebant, * « Christus amor noster est, cuius mater virgo est, et cuius Pater foeminam nescit. »

» Quem Christum, cum nos amamus et in sponsum accipimus, virginitatis integritatem conservamus; * pro ipso vivimus, pro ipso libenter moriemur. »

Ecquid de Clemente et Laurentio? * Quot martyres, bone Jesu, et quos nemo dinumerare potest, tot tui amantes.

Innumeri alii tentati fuerunt; lapidati fuerunt, * secti fuerunt, et in occisione gladii mortui sunt.

Ex magna venerunt tribulatione, * et stolas laverunt in sanguine Agni.

Isti carnificum non timuerunt verbera, * et propter te et ex te inflammati ora obturaverunt leonum;

Impetum extinxerunt ignis; * et aciem effugerunt gladii;

Mirabiliter convaluerunt de infirmitate; de plagis, de lethalibus vulneribus; * et fortes facti sunt in bello.

Alii circumierunt in melotis, in pellibus caprinis; * egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Alii in solitudinibus errantes; * in montibus asperis, in speluncis, et terrae cavernis.

Hi omnes probati * inventi sunt fideles.

Ecquid de Maria virgine * omnium Regina Martyrum?

Incessabili moerore pia afflicta est mater, * sic tractatum videns quem genuit.

Tuus tractatur Filius
Longe quam latro vilius;
Irrisus fert ludibria
Gente stipatur impia.

Largire quo concipiam
Tecum cordis angustiam,
Flens mortem, quam Rex patitur,
Per quem mundus construitur.

Ignis ergo, crux, bestiae, ossium confractio, membrorum divisio; * et totius in me cordis contritio veniat;

Mors ipsa irruat, et acerrima; * tantum ut Christum in aeternum et Mariam lucrifaciam.

POSTCOMMUNIO

Amo te et cupio, * crucifixe mi, a te validius amari.

Sicut cervus ad fontes desiderat aquarum, * ita ad te Jesu anima desiderat mea.

Peccavi, Domine, peccatum grande nimis, * sed quia nimia charitate me in filium adoptasti, et sedere me fecisti ad mensam Eucharisticae refectionis in te confido.

Magnam tibi iniuriam facit, * qui de tua diffidit misericordia.

Credo ergo quod verax es in promissione, promptus in exhibitione veniae, * et potens in potestate reconciliationis.

Brachia in cruce adhuc extendis, * et manus ad me amplectendum expandis peccatorem.

Salvator mi caput iterum atque iterum in Sacramento inclinas, et in altaris sacrificio, * ut osculum mihi pacis offerre possis;

Perenne meritum, *et reconciliationis pignus est mystica Redemptoris mors.

Potens est, viri fratres, et volens nos salvare; * salus immo est, vita pro omnibus, et resurrectio.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me; * nec super me inimicos delectasti meos.

Praesul et martyr insignis, beate Januari, impetum fornacis extinxisti ardentis; * ora obturasti ferarum.

Liberavit te Dominus a rugientibus paratis ad escam, * et a pressura flammae, quae circumdedit te.

In medio ignis non es aestuatus; * tandem in occisione gladii pro Christo mortuus legitimi certaminis coronam accepisti.

Salve Protector Civitatis et Regni nostri; * populum istum supremo commenda Numini, et ne cesses, ut soles, pro nobis clamare.

Mira, quae patras, tua Januari
Civitas gaudens recolit; stupentes
Advenae cernunt, resonantque totum
Nota per orbem.

Namque concretus diuturno ab aevo
Sanguis ampulla vitrea liquescens
Bu llit, ac rebus populo est sinistris
Dulce levamen.

Tu parens adsis, patriaeque custos;
Se, fac, insignem pietate avita
Praebeat semper; fideique vera
Dogmata servet.

Tu probos mores docili iuventae,
Tu senectuti placidam quietem
Alma tu Regno bona pacis omnes
Impetra in annos.

Pelle tu pestem, furiasque belli,
Tu famem, terrae subitosque motus,
Atque Vesevi fera damna nostris
Moenibus arce.

Laus sit excelsae Triadi perennis;
Quae tibi sertum tribuens coruscum,
Te viam nobis famulis precante,
Pandat ad astra. Amen.

CANTICUM CXLIII.

EXPECTATIO SACRI PARTUS BEATAE MARIAE V.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, * aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

In mentibus nostris verae fidei Sacramenta noster confirmet Deus; * ut conceptum de Virgine Verbum verum confiteamur hominem, et adoremus Deum.

Et per eius salutiferae resurrectionis potentiam, * ad aeternam mereamur pervenire laetitiam.

Dominus possedit te ab initio viarum tuarum; * ab aeterno es tu.

Et ex antiquis antequam terra fieret, * Dominus Deus Pater parturiebat te.

Quando praeparabat coelos, et certa lege et gyro vallabat abyssos; * quando firmabat sursum, et fontes librabat aquarum, tu Filius Dei vivi cum eo aderas;

Et cum eo eras cuncta componens; * et per singulos delectabaris dies, ludens cum eo iu omni tempore, ludens iu orbe terrarum.

Jesu amabilis, tu imago substantialis Dei es iu sinu Patris; * et splendor gloriae eius;

Tu candor aeternae lucis, speculum sine macula, maiestas Dei; * ab initio cum eo omnia praeparas;

Omnia vallas, libras, et circumdas; * appendis et componis ludens in universo.

Et tamen deliciae praecipuae tuae sunt cum filiis hominum; * dans manum lapsis, opem ferens caducis.

Ita laetantes dicimus: * « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. »

» Et Deus erat Verbum, * hoc erat in principio apud Deum. »

« Omnia per Verbum facta sunt; * et sine Verbo factum est nihil quod factum est. »

« In Verbo erat vita, et vita erat lux hominum, * et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. »

« Et Verbum caro factum est, et habitavit iu nobis, * et nos vidimus gloriam eius. »

Ergo Verbum principium est et finis omnium rerum; * in eo omnia; propter ipsum omnia; secum omnia:

Amor est, gaudium et beatitudo nostra; * et aeterni Patris delicium.

Tu Verbum in sinu Patris, Verbum aeternum omnipotens; * et tamen nostra caro, imago nostra, substantia nostra, frater, sponsus, et salvator noster.

Tu Verbum, parvus infans amabilis nimis, * et tamen es Verbum Dominus, plenum veritatis, plenum gratiae et maiestatis

O facilis pietas, ne nos servile teneret, peccato dominante, iugum, * servilia summus membra tulit Dominus;

Primique ab origine mundi, omnia qui propriis vestit nascentia donis, * exiguis habuit tantum velamina pannis.

Andriani.

Quemque procellosi non mobilis unda profundi, terrarum non omne solum; * spatiosaque lati non capit aula Poli;

Puerili in corpore totus mansit; * et angusto Deus in praesepe quievit!

Gaude Maria virgo, * Verbum Dominus, bonitas infinita, tecum et nobiscum est.

Gaude, et laetare benedicta tu in mulieribus; * quia Jesus, ventris tui fructus, est Verbum caro, et fidelium thesaurus infinitus.

Qui ut ignis in Rubum, et ut Ros in Vellus descendit in te; * Spiritu sancto foecundante obumbravit tibi virtus Altissimi.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus; * partus benedictus sit virgineus tuus;

Benedicta sit carnis tuae munditia; * et dulcedo misericordiae pectoris tui.

Protege nos, Regina cordium; * mater pulchrae dilectionis, amoris, timoris, et sanctae spei;

Nos iu sinu adoramus tuo Verbum a Patre genitum ante omnia saecula; * et in plenitudine temporis in te conceptum.

Aspice mitissime conditor dilectae tuae sobolis humanitatem; * et respice benigne super infirmi plasmatis debilitatem.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; * Hosanna in excelsis, in labiis nostris tua semper resonet laus.

POSTCOMMUNIO

Agnus absque macula, Jesu oblatio munda, Angelorum esca, iuge Sacrificium, te adoro, te laudo; * tibique ex corde grates rependo.

Super Filiorum mensa sese anima pavit mea de occultis mysteriis tuis; * et iuxta fluentum pietatis Sacrificii tui inebriata est.

Gaudium citissime esto mihi, et exultatio, in loco pascuae supernorum

civium facie ad faciem; * iuxta manifesta et plenissima Dei mei fluenta.

Reminiscere interim mei in vitae huius exilio pie Deus, * qui quaerens me sedisti lassus;

Incolatum respice meum, * in terra laboris ac lacrymarum;

In te deiecter, tibique inhiem, * qui me redemisti crucem passus.

Anima to, Deus totius consolationis, quaerat mea, inveniat et diligat; * et qua valet virtute te adoret.

Frequentissime tuam gloriam mens devota mea tuo accensa amore sub corde revolvat, * tibi suspirans, et a te possideri solummodo desiderans.

A te, qui totus totum tenens, implens, illustrans et possidens, * inaccessibilem lucem habitas;

Quem nullus vidit nostrum, * nec videre potest, et supervivere.

Qui, si videri non potes, sentiri tamen potes, corda ducens nostra; * et animas implens sine verborum strepitu.

Semper agens, semperque quiescens; amans, nec aestuans; * coelum et terram amore imples tuo;

Omnia portans sine onere; * omnia reples sine inclusione;

Reddens debita, nulli debens; donans debita, nihil perdens; * ecquis quicquam habet quod non est tuum?

Nec inops, nec avarus; * tamen gaudens lucris usuras exigis;

Supererogans cui non debes, * concedis aliquando, ut supererogemus tibi, ut nobis debeas.

Ideoque respirant ad indulgentiam humiles poenitentes; * quia sanans contritiones cordium nostrorum cumulas nos bonis.

Et ita in plenitudine pacis et opulentiae requiete, * nos cibabis omnes post peregrinationis nostrae labores.

Adiuvet nos mater fons clementiae,* et pietatis dulcedo;

Levissimo eius tactu nostrae sanantur infirmitates; * suo roseo odore mortui reviviscunt!

Ave Virgo Deo digna, serva servos, ac benigna luce tuae faciei, * et splendore vultus Dei;

Ave mater novi moris - * nec conceptu Redemptoris - neque ortu maculata - scuto Dei obumbrata.

Ave Virgo, quae furorem - conditoris in amorem tui gratia convertisti - * votis iram extinxisti.

Virgo mater, in rhythmis et hymnis, psalmis et canticis, viscera compello miserationis tuae, * ut mihi misero gratiam stillent dulcedinis Dei tui.

Laudate eam coeli coelorum; * glorificate eam iusti omnes ante Altissimi thronum.

Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeniti sanguine Filii
Servasti, et placido flamine recreas,
Coeli ad culmina transferas.

CANTICUM CXLIV.

DOM. II. ADVENTUS DOMINI, ET RECURRIT INFRA OCTAV. F. S. LUCIAE V. ET MART.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Veni Domine, * facinora plebis relaxa tuae.

Veni, magna succurre virtute; * et tuae propitiationis indulgentiam accelera.

Veni Domine, semitas in adventu tuo rectifica nostras; * ut praesens nobis facias reparationis tuae munimen, et futurum.

Tu benedictus et expectatus gentium, qui venit in nomine Domini; * benedictus es domine Deus Patrum nostrorum:

Super sceptrum divinitatis benedictus tuae; * laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus in templo sancto gloriae tuae; * et ab Angelis et Sanctis tuis benedictus in adorabili nomine sancto tuo.

Tu Domine formans lucem et creans tenebras; * tu remedia conferens vitae, et aeternam concedens pacem.

A summo coelo egressio tua est, * et occursus tuus usque ad summum eius.

Verba quae loqueris nobis spiritus et vita sunt; * panis, quem nobis in altari ministras,caro tua est pro mundi vita.

Panem et tua verba gaudenter et fidenter ex manibus, et ex ore suscipimus tuo; * et in corda arctius inserimus nostra.

Ecquis non accedet ad mensam tuam, ut immortalitatis accipiat alimoniam, * indeque vitam obtineat et gloriam?

Ecce coeli coelorum te non capiunt, et tu nobis minusculis dicis: * « Venite ad me, comedite panem meum! »

Nisi tu diceres, quis crederet? * et nisi tu iuberes, quis accedere auderet?

Noë centum laboravit annos, * in fabricatione arcae;

Ex lignis a putredine innoxiis * Moyses tibi tabernaculum constituit;

Salomon arcam tui foederis collocaturus, * templum incredibili tibi magnificentia construxit.

Et ego miserrimus non arcam foederis, * sed viventem ipsum Deum in foetidas domus meae latebras quomodo introducam?

Si tantus symbolis adhibitus est olim cultus, impensa et diligentia; * quanta nunc mihi habenda esset reverentia et devotio?

Non amplius figurae, non symbola, sed Christus ipse, vere et realiter sub istis continetur panis speciebus * et in sumptione praeclarissimi calicis.

Deus meus, hominum et angelorum creator cum Isaac immolatur * et nos ore nostro divinam immolantes,et consummantes victimam perficimus holocaustum.

Deus meus, sancte sanctorum, scio quod si digne ac devote te suscipiam, virtutem in anima mea reparas amissam, * peccatum tollis, reddisque ornatam et venustam.

Mysterium hoc coelum laetificat, viatores consolatur, * mundum conservat universum;

Sanctis beatitudinem adauget, * et Altissimi propagat gloriam.

Gratias tibi bone, aeterne pastor; * egenus ad divitem properat, servus ad Dominum;

Desolatus ad pium consolatorem; * mortuus ad vitae accedentem fontem; eum misericorditer ne despicias.

Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, * ut non amplius moriar;

Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, * tu nos pascis hic mortales, et tuos tibi facis commensales.

POSTCOMMUNIO

Ecce Pascha novae legis; ecce panis filiorum; * o Jesu, qui nos pascis, tu nos hic tuere.

Benedictus Dominus in donis suis; * et sanctus in omnibus operibus eius.

Beata es, virgo Maria, * quia iam perficiuntur ea, quae tibi Angelus Domini ore praecinuit facundo.

Egreditur iam virga virtutis Dei e radice Jesse, * et olentissimus flos de campo ascendit virginitatis tuae.

Et super eum Spiritus requiescit Domini; * spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis;

Spiritus scientiae et pietatis, * nos inde replens spiritu amoris et timoris Domini.

Judicabit in iustitia pauperes; * et pro mansuetis arguet terram in aequitate.

Ideo descendens a regalibus suis sedibus, * a cunctis desideratur populis, linguis, et nationibus;

Et adoratur magnum principium; * Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, cuius regni non erit finis.

Eia viri fratres prope est Dominus, immo nobiscum est, * omnes viae eius, scimus, veritas et iudicium sunt.

Et munere satiati eius, gustu laetamur; * et satiamur affectu.

Auxilium, Domine, supernae virtutis tuae impende nobis; * erigantur viribus et animo, qui in adventu confidunt tuo.

In virtute tua anima laetabitur nostra; * et in dulcedine nominis tui cor reficietur nostrum.

De sedibus tuis sapientiam infunde nobis; * per quam dulciter in omni illustremur veritate.

A carnalibus desideriis semper nos abstinendi gratiam concede; * et lumen tuum illuminans in nostris exoriatur cordibus.

Gloriam et honorem cantabimus tibi, * et in nomine gloriabimur tuo.

Ecce tu sanctorum sanctus inclinasti te ad me, * qui dignus non sum ut te respiciam;

Laudo te, Deus meus, et exalto te in aeternum, * despicio me, et tibi me subiicio in profundo abiectionis meae.

Res est humanum vincens intellectum, * quod tu, Deus et homo, sub modica panis et vini specie, integer contineris!

Quod tam in tota Hostia, quam in fragmento, * integer, et sine consumptione a sumente manducaris et consummaris!

Tantum adoremus cernui Sacramentum; * verum hoc factum est praeter omnium rerum ordinem.

Tua Domine animosa fides in nobis firmet, * quod nec videre nec intelligere possumus.

Dixisti, et facta sunt omnia, nec intelligimus quomodo facta sint, et de nihilo; * nec quomodo continua existant creatione.

Nos compegisti, * et super opera constituisti manuum tuarum;

Numne noscimus, quomodo nos creasti? * vel quomodo nunc ad vitam vivimus?

Sed mirum et magnum, super omne opus, opus est redemptionis; * taliter factum est quomodo voluisti.

Et quotidie opus magnum istud Incarnationis renovas; * et mortis tuae super altare.

Numquam in creatione, et in omnium rerum conservatione, * charitatem minues tuam.

Nec etiam propitiatio tua erga nos * in aeternum minuetur.

Laetifica nunc Domine servorum tuorum animam, quatenus cum Zacheo nobis benedicas, * computans nos inter filios Abrahae.

Proni sensus nostri sunt ad malum ab adolescentia nostra, * et nisi nobis succurrat sancta ista sacramentalis Communio, mox in peiora incidemus;

Animarum suavis refectio paupertatem impingua nostram cum tota humanitate et divinitate tua; * et fragilitatem robora.

Magnum suscepimus Dominum, * dilectum induximus hospitem; fidelem suscepimus amicum.

In te speciosum amplectimur sponsum; * prae omnibus, et super desiderabilia omnia amandum;

Ne derelinquas nos Domine Deus noster; * amplius ne discesseris a nobis;

Nos tibi animas commendamus nostras, * gentes et omnes terrae populos.

Beatae Luciae, virginis et martyris tuae, nos Domine gaudemus hodie festivitate; * fac etiam devotionis erudiamur affectu.

Animam tuam, invicta Lucia, in potentia possedisti; proprio tuo inimicum vicisti sanguine; * et vitae coronam accepisti.

O beata Christi sponsa, immobilis fuisti columna; * nunc cum Angelis coruscans impetra nobis, ut pie fidelitatis tuae erudiamur affectu.

Nobis clarissima coeli concilia lumina; * ut blandis nos semper aspiciant oculis;

O beata, mentes plusquam oculi caligant nostrae, * impetra, ut in tenebris vitae huius virtutes nobis lucescant aeternae.

Per te multis civitas Syracusana de-

coratur miraculis * a sponso tuo Jesu Christo.

Et nos ita triumpho gaudentes tuo constantiam possimus in fide sectari; * et sanguine testari etiam.

Non pompa saecli ludicra
Ac falsa mundi gaudia,
Christo dicatam virginem
Dolis minisque pellicit.

Tormenta quamvis horrida
Furens tyrannus ingerat,
Miram puellae dimovet
Vis nulla fortitudinem.

Frustra minatur saeviens
Tortoris iram vel necem,
Vel inferendum lacteo
Candori acerbum dedecus.

Christus loquenti suggerit
Coelestis artes eloquii,
Regina et ipsa virginum
Vires et arma sufficit.

Sic morte functam corporis
Geminaque palma nobilem
Suscepit illa virginem,
Christus coronat martyrem.

Domine Jesu, fac ut videamus; * lucem da nobis qua nihil pretiosius;

Lucem mentis supra modum et cordis, * qua reliqua tua cernimus munera.

Christe lux vera, bonitas et vita,
Gaudium mundi, pietas immensa,
Qui nos a morte roseo salvasti
Sanguine tuo,

Respice clemens solio de sancto
Vultu sereno; lampades illustra
Lumine tuo, tenebras depelle
Pectore nostro.

Crimina laxa pietate multa,
Ablue sordes, vincula disrumpe,
Parce peccatis; releva iacentes
Dextera tua.

Te sine, tetro mergimur profundo,
Labimur altam sceleris in undam;
Brachio tuo trahimur ad clara
Sidera coeli.

Procul a nobis perfidus absistat
Satan, a tuis viribus confractus;
Sanctus assistat Spiritus, a tua
Sede demissus.

Insere tuum petimus amorem
Mentibus nostris; fidei refunde
Lumen aeternum; charitatis auge
Dilectionem.

Sit Deo nostro decus et potestas;
Sit salus perpes, sit honor perennis,
Qui poli summa residet in arce
Trinus et unus. Amen.

CANTICUM CXLV.

FESTUM S. THOMAE APOSTOLI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1.)

O felix anima, quae nullo mortis metu afflicta, * de incorruptione laetatur perpetuae gloriae!

O solemnitas gloriosa omnium ad te redeuntium * e tristi peregrinationis huius labore.

Terreno soluti carcere, liberi coelum petunt, * et quem diu quaesiverunt, semperque amarunt, facie cernunt ad faciem.

Hymnicinis sociati agminibus, mellifiua amaenitatis cantica * ad laudem gloriae tuae, Rex Christe, festive concinunt.

Non malum ibi, neque malitia, non rixa vel causatio, * non dedecus, violentia, calumnia, discordia, vel ulla peccati illecebra;

Sed secura quies, pax summa, plena charitas, * aeterna cum Patre iubilatio, cum Filio, et Spiritu sancto.

Ab uberiate inebriantur domus Dei; * et de torrente potantur voluptatis tuae.

Rex Christe, bone Deus, merear et ego canticum summae Trinitati promere, * vel dulcibus canticis Sion in terra exilii illam laudare.

Gloria tibi, Trinitas aequalis, una Deitas, * ante omnia saecula, et nunc, et in perpetuum.

Laus et gloria perennis Deo Patri, et Filio; * simul sancto Paraclyto in saeculorum saecula.

Gloria laudis resonet in ore omnium Patri, genitaeque Proli; * Spiritui sancto pariter resultet voce perenni.

Veritas est Pater; veritas est Filius; veritas Spiritus sanctus; * vivifica nos o beata Trinitas;

Charitas est Pater, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus; * vivifica nos, o beata Trinitas;

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; * vivifica nos, o beata Trinitas.

Æterne cunctorum Pater, aeterne Fili par Patri, et par utrique Spiritus, * soli tibi sit gloria.

Redde te mihi, Deus meus: * en canens amo te, tuo flagrans desiderio;

Et, si parum est, amplius amare cupiam * et validius canam.

Assumat os meum angelorum voces; * pennas ut aquila induat, volet, nec volatu deficiat.

Assumat, et angelorum concutiat alas; * volitet mens mea, cor meum, anima mea, et perveniat usque ad decorem domus tuae.

Quemadmodum passer quaerens invenit locum sibi ubi nidificet; * et turtur ubi pullos ponat suos,

Ita quaesivi et inveni ego altare tuum, Domine virtutum, * diligo illud ut nidum pacis, te amplectens super ipsum, Rex meus, et Deus meus.

Quare ergo aliquoties tristis es anima mea? * et quare conturbas me?

Nonne sacris, licet indigna, adsistis altaribus, * nonne illud Deo offers sacrificium, quod Filius suus, sacerdos in aeternum instituit?

Mortis Sacrificium, et Passionis eius; * pro quotidiana fragilitatis tuae reparatione?

Spera in Deo, quoniam confitebor ei, * salutare vultus mei, et Deus meus.

Panem vitae, qui me reficit, et in me non deficit, * quotidie comedo, et integer manet.

Amo te, dulcis Christe, lumen aeternum, et indeficiens; * et magis, atque magis amare cupio et reamare.

Confirma, o bone Jesu, mentem meam in tanta praesentiae tuae dulcedine; * ignis, qui semper luces, amor, qui semper ardes;

Auxilium Christianorum, refugium peccatorum; * consolatrix afflictorum, o Maria, tuum mihi Filium tuis praebe manibus.

Tu ad nos exules liberandos ipsum in utero suscepisti; * et per te, antiquo expugnato hoste, aperta fidelibus sunt regna coelorum.

Te beatorum martyrum coetus; * et gloriosus confessorum exercitus;

Te sanctarum virginum amabile agmen, * virginitatis et sanctitatis praedicant exemplum.

Te universus orbis et tota coelestis curia reginam honorant, * et immaculatam concelebrant.

Rege nos, o piissima in hoc mundo, et populum fac salvum tuum; * ut haereditatis filii tui participes in aeternum simus.

Miserere nostri, et magna filii tui pietas super nos fiat, * quemadmodum vere confidimus.

POSTCOMMUNIO

Christus, deliciae nostrae, * pignus est pacis et vitae.

Resplende mihi; accende me; * vas illumina et santifica tuum.

Malitia animam evacua meam, et profanis amoribus; * gratia imple; et plenam conserva.

Cum Diabolus insidiatur mihi, ad altare fugio tuum, * et a me recedit.

Nil amarum, nil triste, * quod hac Christi non sapetur medicina.

In adversitatibus, in periculis, in concupiscentiae ardoribus ad illius confugio vulnera; * et securus dormio et requiesco.

Quoties Crucifixum osculor, toties timorem pello; et in eius compungor amore.

Ergo, domine Deus meus, amodo bi-

bam sanguinis tui potum; * amodo cibum manducem carnis tuae.

Vivam de te, per te de hac vadam valle * ad te perveniam, et in te pausem et requiescam.

Intercedente etiam pro me beato Thoma apostolo tuo, * propitiatus circa me dona custodi tua.

Credo, Domine, sed credam firmius; * et tui apostoli confessione, hostiam dum laudis tibi offero, fidem adauge meam.

Spes concrescat et charitas, * ad vitam nunquam finiendae pacis.

O turris David clypeos atque arma ministrans; * et quae, castra velut, tartara terrificas,

Aspice quam saevis oculis, atque ore cruento, * horrificisque lupus dentibus immineat.

Per te generi primaeva salus,
Per te rideat iustitia et pax,
Tu soleris mundi lacrymas;
Tu spem exulibus miserata fove,

Gaudia non mundi, non annos Virgo serenos quaerimus, * aut saecli in lumine delicias;

Dulcius est arcto sectari in tramite Christum, * atque tuo, dulcis mater, amore frui.

Uni Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

CANTICUM CXLVI.

VIGILIA NATIVITATIS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut supra, pag. 1).

Aperi, Domine, os meum, * ad annuntiandam magnificentiam gloriae tuae.

Vis angelici luminis, natum celebrans ex Virgine Christum, * pervigiles pastorum oculos implet.

Inveniunt tectum pannis, praesepe iacenti cuna erat; * exultant alacres, et numen adorant.

Gloria in Altissimis Deo; * et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Tecum principium in die virtutis tuae; * in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum pater te genuit.

Gratia inde Salvatoris Dei in Betlheem apparuit Judae; * semetipsum dedit pro nobis, ab incunabulis ipsis, ut ab omnibus nos redimeret iniquitatibus nostris.

Homo genitus idem refulsit et Deus; * singulari nativitate humanam reparans fragilitatem.

Cantemus Domino canticum novum, * mirabilia fecit liberans, quod sub peccati iugo vetus habebat servitus.

Thronus tuus Deus in saeculum saeculi; * virga aequitatis virga regni tui.

Dies sanctificationis illucet nobis, * gentes venite, hodie lux magna descendit super terram.

Psallite et adorate eum; * adorent simul nobiscum omnes angeli Dei.

Divinae generationis nobis ipse est auctor; * unxit eum Dominus oleo exultationis prae participibus suis.

Exulta satis filia Sion; ecce rex tuus venit tibi iustus et Salvator; * ipse largitur tibi spem immortalitatis.

Splendeat etiam nobis miseris decora sua facies; * et vox tua suavis et exhilarans.

Dominus infans noster, tu lux nostra es ortiva; * et tu occidua lux, et altissimum refugium nostrum.

Non accedat ad nos malum; * nec amplius tenebrae uostro appropinquent tabernaculo.

Pax multa est diligentibus lucem veritatis tuae; * non est illis scandalum, sive offendiculum ad cadendum, quia semitas tu illuminas illorum.

Jesu infans amabilis, * tu salus et Redemptio;

Tu spes et fortitudo, decus es et glo-

ria nostra, * et nos populus tuus, et oves pascuae tuae.

Memento rerum conditor
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis,
Nascendo formam sumpseris.

Testatur hoc praesens dies,
Currens per anni circulum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, aequora,
Hunc omne quod coelo subest,
Salutis auctorem novae
Novo salutat cantico.

Maria, mater gratiae,
Dulcis parens clementiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Quis mihi te dabit in cibum et potum, * te ipsum ubera sugentem matris meae Mariae?

Beatissima et iucundissima mater istud age; * porrige mihi in sacra communione tuis manibus lactantem puerum tuum.

Nomen tuum cunctas illustrat ecclesias; * quia tibi fecit magna, qui potens est.

Jubilemus, viri fratres, Dominae nostrae; serviamus ei; * et in laetitia gratias agamus, et iucunditate.

Quibus auxiliatur ipsa, refrigerium est pacis: * et a quibus vultum avertit suum, non est eis spes ad salutem amplius.

POSTCOMMUNIO.

Parvus Dominus et amabilis nimis, * in arctissimo et sanctissimo matris tuae utero.

Ibique captivus pro me detineris; ibi de me cogitans, me amans, pro me orans, cor mihi tradis tuum, * cor reposcis meum, et me patri reconcilias.

Nos quoque, qui sancto tuo redempti sanguine sumus; * ob diem natalis tui novum concinimus hymnum.

Æqualis Deo Patri, carnis trophaeo accingere; * infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti.

Praesepe iam fulget tuum, lumenque iam spirat novum, * quod nulla nox interpolet, fideque iuge luceat.

Uti sponsus de thalamo, egressus honestissima virginis matris clausula; * nos pius nunc protegas.

Illumina ideo pectora; tuoque amore concrema; * audito ut praeconio sint pulsa tandem lubrica.

Da tempus acceptabile, et poenitens cor tribue, * convertat ut benignitas, quos longa suffert pietas.

Judexque cum post aderis, rimari facta pectoris; * reddes vicem pro abditis, iustisve regnum dabis.

Non demum arctemur malis pro qualitate criminis, * sed cum beatis compotes simus perennes coelites.

Interim Jesu amor meus, * cur tamdiu inclusus hic delitescis?

Manifesta te ipsum in gremio Matris Mariae, ut osculer te osculo oris mei; * et prae abundantia laetitiae anima iiquescat mea;

Jam meam assumpsisti carnem; formasti tibi ocellulos, quibus me respicias, * et aures ut me patienter audias;

Pulchra accommodasti tibi labella, ut myrrham distiilent primam; * et linguam, sapientiae flumen, ut omnem doceant veritatem.

Jam etiam pedes formasti tibi; * ut pertransiens ministres nobis.

Manus ut opituleris nobis; brachia ut nos amplectaris; * et cor suavissimum et pectus, ut amore ardeas nostri.

Corpusculum ergo tibi Deus aptasti venustulum, bellulum, * generosum, beneficentissimum;

Manifesta ergo nunc te ipsum in sinu Matris Mariae; * ubera sugentem lacte de coelo plena.

Memineris Jesu pie, qui a rubro impievisti sanguine venas; * ut in ara crucis pro nostra tandem immolares salute.

Amabilis es in sinu Patris; * amabilis in sinu Matris;

In sinu Patris me ad imaginem creasti tuam, * in sinu Matris ad meam te finxisti imaginem.

In Patris sinu me de nihilo educis, et formas me; * Coelum Terramque pro me creas.

In sinu Matris te ipsum facis hominem propter me; * me reformas, et ex inferno educis.

Amabilior in sinu Patris, an in sinu es Matris? * audacter dicam ego quod mihi videtur.

In sinu Patris *magnus* Dominus es, et *laudabilis* nimis; * *parvus* Dominus et nimis *amabilis* es tu in sinu Matris, quia caro et sanguis, cibus et potus factus es noster.

Rorate Coeli desuper, et nubes pluant iustum; * aperiatur terra, et germinet expectationem gentium.

Interim, audi nos, Domina Maria, * nam amabilis infans tuus nihil matri negans suae te honorat,

Largo humecto meum flumine vultum, * Virgo mater praestans ei ubera exora illum ut ad me respiciat.

Ipse patriarcharum rex et confessorum lumen; fortitudo ipse martyrum, et apostolorum magister, * in mundum prodit ad nos salvandum.

Opus compleat nobiscum suum, * per sanctam ac venerabilem NATIVITATEM suam.

Te redemptus laudet orbis,
Grata servans munera;
O salutis sempiternae
Dux et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente et Spiritu.

CANTICUM CXLVII.

NATIVITAS D. N. JESU CHRISTI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Qui sedes super Cherubim, qui regis Israel, mane apparuisti coram Ephraim, Beniamin, et Manasse, * noctis custodientes vigilias super gregem suum.

Nos etiam in expectatione vigilantes tua, * gloriam vidimus Maiestatis tuae in Templo sancto tuo.

Praedestinatus Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, Salvator factus es nobis, * in semine David secundum carnem.

Nos coelesti pascimur mysterio tuo velut oves, * et potamur;

Regna super nos Salvator mundi; * et omnium nostrum dele iniquitates.

Cantemus, viri fratres, laetitiae canticum domino Infanti * nostris; finibus terrae annuntiemus apparitionem eius.

Benedictus dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.

Salutem ex inimicis nostris; * et de manu omnium, qui pedibus laqueos ponebant nostris.

Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perennis omnium;
Intende quas fundunt preces,
Tui per orbem servuli.

Veni Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis;
Miretur omne saeculum,
Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine,
Sed mystico Spiramine
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
Claustra pudoris permanent,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.

Procedit de thalamo suo,
Pudoris aula regia
Geminae Gigas substantiae
Alacris ut currat viam.

Egressio eius a Patre,
Regressus eius ad Patrem,
Excursus usque ad Inferos,
Recursus ad sedem Dei.

Hunc coelum, hunc terra, hunc mare
Hunc omne quod est in eis,
Auctorem adventus tui
Laudans exaltet cantico.

Memento salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Nascendo formam sumpseris.

Magnificat anima nostra Jesum, * etiam propter te. tota pulchra Maria, ancilla et Domini nostri mater;

Quia tuam respiciens humilitatem,* obumbravit te virtus Spiritus sancti.

Genuisti puerpera Regem, cui nomen aeternum; * gaudium matris habens cum virginitatis honore.

Ecce enim, illo ex tempore* beatam te omnes praedicant generationes;

Quia sine labe concepta, * sine etiam virginitatis laesione Infantem concepisti, et peperisti tuum.

Ita lucidissima mater, * iustitiae Sol ab utero processit tuo.

Magnam te fecit, qui pius est; * qui potens, qui sanctus et misericors.

Non antea similis visa est; * nec postea aetas habere sequentem.

Et pueri tui miseratio in te et per te nobis impensa, * protenditur a progenie in progenies omnibus timentibus eum.

Est filius tuus, qui mortificat et vivificat; * qui ad calamitates deducit, et ad mortem prope indeque reducit.

Ipse egenum de pulvere suscitat; * pauperes ditat et divites facit pauperes.

Sublevat miseros et humiles; * et quemlibet humiliat.

Ita eum, qui bonis prius plenus erat, ad egestatem redigit,* et eum qui antea famelicus erat saturat.

Ipse vires superat, et arma infringit fortium; * et infirmos robore accingit.

Sui sunt mundi cardines; * et super eos firmamentum erexit.

Sanctorum suorum custodit pedes, * et impios ad silentium, confusionem, et infelicitatem adducit.

Deus noster, Verbum Patris, ab aeterno ante Luciferum genitus; * Deus de Deo, constitutus est Rex super omnem creaturam.

Salve Regina, Creatoris mater, * vita, dulcedo, et omnis creaturae spes.

Justus est et misericors filius tuus, * promissis non privabit bonis eos, qui sperantes in eo ad te confugiunt.

Ipse nunc in altari degit sancto suo, * sicut degit olim in virginali sinu tuo.

Et quia foeno iacere pertulit, et praesepe non abhorruit, * ita, ut confidimus, non abhorrebit, te apprecante, vivus et verus in pectus advenire nostrum.

POSTCOMMUNIO

Qui amat per seipsum fiducialiter accedit ad Jesum; * familiariter loquitur ei;

Et nihil timens nihil haesitans* de eius semper altari satiatur.

In Jesu meditatur; delectatur in eo;* pascitur in eo, et impinguatur.

Amor Spem dat; Spes ausum; ausus gustum; * gustus autem renovat famem.

Dormientem amor expergisci facit; actus coercet leves; * lubricae aetatis motus, et carnales comprimit affectus.

Emundat mores, et reformat; tenebrosa illuminat; inflammat frigida; * aspera mitigat, et innovat Spiritum.

Anima amans votis fertur, trahitur desideriis, * merita dissimulat;

Maiestati oculos claudit, cor aperit voluptati; * ponitque se in salutari Dei, et agit in eo.

Ita amatissimus infans esurientes iustitiam bonis implet suis; * et eos qui Filii sunt promissionis suscipit, misericordiae recordatus suae.

Exultet adhuc, et amplissime spiritus noster in Jesu salutari nostro, * et ei hymnum canat.

Beatus auctor saeculi
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans,
Non perderet quos condidit.

Castae parentis viscera
Coelestis intrat gratia;
Venter puellae baiulat
Secreta quae non noverat.

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei,
Intacta nesciens virum
Concepit alvo Filium.

Concepit revera, * et revera in sinu virginis Mariae caro fuit mea;

Parturivit revera,* et revera in nato Puerulo frater extitit meus.

In praesentatione Parvuli huius ad Templum * hostia extitit mea;

In Epiphania * magister sese manifestavit mihi, et Deus meus.

In ara crucis cibus et potus meus;* salus et portio in aeternum mea.

Exultet et adhuc spiritus noster in Maria, matre Pueri, * et nostra mater Cantico exultet novo.

Laudate sponsam regiam, * laudate cultu Virginem;

Laudate Matrem carmine; * laudate Reginam sono.

Laudate mundi lampadem;* laudate pacis auspicem;

Laudate Sanctorum Ducem, * laudate spem mortalium;

Laudate saeculi Praesidem, * laudate fulmen tartari;

Laudate Coelorum decus, * laudate lucem Patriae.

Benedicite omnia opera Domini gloriosae Dominae nostrae; * benedicite Coeli Domino, et Dominae nostrae.

Benedicta sis, o summa Dei parens,* quae odore praeis illia cuncta;

Odor tuus sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; * qui bona perfundit in benedicentes te, omnia irrigans eorum intima.

Benedicamus Deum, qui te creavit et exaltavit; * benedictus qui te genuit et quae te peperit et lactavit.

Benedicti qui conceptum et partum venerantur tuum, * et qui devote tibi famulantur et assidue.

Audi immaculata nostra; * tuas ad populum tuum inclina aures;

Virgo virginum audi, Dei purissima filia, sponsa et Mater; * vultum tuum deprecabuntur omnes familiae gentium;

Adduc nos in incomprehensibilem laetitiam partus tui; * quia memores sumus exaltationis tuae.

Donum transcendens omnem plenitudinem; * divinae charitatis memoriale praecipuum.

Jesu Mariae fili * per admirabilem nativitatem tuam salva nos omnes.

Beata charitas in arce Siderum
Potens locare nos per omne saeculum;
Patrique Filioque summa gloria,
Tibique laus perennis, alme Spiritus.

CANTICUM CXLVIII.

FESTUM S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Primitiae Martyrum, Stephane Levita; * sanguine testificatus es nativitatem Regis martyrum.

Spiritu sancto plenus oculos in apertum intendisti coelum; * Coeli gloriam aspexisti, et filium hominis stantem ad dexteram virtutis Dei.

Orantem flexis genibus te lapidaverunt, et tu clamasti: * « Domine ne » statuas illis hoc peccatum, et suscipe Spiritum meum. ».

Primus init Stephanus mercedem sanguine, imbre afflictus lapidum; * Christum tamen ille inter saxa rogat, ne lapidatio fraudi sit hostibus.

O primae pietas miranda coronae! * inde toties terra arida et vepribus scatens de tuorum martyrum, pie Jesu, fuit salubriter irrigata venis!

Inclyte Stephane intercessor etiam

pro me existe, munera in tua solemnitate domino deferente Jesu; * quia in tuo confido patrocinio.

Quae est vita nostra corruptibliis ista? * convallis lacrymarum, seminarium malorum;

Vita, quam divitiae extollunt; paupertas deiicit; * iuventus inflammat, senectus incurvat!

Quam ioci solvunt, honores tumefaciunt; * dolores extenuant, ardores exsiccant!

Quam escae inflant, ieiunia macerant, * sollicitudo coarctat, securitas hebetat.

Cui furibunda succedit mors, * vanis imponens finem gaudiis.

Heu! me miserum considerans peccata mea iudicium pertimesco, supplicia horreo tartari, * et vitae formido exitum.

Quo sim clausurus fine moeroribus plenam vitam hanc, prorsus ignoro; * tamen scio, quod mea opera a Dei iustitia distincte pensantur.

Utinam mortuus fuissem, vel nunc confractus moriar, ustulatus, lapidatus; * et cruci pro Christi nomine affixus.

Sed dignus non sum pro eo mori, qui pro me mortuus est; * et ne pati quidem pro eo.

Nihilominus quia Jesus pater est meus * ipse consolaturus me solita pietate adest;

Et dum anxiam moestamque meam reficit in exilio mentem, * suspiria et ploratus compescet;

Et absterget ab oculis lacrymas meis; * me ad patriam adducens laetantium omnium.

Et ne me tormentum tangat mortis, praeparat modo in conspectu meo opiparam mensam; * et multiplicis apparatus.

Et usque ad areolas aromatum animam sublevat meam; * eam collocans secus dulcium aquarum rivulos.

Ubi regnum, cui nulla temporum successio subest, * vacans fine, carens morte;

Ubi incorrupta fulgebit caro, cumulata donis, * et iucunditatis stola ipsius Regis manibus induta.

Quis mihi pennas dabit sicut columbae, et volabo * et requiescam?

Requiescere anheio, domine mi Jesu, sub umbra alarum tuarum, * sedens, et fructus misericordiae tuae comedens, gutturi dulces meo.

Exultabo in te tandem, quoniam me dextera suscipiet tua, * et confitebor tibi.

In aeternum laudes cum Angelis, * domine mi et Deus misericors cantabo tuas.

POSTCOMMUNIO.

O Jesu, quanta est dulcedo convivii tui, * et quam dulce est mihi aliquoties fundere lacrymas!

Et suavissime plorans discupio * pedes cum pia Magdalena irrigare tuos;

Pugna fortiter pro me, et malas expugna bestias, * illecebrosas dico concupiscentias quibus, quamvis senex, aliquoties excrucior.

Impera, et furenti dic Aquiloni: * « ne « flaveris. »

Spumantibus maris tempestatibus impera ut quiescant, * et me totum in tranquillo ac tuto sistere facias.

Largire cunctis servulis, quos mundat unda sanguinis, * nescire lapsus criminum, nec ferre mortis taedium.

Orent pro me sancti omnes; * et mecum proretam laudent navis meae.

Ducem et pastorem exaltent meum, * in hymnis et canticis.

Tecum anima habes mea ipsum Deum, quem totus a te auferre mundus non potest; * et quid times?

Mane in secreto, absconde te in foraminibus petrae, * et tuo fruere secura Jesu.

Benedicam tibi in omni tempore, * et in omni adversitate;

Te exaltem sanctum in operibus et iustum in omnibus viis tuis, * prope es semper invocantibus te.

Allevat ipse omnes qui corruunt; * erigit elisos et vacillantes sustentat.

Ideo oculi filiorum in te sperant; * et tu das escam secundum exigentiam illorum, in tempore opportuno.

Aperis manum tuam, * et imples omne animal benedictione.

Confiteantur tibi omnia opera tua; * et sancti cultores tui benedicant tibi.

O sancte Levita vitam Salvatori reddidisti, * quam ipse dignatus est pro nobis tradere nocentibus.

O Stephane, idest *coronale*, dignus fuisti ut tali vocareris nomine, * qui primus meruisti corona coronari martyrii.

O ter beate Stephane
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis;
Nos solve vinclis saeculi,
Dono superni numinis.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedeo; * poma Gratiae Dei dulcissima gutture iam gusto meo.

Vivit in me Deus, vivam et ego in eo, qui me fecit et redemit, * quia filius sum Ancillae suae.

Omnia dedit tibi Pater, Virgo Maria, per Filium suum, * et omnia pari modo ad nostram salutem tibi possibilia sunt.

Ut semper de comitatu simus tuo, a cunctis peccandi occasionibus* nos omnes, virgo potens, libera.

Domini est terra et plenitudo eius; * et tu sanctissima mater cum illo regnas in aeternum.

Gloriam induisti et decorem, * omni lapide amicta pretioso.

Splendor Solis super caput tuum, * lunaris claritas sub pedibus lucet tuis;

Sidera micantia sedile ornant tuum, * astra te glorificant iugiter matutina.

Virgo potens es tu, et ab omnibus laudata et adorata; * quia mater potentiae es, et sapientiae Dei.

Memento nostri in beneplacito tuo * et dignos nos fac nomen glorificare tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.

Gratia te genuit, te gratia fonte replevit, * te nobis fontem gratia Patris habet.

Virgo parens aestus saecli aversata furentis, * nos quoque praecipites ne patiare trahi.

Sed contra insanos mundi de vortice fluctus; * impulsae tu sis anchora firma ratis.

Martyribusque pares vires da, virgo, colendis, * inclyta multiplicis munere martyrii.

Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis Spiritus;
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

CANTICUM CII.

DOMINICA. F. S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc. (ut sup. pag. 1.)

In omnem terram sonus exivit eorum; * et in fines orbis terrae verba eorum.

Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, * quoniam digni habiti sunt pro Christi nomine contumeliam pati.

En quomodo nomen praedicabant tuum, et amorem omnibus gentibus, * tribubus, populis, et linguis!

Amabat te Petrus; * et tu tam amanter illi ecclesiam dilectissimam Sponsam commendabas tuam.

Andreas exosculans crucem te amabat, et clamans: * « o bona Crux deco-
» rem ex membris suscepisti Christi
» domini mei. »

» Crux dico desiderata, sollicite a-
» mata, sine intermissione quaesita, *
» et aliquando cupienti praeparata. »

» Accipe me et me meo redde ma-

» gistro; * ut per te me recipiat, qui per te me redemit. »

Amabat te Philippus: omnes ad te arcessens exclamabat : * « Domine ostende nobis Patrem, et sufficit. »

Thomas et te amabat digitum immergens in plagam lateris tui;* et cor, sedem immensi amoris tui, pertingens tuum.

Et quomodo amabat te Paulus, vas illud electionis et amoris tui ! * plenae sunt amoris amantissimi Pauli quatuordecim divinae epistolae.

Quid et Joannes ? * discipulus ille, quem tu summopere diligens sinebas super pectus recumbere tuum?

Qui privilegio praecipui amoris* prae caeteris tam altius honorari meruit !

Ipsi Mariam commendasti * et ipsum illi in filium dedisti !

Sancte Evangelista fluenta sapientiae de ipso sacro Domini pectoris potasti fonte; * et tibi revelata sunt coelestia secreta.

» Filioli, aiebat, diligite alterutrum; * praeceptum Domini est, et » si solum fiat, sufficit. »

Testimonium perhibuisti de his quae scimus; * et scimus, quia verum est testimonium tuum, ex quo Ecclesia illustratur Christi.

Laudasti Agnum caede cruentatum;* qui evolvere librum, et septem potuit signacula pandere solus.

Ne sinas me a charitate separari Christi propter mundi gaudia* vel per tribulationem angustiari, famem, nuditatem, persecutionem et gladium.

Quae mihi fuerunt lucra, detrimenta propter Christum fac ut arbitrer; * quo ipsum lucrifaciam;

Sancte apostole deprecare pro nobis filium et matrem, ut ipsis opere actionis servientes in mercede tandem gaudeamus contemplationis.

Vivit et vivat in me Christus; * et qui Christum Jesum non amat anathema sit.

POSTCOMMUNIO

Amore, pie Jesu, vulneratus es propter scelera nostra; * tuta et firma est nobis requies in tuis vulneribus.

Ex istis revelatur magnum pietatis tuae Sacramentum; * et viscera miserationum tuarum, in quibus unaquaque die visitas nos omnes oriens ex alto.

Per ista tui corporis foramina cordis patet arcanum, * mira affluit dulcedo, gratiae plenitudo, et virtutum perfectio.

Gustem adhuc quam dulcis sis Domine diligentibus te, * et mandata custodientibus tua.

Amabilis es Domine universis, misericors et miserator; * patiens, et in suavitate abundans.

Vulnera tua portum in pectore tuo salutis indicant; * per foramina corporis amorem detegis cordis tui.

Quamquam indigna anima desiderat mea cordi desponsare tuo; * haec Dei coniunctio est optabilis cum suo figmento.

Christe bone Jesu, amore et cordis tui desiderio onus carnalium deponam desideriorum; * et terrenarum concupiscentiarum.

Dominetur carni anima ; animae ratio; rationi gratia tua ; * exterius et interius tuae me voluntati subdam.

Dissolve vincula, quibus constrictus teneor; * cordi tuo solummodo inhaeream et intendam.

Deus, lumen cordium cor quaerentium tuum; * vita et virtus te amantium, fac me vitam vivere tuam.

Mater Dei mei carissima et inviolata mater* Mater amabilis et admirabilis amem te, sicut Joannes amabat;

Ave virgo quam Salvator, rerum testis et scrutator, * quem non fallit nox erroris, laudat intus atque foris,

Ave Virgo plena bonis; gratiarum dives donis, * opus Dei digitorum, grande nimis et decorum.

Ave virgo post et ante, to pro me semper pugnante, * vertat hostis mihi dorsum; et conversus stet retrorsum.

Benedicti sunt oculi tui splendidissimi;* quos digneris misericorditer convertere super nos.

Benedictum sit lumen faciei tuae et splendor; * benedicta sit gratia vultus tui.

Benedicta sil misericordia manuum tuarum; * et benedicta lactis tui emanatio ad Jesum.

Adorent te nobiscum familiae gentium; * sicut te incessanter omnes sancti glorificant et angelorum ordines.

Sit tibi, Fili, decus atque virtus,
Qui tuo mundum redimis cruore,
Quique, cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas.

CANTICUM CL. ET POSTREMUM.

(*Deo gratias*)

F. SS. INNOCENTIUM MARTYRUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, etc. (ut supra, pag. 1.)

Cantemus, viri fratres, Canticum jubilationis ante solium Dei, * sonitus innocentis laetitiae nostrae resonet in excelsis.

Renovamini spiritu mentis vestrae * cantabimus et Deo exultabimus nostro.

Impius innumeris infantum caedibus hostis perfurit Herodes, * dum Christum quaerit in illis.

Fumant lacteolo parvorum sanguine cunae ; * vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

Salvete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine,
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis ludite.

Amor mundi allicit et decipit ; * peccati amor polluit, et ad mortem adducit.

Dei purus amor mentem illuminat, conscientiam reficit ; * et animam vivificat.

Spiritus Diaboli gaudium operatur iniquitatis ; * et mundi spiritus vanitatis gaudium.

Mala gaudia occasionem habent culpae ; * et saepius noxia et criminosa sunt.

Iniquitatis gaudium surdum facit hominem ; * vanitatis gaudium reddit rimosum.

Spiritus Dei intrans cordis tabernaculum malos ejicit spiritus;* mundat et expellit amorem peccati, et saeculi.

Effundam ergo in virtute Dei mei amaritudinem mundi et peccati; * ut de spiritu accipiam ipsius, qui spiritus amoris est, innocentiae et munditiae.

Amor et gaudium Spiritus sancti corda informet nostra, * mentesque dirigat.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, * et nostra corda;

Da virtutis meritum; da salutis exitum, * da perenne gaudium.

Salve Joseph Mariae sponse, * et putative Jesu Christi Pater;

Tu natum stringis Dominum; * ad exteras Ægypti profugum tu sequeris plagas, Solymis quaeris, et invenis, * miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia consecrat, * palmamque emeritos gloria suscipit.

Tu vivens superis par frueris Deo;* mira sorte beatior.

O Maria prudentissima Virgo,* Josephi castissima Sponsa, Jesu mater clementissima;

Qui te invenit, gratiam invenit; * et in gaudio Spiritus sancti haurit salutem a Domino.

Ora pro nobis, pro nobis intercede ad Dominum; * et animam praepara nostram ad sacramentaliter suscipiendum eum.

Pande animis Virgo coelestia lumina, * veram ut laudem affectent, quae sonat ore Dei.

Sint tibi, sint iuges nostro de pectore grates, * hymnum tuo semper nomini labia canant.

Coelestis orbem cum statuit Pater
Firmans profundi numine consilii
Coelumque terramque, ut creatis
Prima daret rudimenta rebus;

Lapsu priusquam concideret genus,
Tantis luendo flebile cladibus,
Te legit, insueto futuram
Munere consilii ministram,

Quae damna divo germine solveres,
Et restitui quod generis decus
Maiore cultu post ruinam,
Et miserum repararet orbem.

Et quae paterni nescia criminis,
Ceu Luna, puro lumine fulgeres,
Et colla calcares Colubri
Sidereo redimita serto,

Post te volentes currimus, et tua
Laeti sub umbra vivimus, ac piam
Matrem sequentes sempiterni
Participes erimus triumphi.

POSTCOMMUNIO.

Anima Christi sanctifica me; Corpus Christi salva me, * aqua lateris Christi lava me; Sanguis Christi inebria me.

Illumina lucernam tuam, Deus meus, tenebras discute meas; * en posuisti me inter convivas mensae tuae.

Domine Jesu dum ego frequenter ad istam tuam accedo mensam, * immemor ne sim reverentiae, qua tibi angelici adsistunt Spiritus.

Placuit tibi vehementer in Zacheo amor et alacritas; * sed non minus tibi Centurionis placuit veneratio et timor.

Ille gaudens te in domo suscepit sua; * hic vero propriam confitens indignitatem non audebat te sub tectum recipere suum.

Infunde quaeso et coniunge in me utrumque affectum; * ut timore et amore coram maiestate tua sistere valeam.

Firma credo fide, te coelum et terram * maiestate replere tua.

Et ipsum eumdem esse, quem Angeli tremebundi adorant; * et quem vere et realiter in hoc latitantem suscepi Sacramento.

Quis ad ista accedere auderet mysteria, si tu non vocasses? * etiam coeli coram te mundi non sunt; quanto minus ego putredinis homo, et vermium esca?

Dicam ergo « exi a me, recede Domine, * quia peccator sum? »

Apage, non dicam, * procidam potius ante pedes Patris mei, et ita fidenter dicam et orabo:

» Munda tu, Domine, hospitium hoc tuum; * cibo refectus, potuque coelesti tuo, tuus factus sum ego ».

» Zelus honoris tui nominis convertat me antequam moriar ;* in sancto tuo nomine salva me. »

» Pater meus, et mater mea me a iuventute dereliquit mea; * tu autem assumpsisti, ad perficiendas in me iustificationes tuas. »

» Exquisivit te facies mea; * derelictus et pauper faciem quaesivi tuam, et semper quaero ».

» Tu salus mea iucundissima suscipies me in finem secundum eloquium tuum; * et in aeternum vivam. »

Omnes sancti innocentes, qui non loquendo, sed moriendo palmam assecuti estis, * pro me intercedite, et pro omnium salute.

Vox in Rama audita est ploratus et ululatus; * Rachel filios deflet suos; et noluit solamen, quia non sunt.

Audit tyrannus anxius
Adesse Regum Principem,
Qui nomen Israël regat
Teneatque David regiam;

Exclamat amens nuncio;
» Successor instat! pellimur:
» Satelles i. ferrum rape,
» Perfunde cunas sanguine.

» Mas omnis infans occidat,
» Scrutare nutricum sinus,
» Inter materna ubera
» Ensem cruentet pusio.

» Suspecta per Bethlem mihi
» Puerperarum est omnium
» Fraus, ne qua furtim subtrahat
» Prolem virilis indolis. »

Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animasque rimatur novas.

Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quo plaga descendat patens,
Juguloque maior pugio est.

O barbarum spectaculum!
Inlisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosque per vulnus venit.

Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus
Singultat unda et halitus!

Sanguis eorum effusus fuit, sicut aqua in circuitu Hierusalem; * nunc benedicunt, et in aeternum nomen nati laudabunt Jesu.

Empti fuerunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno; * et sequuntur eum quocumque vadit.

In ore eorum non inventum est mendacium; * et ante thronum Dei sunt sine macula.

Omnia opera tua Domine benedicunt tibi; * innocentium multitudo te collaudat, et in Coelo glorificat.

Omnes sancti et sanctae Dei* intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

Dilexistis et sectati estis misericordiam et iudicium, * et Deus elegit vos in haereditatem sibi.

Adiuvent nos, Domine, eorum merita, quos propria impediunt scelera; * excusat intercessio, accusat quos actio.

Et qui eis coelestis tribuisti triumphi palmam, * nobis peccatorum non deneges veniam.

CONCLUSIO PSALTERII HUIUS

Tibi, Domine Deus noster, matri tuae, et tuis confessi sumus sanctis in cythara et psalterio, in hymnis et canticis; * ne derelinquas nos.

Accipe nos, resuscita nos et post te trahe nos ;* ut tui simus imitatione et dilectione, qui creatione et redemptione tuos esse confitemur.

Intende Domino; placare Domine;* succurre Domine;

Nobiscum age secundum misericordiarum tuarum promissiones; * et pietatis viscera beatae Mariae virginis, omniumque sanctorum.

Avete solitudinis, claustrique milites incolae; * qui pertulistis impetus furentis tartari.

Gemmas et auri pondera, et dignitatum culmina calcastis; * et foedissima quae mundus affert gaudia.

Vobis olera cibaria fuere, vel legumina; * potumque lympha praebuit, humusque dura lectulum.

Vixistis inter aspides; saevisque cum draconibus; * portenta nec teterrima vos terruere Daemonum.

Rebus procul mortalibus mens advolabat fervida; * Divumque iuncta coetui haerebat inter sidera.

Nunc Trinitatis gloria aeterna circumplectitur; * vos aura matris virginis mulcet piis favoniis.

O inclytae propagines, in valle moesta debiles, vestros iuvate fratres, * nos roborate surculos.

Memento nostri, Domine;
In mortali isto corpore,
Qui defensor es animae,
Adesto nobis, Domine.

Praesta Pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum sancto Spiritu.

Tu, qui Ananiam, Azariam, et Misael illaesos in flammis custodisti, * tu me

peccatorum nexibus absolutum velut de voragine eripe ignis.

Criminum flammas, operumque superans carnalium incendia * hymnum cum hebraeis pueris, et Innocentibus fure tibi reddam.

Respice in me, domine Deus meus Adonai, de sede sancta maiestatis tuae;* et miserere mei.

Exurge, quare obdormis? * exaudi me Domine;

Quare faciem avertis tuam * et tribulationis obliviscĕris meae?

Exurge benedicte Domine, adiuva me; * quia lassus et senescens prope pereo.

Tu qui nihil etiam petentibus largiter donas, exurge; et ob retributionem peccatis ignosce meis, * pauper enim sum ego et contemptus.

Omnis consumationis vidi finem; * sed latum mandatum tuum novi nimis.

Da ergo mihi misericordiae spem per dilectum filium tuum; * da terrena despicere, et coelestia sitire.

Donum largire fidei, charitatis, et prudentiae, * virtutem temperantiae, fortitudinis, et iustitiae;

Cordis da munditiem, humilitatem, abnegationem, animarum zelum; * et paupertatis amorem.

Da exercitium divinae praesentiae;* perfectamque pacem, ad conformitatem Divinae voluntatis tuae.

Et assidue concede ad vitae usque ultimum anhelitum * istud tuum canere PSALTERIUM EUCHARISTICUM.

Regina cordium protege me, morte adventante;* protege mater pulchrae dilectionis et laetitiae me usque ad vitae finem te semper canentem.

Desiderabiles sunt laudes tuae in tempore peregrinationis meae, super omni melodia; * refectio tua dulcis auribus meis.

Vernaculus tuus sum ego;* et minimus in familia servorum tuorum et filiorum.

In tua tamen permanens sancta custodia, * nunquam a charitate Dei declinare potero.

Tu supra coeli solium
Ad dexteram Dei resides;
Juxta proprium Filium
Coeli Regina praesides;
Confirmans mentes desides
Praestans eis auxilium;
Et tuis servis provides
Impetrando auxilium.

Ave porta libertatis, aula summa Trinitatis, * et solemne Dei Templum, salus nobis et exemplum;

Ave Virgo flos regalis; mulierum nulla talis; * verba cuius sunt argentum, lingua laudis instrumentum.

Ave virgo cui plaudo; tibi canto, te collaudo, * bona mihi tribuentem, serva Virgo et te canentem.

Omnis tibi sit gloria
Pater, Verbum, Paraclyte;
Inseparata Trinitas,
Qui condidistis omnia.

Amen. Amen. Amen.

Finis Psalterii Eucharistici.

CORONA

QUINQUAGINTA CANTICORUM

HOC EST SACRATISSIMI ROSARII

INTEGRUM JUCUNDUM AC SUAVISSIMUM BENIGNITATIS

SERTUM

ET PERPETUA MYSTERIORUM PARAPHRASIS VITAE PASSIONIS ET GLORIAE

D. N. JESU CHRISTI

DEIPARAEQUE VIRGINIS MARIAE

PSALTERII EUCHARISTICI

FILIOLUS DULCIS AC DECORUS

AD ARCENDAS SEDITIONES TRUCULENTASQUE SAECULI HUIUS CALAMITATES ELUCUBRATUS

Secunda editio

Ab auctore naviter emendata; ad psallendum rite accommodata et variatim aucta anno 1848, et 49, dum inimici homines atrociter premebant supra dorsum electae Jesu Christi vineae.

Agnus occisus ab origine mundi.
APOCAL. Cap. XIII, 8.

Mulier amicta Sole; et Luna sub pedibus eius; et in capite eius CORONA *stellarum duodecim.*
IBID. Cap. X, 1.

Inter feroces hostium,
Artesque, tela, et impetus,
Servaret ut nos liberos,
Pater misertus gratiae;

Mariae potenti in nomine
Scutum salutis praebuit.
Mortale quo tutum genus
Adversa cuncta pelleret.

Haec spes, fidesque protegat
Divae Parentis servulos,
Tantisque nos periculis
Mariam vocantes eruat.

Psalterii Euch. Cant, CXVII.
F. B. Mariae V. SS. Rosarii.

BENEVOLO LECTORI

ANIMADVERSIONES

I. **H**uius *dulcis ac decori Filioli* series et subiectum satis tibi, benevole lector, inspecto titulo, perspicua evadent. Id porro tantum superest, ut ingenue fatear, plurimum, quamquam partim immutatum, ex meo *Psalterio Eucharistico* increvisse. Idcirco, quasi Patris effigiem praeseferentem inspicies.

Sed, quia admodum in aere pauper extabat proprio, tantulum etiam ex *Psalterio Mariano* divi Bonaventurae; ex *Rosarum areolis* R.P. Francisci Acerbi, inclytae Soc. Jesu; et ex *Ephemeridibus Marianis* claris. Archiep. Caroli Maielli, quae nuper fuerunt typis demandatae, auctum comperies et ditatum.

II. Oportet insuper, tibi patefaciam, sacram ac suavissimam denuo imitandam me duxisse psalmodiam, quia in caeteris sacrarum Scripturarum libris nobiscum loquitur Dominus docens, monens, alliciens, fovens, et obiurgans; in psalmis vero, quid nos vicissim ei respondere oporteat divinissime tradit et imbuit. Ita enim magnus Basilius de *divinitate Psalterii* disserens rythmum validissime commendat psalmodicum, utpote devotionem, tutamen ab infensis animarum nostrarum hostibus; pacem etiam, ac sanctam gignentem laetitiam; et salutarem cumulatissime tristitiam. « Psalmus (inquit Pontifex ille sanctissimus, *Praef. in Psal.*) est profligandis daemonibus ac depellendis quoddam amuletum; Angelorum tutelae conciliator; scutum securitatis inter nocturnos timores; divinorum requies laborum.... Vox est Ecclesiae: hic dies festos illustriores reddit, ac perfundit gaudia, cum tristitiam alioquin operatur, sed quae secundum Deum est; e corde enim lapideo ciet lacrymas. »

III. Praeterea valde interest, ingruente saeculi huius magna tempestate, e teterrimo rebellionis spiritu excitata, ad anchoram confugere sacratissimi Rosarii, ipsumque evulgare et canere. Execranda evanescere sycophantium deliramenta iamdiu comperimus, et superbientium superbiam, dum crebro JESUS et MARIAE invocabatur nomen: contremiscere ipsum quoque Satanam; et cum suis satellitum catervis in aeternum mortis chaos immane diffugere!

Congruenter ergo, b. L., profitemur donum esse sacratissimum *Rosarium*, et pacem MARIAE in electis Dei; et misericordias in millia cogere in iis qui *Mysteria* vitae et passionis D. N. JESU CHRISTI, eiusdemque Deiparae virginis pie meditantur, et canunt.


Omnes ideo simul mecum laetanter hanc in gaudio salutis, de fontibus Salvatoris, securam hauriant pacem, in latitudinem spiritualis consolationis, et bonae temporalis spei; ut sive vivimus, sive decidimus, semper in medio sit omnium nostrum magnus sanctus Israel.

IV. Postremo, quaecumque invenies errata, velim ne voluntatis, vel diligentiae tribuas defectui. Quantum quisque vitet, et sedulo vigilet, numquam satis cautum mendis erit, quae parum humana cavet natura, et incuria fundit.

Hoc brevi, amice lector, te monitum volebam. Vale.

Neapoli idibus Maiis an. 1849.

HYACINTHUS ANDRIANI



In ore dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Psalt. Euch. Cant. LIV.

JESU ET MARIÆ

EX INTIMO CORDIS MEI AFFECTU

DEDICATIO

ET CANTICORUM OMNIUM

ANADEMA

CANTICUM PRIMUM

(septemplex)

I.



XALTABO te, Deus Rex meus, * et nomini benedicam sancto tuo, Jesu, in saeculum saeculi.

Omnes Coelites, medii, et inferi, * nomen mecum genuflexi laudabant tuum.

Splendor paternae gloriae, de Luce lucem proferens; * Fidei auctor et consummator;

Nostrae peregrinationis *Viaticum*; * et expectationis nostrae praemium;

Jesu, fons ardentissimae charitatis; pax et reconciliatio nostra; portus in die tribulationis, * animarum nostrarum requies opulenta;

Pater futuri saeculi; * et futurae gloriae pignus;

Immutabilis potentia, infinita sapientia, * inexhausta bonitas;

Suprema dignitas; legalis divinitas, * aeterna veritas;

Ex Maria semper virgine in tempore conceptus; * in eius sinu ab Angelis a Pastoribus, et a Regibus adoratus;

Modico pastus lacte; * et in incunabulis ipsis ab impiis ad necem quaesitus;

Pro mundi redemptione a matre sua in Templo praesentatus; * et in Simeonis receptus ulnas.

Ibique, cum duodecim esset annorum, a matre amissus, * et post triduum repertus disputans cum legis Doctoribus;

Sanguine pro gelido manans sudore; nexibus in horto vinctus; * cruentis immaniter verberibus caesus, asperisque coronatus vepribus;

Ter trabali crucis pondere obrutus; * et demum crucis in patibulo immolatus.

Disciplina pacis nostrae super te, Jesu; quae ultra peccati nostri mensuram fuit; et ultra plagarum modum! * revera copiosa est apud te Redemptio:

Et sanguinis tui aspersione secundum Gloriae tuae divitias, * Patri nos reconciliias tuo.

Adiuva nune me, Domine, ad operandum bonum; * in nomine metam et colligam tuo;

Ut quando veneris ad poscendam villicationis meae rationem, servus tibi

appaream fidelis, * manipulos portans meos.

Nobis sancti spiritus grafia sit data.
De qua Virgo virginum fuit obumbrata,
Cum per Sanctum Angelum fuit salutata
Verbum caro factum est, virgo foecun-
(data.

De Maria Virgine Christus fuit natus:
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus;
Resurgens discipulis fuit demonstratus:
Et ipsis cernentibus in coelis est elevatus.

Suum sanctum Spiritum Deus delegavit.
In die Pentecostes Apostolos confortavit,
Et de linguis igneis ipsos inflammavit,
Relinquere orphanos eos denegavit.

Septiformem gratiam tunc acceptaverunt
Quare idiomata cuncta cognoverunt.
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem catholicam tunc praedicave-
(runt.

Mundi Pater o Creator,
Jesu clemens o Salvator,
Spiritus o conservator,
Deus regens omnia.

Mundo precor corde praesta,
Nostra pro salute gesta
Recolam mysteria

Matris tuae me clientem.
Ac materno confidentem
Fove patrocinio.

Domine Deus formidabilis imperium Filio dedisti tuo; * et cornu Christi tui in aeternum sublimasti.

Corona Sapientiae timor Domini, *replens nos pace, et salutis fructu.

Jesu, Deus pacis et amator noster; merces nostra; pauperum consolatio, et sanctorum omnium *Corona*, * in te gloria sit nostra, cordisque iubilatio per cuncta semper saecula.

2. Et ex te, virgo mater pulchripara, totius naturae eminentia; inventrix gratiae et amoris, * universa recolligimus florum genera, et *Serta* virtutum;

Et ita *trinam* adoramus, * et canimus capitis tui *Coronam*.

Flos vernalis; flos lilii vere redolens; flos Patriarcharum; * flos de spinis spina carens; flos florum;

Et flos, gloria humani spineti, et auxilii * vere diceris, o Maria.

Tibi dilectus tuus; * et ad eum conversio dulcissima tua.

In te, virgo Parens, habuit Sapientia sedem; * virgineoque tuo sinu condidit illa domum.

Virga Jesse floruisti, virga produxit florem; * et super hunc florem almus requievit Spiritus.

Apparuisti Jesu in carne, * ut electos adscriberes tuos in aeternitate.

Et tamen non fuit tibi locus in diversorio; * in propria venisti, et tui te non receperunt!

Peperisti virgo mater Primogenitum tuum, vocatum Jesum; * et eum in Praesepe reclinasti.

Cum ipso fugiens ingressa es Ægyptum; * et Ægypti simulacra commota sunt a facie eius.

Rosa veris speciosa; Rosa coelicae **amoenitatis; Paradisus Rosarum**; fragrans **pratum deliciarum**; * gratiae *Sertum* et **honoris vere diceris, o Maria.**

Sicut Spina Rosam genuit Judaea Mariam; * ut vitium virtus operiret, gratia culpam.

Aurora Solis praevia; coelestium Sacramentorum aula; * totius mundi propitiationis Iris;

Arca sancta et indissolubilis; * mons non incisus, non confractus, non divisus vere diceris, o Maria:

Dulcium aquarum vena, et veniae; fons conclusus, pellucidissimus, auri-fluus; perennis fluentis vivifici lactis et nectaris * vere diceris, o Maria.

Sacratissimi Rosarii benigna donatrix, et gratiarum *Rosarium* * vere diceris, o Maria.

Gementium levamen, fortitudo peregrinantium, et *Corona* morientium * vere diceris, o Maria.

Nomen tuum favus est, * distillans in captivorum labiis;

Et tua *Corona* Dominico data * mel est et lac sub lingua eorum.

3. Assumat nunc os meum angelorum melodiam; pennas induat, ut Aquila, cor meum; * volet, nec volatu deficiat;

Lucis concutiat alas; et decorem domus Dei mens attingat mea; * ut gloriae matris eius, populis et gentibus annuntiem magnificentiam.

Salve, virgo dolens; * quia corpus Filii tui de cruce depositum tuo excepisti complexu.

Totum laceratum, anxium, et sitibundum; totum coactum, oppressum in cruce, et spinis terebratum, * mortuum tandem genibus sustinuisti tuis.

Quem Joseph ab Arimathaea sindone involvit munda; * et posuit in monumento suo novo, exciso de petra.

O Creator omnium, Deus factus homo, * morte exemptus turpissima!

Et quem coeli capere non poterant, * in arcto clausus per triduum remansisti sepulchro!

Plorans plorasti, mater nostra, in nocte; * et lacrymae doloris tui in maxillis tuis.

Jacuisti Mater velut in arctissimo moeroris tumulo, * donec filius in sepulchro iacuit tuus.

Tam pie plorabas, tam amare dolebas, * ut tui ploratus multos etiam invitos ad piam commiserationem excitarent, et in amarum converterent luctum.

Propter te, et filium dilectum tuum, iucundum sumam hodie Psalterium et tympanum; * Citharam etiam et tubam, indesinenter Rosaria canens tua.

4. Iterum salve Thearchicae lucis castum habitaculum; * et continue gratiarum germinans *Rosarium*;

Salve in tui animi exultatione * filium revisens, Erebo subacto, sponte redivivum;

Resurrectionis eius immensa gaudia * prior omnium digne divina collegisti mater.

Salve rutilo in coenaculo nitore coruscans; * et ardoribus plenissima;

Requievit super te, * et te Spiritus replevit Domini;

Spiritus Sapientiae et Intellectus; Spiritus Consilii et Fortitudinis; Spiritus Scientiae et Pietatis; * ut tu super omnes dona effunderes sua.

Aspiret per te nobis divini Flaminis aura; * ut coecas turbidi pelagi huius praetervehamus syrtes, latentesque scopulos.

Undique percutimur iustis, pia virgo, flagellis; * sed nec supplicium corda superba domat.

Tu sensus humiles lugentibus insere, * tuque placato pacem Numine redde precor.

Spiritus Paraclytus fuit appellatus,
Donum Dei, charitas, fons vivificatus,
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.

Dexterae Dei digitus, virtus spiritalis
Nos defendat, eruat ab omnibus malis,
Ut nobis non noceat daemon infernalis,
Protegat et nutriat, foveatque sub alis.

5. Salve in Ascensione Filii; et salve in lectulo iacens, tanquam placido correpta sopore; * ut ad summum scandas coelestem thronum.

Et salve super agmina Sanctorum, * ad dexteram Jesu Christi post triduum rediviva translata.

Solare iubar in nitidum est tibi concessum [illegible]ctum; * tergeminaque *Corona* bis seno sidere texta caput cingit decorum tuum.

Custodi nos, Domina, ut pupillam oculi; * sub umbra maiestatis tuae protege nos.

Advocata nostra es tu; * quam idcirco Deus de hoc transtulit saeculo, ut pro nobis apud eum intercedere digneris.

Et pro iis etiam qui ex hoc transierunt mundo; * ut ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire eos impetres.

6. Ave Regina cordium, charitatis thesaure, *Corona* iucunditatis et benignitatis tuae, morte adventante, protege me, * ad ultimum anhelitum usque te semper canentem.

Jucundus homo, qui laudibus non satiatur tuis, * et ab enumeratione virtutum et gratiarum non fatigatur tuarum.

In capite tuo est duodecim stellarum *Corona*; * Concha margaritifera es tu, idest gratiarum omnium et virtutum congeries, et Sapientiae cumulus.

Sidus inclytum illustrans omne saeculum; * per quod dies et tempora assumunt vitae lumina.

Benedicta sit virginitas et munditia tua; tua sit foecunditas benedicta;* ex qua Filia, Sponsa, et Dei Mater effecta es, o Maria.

Magnam te fecit qui potens est; * ideoque vere dignum et iustum est, ut tribus et generationes *Rosaria* canentes tua beatissimam te praedicent in saecula.

Tolle igitur grave pondus dulcium canticorum meorum, ex aurifluo procedant ore tuo; * quia beneplacitum es Dei erga nos puerulos tuos.

Ideoque has offerens tibi o benedicta virtutibus contextas tuis *Rosariorum coronas*; * obsequium ne dedignare filiale meum.

7. Rosa decens, Rosa munda, Rosa recens sine spina; * Rosa florens et foecunda ; Rosa gratiae divina;

Facta coelorum Regina, non est nec erit secunda tibi, o reis medicina; * meis coeptis obsecunda.

Ave virgo flos regalis , mulierum nulla talis ; * verba cuius sunt argentum, lingua laudis instrumentum.

Ave Sponsa ruga carens; * da intacta Dei parens, laus tua cum dulcore meo semper sit in ore.

Ave mater , cui plaudo ; tibi canto, te collaudo; * bona mihi tribuentem , serva mater et te canentem.

Venite gentes, carpite ex his *Rosas mysteriis*; * et pulchri amoris inclytae matri *Coronas* nectite.

Quisquis *Rosarum* congeminat decus,
Et mente, et ore, qui Mariam colit,
Christique vitam, et gesta gratis
Sensibus, atque animis adorat;

Te laudat una, te sequitur ducem,
Praeceptrix almi sedula quae offict
Tu perge conscriptas cohortes
Praesidio et meritis favere.

Deo Patri sit gloria; * qui, quos redemit Filius, et sanctus unxit Spiritus, nutrit, gubernat, sospitat.

Omni die dic Mariae, mea laudes anima; * eius festa, eius gesta , cole splendidissime.

Contemplare et mirare eius celsitudinem; * dic felicem genitricem , dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet; * hanc appella, ne procella vitiorum superet.

Quamvis sciam, quod Mariam nemo digne praedicet; * tamen vanus et insanus est qui eam reticet.

Haec amanda, et laudanda cunctis specialiter; * venerari et precari decet illam ingiter.

O cunctarum foeminarum decus atque gloria; * quam probatam et elatam scimus super omnia.

Clemens audi, tuae laudi quos intentos conspicis; * munda reos, et fac eos bonis dignos coelicis.

Virgo salve, per quam valvae Coeli patent miseris ; * quam non flexit, nec allexit fraus serpentis veteris.

Reparatrix, consolatrix desperantis animae ; * a pressura, quae ventura malis est, nos redime.

Pro me pete , ut quiete sempiterna perfruar; * ne tormentis comburentis stagni miser obruar.

Ut sim castus, et modestus, dulcis, blandus, sobrius; * pius rectus, circumspectus, simultatis nescius.

Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam; * contra crimen da munimen, et mentis constantiam.



HYACINTHUS ANDRIANI

Pietate et obsequio in Eucharistiam, Deiparamque insignis

ROSARIORUM SERTA

MYSTERIA GAUDIOSA

CANTICUM II.

HUIUS PRIMÆ CORONÆ

PRÆLUDIUM

Domine Deus, tu qui te invocantes a peccati captivitate liberas, vitam actionis nobis adde;* et contemplationis alas pro mercede adiice.

A corporeis nos libera cupiditatibus; * et tuae nos divinae fac vacare sapientiae;

Illumina ideo pectora, tuoque amore concrema, * ut caduca deserens Coeli voluptas impleat.

Ubique nos, Domine, te tota diligentes mente et anima, * novum dilectionis nostrae *Rosarium* gloriae cantabimus tuae.

Jesus *Corona* coelitum; Maria Coeli gaudium; * Deo fruentes Angeli nostris adsistent precibus.

Domine Deus, tibi Sancti; tibi humiles corde; * tibi Spiritus et iustorum animae multis modis gloriam referunt et honorem.

Tibi cunctae Angelorum cohortes et ordines, suppliciter adorantes *sanctus* sine fine concinunt; * *sanctus, sanctus* et praedicant.

Canori illi coelestium virtutum populi faciem semper videntes tuam, * semper ardenter te amant, laudant et glorificant.

O sancta Trinitas, * una in Deitatis substantia, trina in Personis.

Pater ingenite; Fili de Patre unigenite; * Spiritus sancte de utroque procedens, et in utroque permanens;

Genitor, genite, regenerans; * charitas, gratia, communicatio;

Felices, qui Mariam Patris Filiam; Spiritus sancti Sponsam, * et Verbi incarnati Matrem iucundissime laudantes canere possunt.

Profitemur unitatem
Veneramur Trinitatem
Pari reverentia;

Tres personas asserentes,
Personali differentes
A se differentia.

Haec dicuntur relative,
Cum sint unum substantive,
Non tria principia.

Sive dicas tres, vel tria;
Simplex tamen est usia
Non triplex essentia.

Simplex esse, simplex posse,
Simplex velle, simplex nosse,
Cuncta sunt simplicia.

Non unius quam duarum,
Sive trium personarum,
Minor efficacia.

Pater, Verbum, sacrum Flamen
Deus unus; sed hi tamen
Habent quaedam propria.

Una virtus, unum numen,
Unus splendor, unum lumen,
Cuncta sunt hic paria.

Patri natus est aequalis,
Nec hoc tollit personalis
Amborum distinctio.

Patri compar, Filioque:
Spiritalis ab utroque
Procedit connexio.

Non humana ratione
Capi possunt hae personae,
Nec harum discretio.

Non hic ordo temporalis,
Non hic situs aut localis
Rerum circumscriptio.

Nil in Deo praeter Deum,
Nulla causa praeter eum,
Qui causat causalia.

Digne loqui de personis
Vim transcendit rationis,
Superat ingenia.

Quid sit gigni, quid processus,
Nescit homo, licet gressus
Tentet per sublimia.

Quisquis credit non festinet;
Et a via non declinet
Abiens per devia,

Servet fidem, formet mores,
Nec deflectat ad errores;
Credat quod Ecclesia.

Ut in una iam moramur,
Sic in una moriamur
Fidei constantia.

Trinae sit laus Unitati,
Sit et simplae Trinitati
Coaeterna gloria.

Laudabo te interim o Maria cum Elisabeth cognata tua, quando ad tuam exultans salutationem exclamavit dicens; * *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus.*

Beatissimam noctem laudabo illam, blanduli puerüli tui natalem, et cum multitudine coelestis militiae canam; * *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Laudebo te cum Simeone, qui ipsum in ulnas excipiens suas, tibi mater Domini prophetavit mei; * *Positus est hic in signum, cui contradicetur; et tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius*

Viri fratres, Sanguis Christi nos salvat, fugans scelera, culpas lavans, * et lapsis innocentiam redintegrans;

Moestis laetitiam afferens; odia evellens; concordiam parans; * et imperia curvans.

In hac spe, mente iucunda iubilent fideles; et *Rosarium* canentibus vocibus aether consonet suis;

Quam ad spem eos servat et ad vitam; * quia, ubi misericordiarum infinitus est numerus, oportet etiam miserationum infinitus adsit thesaurus.

Quidni et mihi vermiculo, sed magnae creationis tuae portioni, * ore, corde, perque dies, perque noctes, laudes liceat canere tuas?

Deus meus, vita mea, fortitudo et glorificatio mea, * dignare me laudare te.

Sed quomodo pulchra in ore peccatoris laudatio evadet? * vel quantum in labiis accepta pollutis?

Excelse animarum sanctificator, meam totam posside animam; * ut eam tuus absorbeat amor.

De visibilibus ad invisibilia transeat; * de temporalibus ad aeterna!

Transeat * et in voce exultationis et confessionis mirabilia laudet redemtionis tuae *Mysteria.*

Tene cor meum manu tua; * quia sine te ad altiora non rapitur.

Illuc, Domine salutis et pacis meae auctor, festino, * ubi summa regnat laetitia, et iugis rutilat tranquillitas.

Tu, Angele mi tutelaris, qui primus tentanti rebelli constanter restitisti Angelo, * aliquid fortitudinis et pacis nunc mihi de victoria praesta tua.

O nimium beatus, si ipse ego ante corporis resolutionem huius coelicolarum meruero audire tripudia; * mensque simul attexere pacis voces et iubilationis.

Laudet te interim Deus meus cor meum pro mentis viribus; * et lingua

dulcissima supernorum civium Cantica canat;

Et anima carnis vinculis pressa speret in regione vivorum, sola tua clementia Paradiso reddita tuo, * aliquando aeternis frui canticis.

In hac spe, dum eorum in mente magnam revolvo visionem, *Rosarium* labiorum meorum acceptabile coram te erit; * et in odorem ascendet suavitatis.

Anima laetare mea, diversis licet modis et exilibus, Dei laudes concinam ego; * unum idemque est laudis sacrificium.

Unum est, quod in Coelis ac in Terra sanctae ac individuae persolvitur Trinitati; * et Jesu Christi humanitati.

Et veluti sonitus epulantium, aut festivitatem simul celebrantium, * beatissimae etiam annuntiatae virginis Mariae integritati laudes exolvuntur.

Ave pulchriorum amorum, mater laudum dignissima; * super agmina Sanctorum adsis mihi laudatissima.

Labis paternae nescia,
Induta solis lumine
Serto recincta siderum
Lunamque plantis proteris.

Mirante coelorum agmine,
Merces opesque gratiae,
Regina lecta iam Patri
Vitae sacras primordia.

Non te vetusti parvulam
Afflavit aura criminis,
Sed lucis ante exordia
Astris refulges clarior.

Tantus decebat Virginem
Matrem futuram Numinis
Candor, nitorque gratiae,
Quem nullus aequaret dies.

Absterge, si quidquid valent
Submissa vota supplicis,
Sordes vetustas et novas,
Quae nostra foedant pectora.

Ave virgo tu quietum fac frementis mundi fretum; * Jesus navi soporatus, a te surgat excitatus.

Jam beatam omnes te praedicant generationes; * et miseratio eius in te, et per te a progenie diffunditur in progenies timentibus eum.

Humilitatem tuam, et nostram respexit Dominus omnipotens miseriam; * dum virtus Altissimi obumbravit tibi.

Et nos magnam confitentes paupertatem nostram, * magnam invocamus et expectamus miserationem tuam.

Scapulis tuis caput obumbra nostrum; * et sub pennis sperabimus tuis.

Scuto circumda nos charitatis tuae; * et non timebimus a timore nocturno, a spectris incusso et a latronibus.

Neve a sagitta volante in die; vel a quovis terrisono negotio perambulante in tenebris; * aut ab incursu Daemonii aperte nocentis in meridiano.

Tu nostra es mater, quia tibi *Corona* data fuit *Rosariorum*; * ut nos quaerere moneres Filii tui gratiam, * et invenire doceres.

Tu quae pulsare ita nos belle et composite instruis; * et pulsantibus Coeli aperis ianuas, pro nobis Filium placa tuam.

Confirma nos pusillanimes; perditos restaura, et mortuos resuscita; * quia Spiritus sancti sponsa es, et Dei mater.

Omnes tu sensus, cogitatus nostros, et actus dirige, * in beneplacito dilecti Filii tui.

Mater Dei; digna digni; formosa pulchri; * munda incorrupti; excelsa Altissimi sponsa;

Totius veniae et pacis mater, te laudamus, tuum imploramus auxilium * ut tecum collaetemur in saecula.

Ave grandis et pusilla, Dei mater et ancilla, * tu Regina Reginarum; honor Coeli, laus terrarum.

Ave turris nostrae spei; esto virgo memor mei; * et canentem laudum harum salve mater gratiarum;

Gloria, et laudis exultatio in ore omnium Patri, genitaeque Proli; * et Spiritui sancto pariter resultet voce perenni.

CANTICUM III.

PRIMUM MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ANNUNTIATIO B. MARIÆ VIRG.

Ps. 1. Mysterii huius.

Pater, etc — Ave, etc — Gloria, etc.

Jesu, virgo salutata
Te concepit foecundata
Spiritus per gratiam.

O fac Deum ut tremendum,
Casto semper amplectendum,
Pectore concipiam.

Coelorum splendor, terrarum gloria virgo Maria; * ecce tuam expectat, qui iacet aeger, opem.

O benedicta super filias Hierusalem, quia virum omnino non novisti; * et virum tuo circumdedisti utero;

Et hoc Verbum factum est Angelo fidem praestando; * ob quam Heva virum perdidit, serpenti consentiendo.

O insignis gratia, et felix Mariae obedientia; * quae, dum humiliter credidit Nuntio, Coeli in se Opificem recepit, et naturam peccato reparavit perditam.

Liceat nunc nobis angelicam tibi voce referre salutationem; * atque tibi crebro canentes dicere: *Mater ave.*

Divina mater, triplici
Quae cincta serto, subditas
Terras, et astra, et inferos
Regis, gubernas, comprimis,

O te beatam Nuntio
Quae credidisti: lucidis
Illata coeli sedibus
Promissa cuncta possides.

Te nostra spectant lumina,
Te vota nostra, te preces,
Patrona dulcis, invocant,
Tantaque fidunt Praeside.

Tu de supernis arcibus,
Ad nos benigna respice;
Audi rogantes, gloriam
Qui matris hymnis concinunt.

Ne nos gementes deseras,
O firma spes mortalium;
Sit laetus et nobis dies
Tuo celebris gaudio.

Domine Deus, quem in corde confitemur nostro; * et cuius Filium adoramus de virgine conceptum, Fidem, Spemque confirma, et Charitatem.

Beati qui audiunt, et verba Sapientiae Filii servant tui; * et qui vestigia filiae sequuntur tuae, et matris nostrae Mariae.

Salve munimen fidelium; * maledictionum dissolutio; spesque universorum.

Salve agna, Agni Dei genitrix, * totius mundi peccata tollentis.

Miserere nostri; et tuis torporem nostrum excita stimulis * et ut concaleat accendo in nobis charitatis ignem.

Pater noster, qui es in Coelis, iudicium Filio dedisti tuo; * et misericordiae officium matri donasti suae.

Quanto altior es et sanctior, o benedicta, * tanto clementior, tantoque erga poenitentes dulcior.

Viriliter agite, viri fratres; * et omnes vos, qui speratis, cor sublevate vestrum, quod suppetias Maria laturasit vobis.

Propitia et favens nostra est mater; * magnaque dulcedinis multitudo suae, quam detegit diligentibus se.

Nemo peccator perit, * cui Regina Sanctorum omnium et misericordiae, patrocinii suffragio praesto adstat.

Tu spem lapsis, o Maria; fractas tu erigis vires; * tu salus infirmorum, et desperatorum refugium.

Tu ianua es Coeli, et matutina stella; * tu illic perditas restauras aureolas.

Accipe Jesu Christi mater quascumque tenues, et tuis impares meritis, *Rosarii* habemus gratias; * nobisque antidotum reconcillationis reporta.

Accipe, quod offerimus *Coronae* munus; * et quam fideli reposcimus mente veniam dona et gratiam.

O fortissima protectio et auxilium nostrum, * ab ignorantia nos libera, et oblivionis socordia.

Avaritiam largitate fac vincamus; tepiditatem fervore; * et voluptatem ieiunio.

Per tuam doce nos obedientiam, superioribus semper obsequi; inferioribus subvenire; afflictis compati; * amicis consulere; parcere inimicis.

Introduc nos ad Filii tui tabernaculum; * qui nos laetificat, et tecum iuventutem renovat nostram.

Speramus in te Jesu pie, * qui es salutare lumen vultus nostri, et Deus noster.

Causam discerne nostram de gente non sancta, * quia es Deus Filius Mariae, et fortitudo nostra.

Per ipsam antiquae miserationis tuae, balsama vulneribus infunde nostris; * ut mundi a vipereo contagionis morsu pristinae restituamur integritati.

Emitte veritatem et lucem tuam; * ipsae nos ab aerumnis deducent; et ad sanctum adducent montem tuum.

Judica nos Deus; * quoniam in poenitentia ambulantes, matris nostrae patrocinio nusquam causa decidemus nostra.

Bone Deus, quo tua descendit humilitas! * quo pervenit charitas!

Quo processit pietas! quo excrevit benignitas! * advocatam nostrae deputans indignitati Filiam, sponsam, et Matrem tuam?

Erat patens coelestibus
Amicta solis lumine
Mulier, lunam pedibus
Supponens; cuius culmine
Capitis, pro tegmine,
Duodecim Sideribus
Sertum fulgebat, Numine
Suis plena visceribus.

Salve, Regina cordium; * salve mater pulchrae dilectionis, amoris, timoris, sanctae spei, et misericordiae.

Tua nobis *Corona* refocillatio sit in labore; * et memoria mirabilium tuorum consolatio in tribulatione.

Omnium virtutum tuarum *Sertum* salus est nostra iucundissima; * pone illud ut signaculum supra cor nostrum ad amandum, et super brachium nostrum ad operandum.

Esto nobis in domum refugii, et in locum munitum; * et usque in senium respice in auxilium nostrum.

In manus tuas, dulcis Maria, nostrum commendamus exitum; * ut ab ipsa per Filium tuum nos redimas morte.

Virgo valde decora, omnibus precibus Christum ora pro nobis petentibus, * quia ipse tuum esse tuiit.

Hauriat et nostrum de te sic gaudia pectus; * atque in te noster sic requiescat amor.

Salve Une in Trinitate Deus; * salve Una in Unitate Trinitas; in Trinitate Unitas.

CANTICUM IV.

Psal. 2. *Annuntiationis B. Mariae V.*

Christe, spes humani generis; * cuius lumen a longe quasi stellae radius oculos illuminat nostros;

Christe, refugium nostrum, dextera tua, navem clavo crucis tuae guberna nostram; * ne nos tempestas demergat aquarum.

Retrahe nos ab hoc tumultuante pelago, ne nos absorbeat profundum; * vix lacrymantibus oculis in littore coelestis Patriae te nos expectantem aspicimus.

Domine Jesu, fons amoris inexhauste, et amantium largissime remunerator, * cor ad amandum inflamma nostrum.

In mente est et in corde amare te, summe delectabilis;*et pretiosum summopere in ore est te confiteri.

Ex dilectione vitam vivit homo gratiae, opera multiplicat bona; * ut viventium possideat terram.

Dilectio sancta custodia legum est;* quia omnis sapientia timor Domini.

Audi oculorum lumen meorum, audi quae peto; * et da, ut me in eo quod peto exaudias.

Vota mea in medio cordis tui sunt; audi verba precesque meas; * et in conspectu Angelorum perpetua cantabo tibi *Rosariorum Serta.*

Tibi subiectum est cor meum;*unicuique iuxta opera reddis; patientiam et orationem non frustaberis meam.

Beati, viri fratres, qui impient desiderium suum de benignitate *Coronae* Jesu Christi, et matris eius; * non confundentur quando inimici loquentur eis in porta aeternitatis.

O Maria, in te gratia omnis viae et veritatis; * in te omnis vitae spes et virtutis, et gloriae *Corona.*

Archangelo nuntiante, Incarnationem Dei nostri in utero cognovimus tuo; * te intercedente, Incarnationis consequamur beneficia.

Justitia et pax in utero osculata sunt tuo, * propterea apud eum copiosa est Redemptio.

Ave primitia Communionis; * et coniunctionum omnium Dei cum suo figmento.

Ave Rosa coelicae amoenitatis; * et concha margaritifera;

O semper Ave, felix Regina polorum; * Aligerum coetus quam venerantur, Ave:

Salve promissae radix et ianua salutis; * Gratia qua veri luminis orta venit.

Gloria quam decorat, virgo pulcherrima gaude, * virgineosque super tam speciosa choros.

In te nostram reponimus spem, * ne excidamus a salute;

Auxilio destitutos nos ex omnibus salva periculis; * et adversariorum consilia dissipa.

Beati omnes, qui tuum invocant nomen, * quia in plenitudine Sanctorum detentio est tuo.

Qui in Domino sperant, et qui te Domina invocant, * fortitudinem immutant.

Amoris assumunt pennas, currunt, nec laborant; * ambulant usque ad salutis metam nec deficiunt.

Tota tuis Coeli pendet de nutibus aula; * laetaque virgineo subditur imperio.

Te matrem dominamque vocat, precibusque salutat; * laudibus atque tuis undique Terra sonat.

Te timet, ac pariter tua nomina Tartarus horret; * sic *triplicis Serti* iura suprema tenes.

In te sola spes omnis humani figitur generis; * per te solam destruitur Adae peccatum veteris;

Vitae portus es miseris; per te salus acquiritur; * nescit reatum sceleris qui te devote sequitur.

Viri fratres, Deus est qui operatur in nobis; * dat velle et posse, et pro bona efficere voluntate.

Spiritus sancti gratia infirmitatem adiuvat nostram; * nam quid oremus, sicut oportet, nescimus;

Et ipse Spiritus postulat pro nobis,* gemitibus inenarrabilibus.

Justorum semita, quasi lux splendens; * procedit et crescit usque ad perfectum meridiem.

Tu Deus bonus es, pius, sanctus; * et iustus;

Tu lux, medicina, via, vita; * veritas et gaudium.

Malus ego, et impius; * miser, aeger, et iniustus.

Tenebrae insuper, et error; vas foetidum, tristitia, cibus vermium; * et universa immunditia.

Tu scis, Domine, insipientiam meam; * delicta mea a te non sunt abscondita.

Omnes, quasi lutum, in manu tua

simus; * tu figulus meus figmentum novisti meum; nempe figmentum fragilius quam vasa quae rotatione finguntur.

Domine Deus cordis mei, si oblitus fuero tui in iuventute mea; * tu misericors et iustus senectam ne despicias meam.

Sitit anima mea ad te fontem vivum; * quando veniam, et ante faciem apparebo tuam?

Quando diem illam exultationis videbo et laetitiae, * in qua *Coronam* iucunditatis canam, et virtutis tuae in aeternum?

Caliginosis ex nunc oculis illucescat meis gloria sedis tuae; * per quam, Domine Deus meus, videam et vivam.

Domina Maria, meditatio sacratissimi *Rosarii* tui, omnia ossa iubilare facit mea; * et iuvenescere, ut Aquila, in cultu Filii tui.

Implevit domum Domini
Superni Regis gloria,
Suo sacratam nomini
Salomonis industria,
Dum de superna gratia,
Gabrielis afflamine,
Parentem, virgo Maria
Replet dicatam Numini.

Notat hic Dei Filium
Salomon, Rex pacificus,
Qui fecit thronum regium,
Ut hic artifex coelicus,
Et nuntius angelicus,
Praeparavit hospitium
Nostrae salutis mysticum,
Verum deferens gaudium.

Mitis es, annuntiata nostra; humilis et utilis; * puteus es viventium aquarum.

Pax, et reconciliatio nostra; * principium et omnium virtutum exemplar.

O Sanctorum *Corona* omnium, et Spirituum, * sanctissimi cordis tui delicias in medium cordis infunde nostri.

Te invocamus; te laudamus; te cernui adoramus, * o beata Trinitas, salus et honor noster.

CANTICUM V.

Psal. 3. Annuntiationis B. Mariae V.

Domine Jesu, Deus meus, factus sum ego sicut uter in pruina; et in moerore comprimor; * quando consolaberis me?

Ab omni via mala prohibe pedem meum; * ne a iudiciis declinem tuis.

Confige, velut clavo, casto timore tuo renes meos; * ne ad prava ferantur desideria.

Non dominetur super me omnis iniustitia; * et omnem odio habeam viam iniquam.

Misericordiae tuae multae sunt, Domine; * ideo salvum me fac, secundum miserationis tuae iudicium.

Bravium felicitatis nostrae; requies opulenta; et pacis pulchritudo; * magnus es tu, magnaque est merces tua, magna nimis.

Tu promissor, et gentium promissio; tu *coronator* et *Corona*; remunerator, et munus; * tu praemiator, et aeternae vitae praemium.

Plagas tibi ostendo meas, simulque ipsam, quae in utero te recepit suo; * et quae dulcissima suxisti ubera, lacte de coelo plena.

Collum matris tuae est sicut Davidica turris, * cum propugnaculis aedificata.

Aspice, Domine, mille ex ea in meam clypei pendent defensionem; * omnis armatura fortium.

Procidimus ante te, o Maria; * invocamus te, spes, thesaurus, et salus omnium sperantium in Domino.

Hymnus debetur pietati, granditatique tuae; * *Rosariumque* novum.

Verbo tuo, Domine, Coeli creati sunt et firmati; * Spiritu oris tui omnis virtus permanet, et ornatus eorum.

Tuus enim est dies, et tua est nox; * tu Auroram fabricatus es, et Solem.

Tu hominum finxisti singillatim corda; * et omnes cogitatus intelligis eorum et opera.

Ita Domine dixisti, et facta sunt; * ita mandasti, et creata sunt.

Ita etiam dixisti et mandasti ut beatissima Anna sterilitatis exueret moestitiam; * et laetam foecunditatis indueret vestem.

Congaudemus tecum, o electa foemina, * quae promissionis germen ex sterili peperisti ventre, hoc est promissi Redemptoris matrem.

Benedictus, qui foecunditatem sterilitati concessit tuae; * et felicissimum illud Virginis nobis donavit germen;

Ex qua Christus vitae flos exivit; * et cuius virginis Mariae gloriosus fuit ortus, *Annuntiatio* et conceptus sublimior mundo fuit.

In Paradiso posuit Deus Christum Filium suum; * custodem egregium voluit corpus eius.

Dum annuntiare placuit Redemptorem eximium, * nobis eum exhibuit.

O Stella Jacob fulgida; o Solis instar splendida; * Aurora qua nihil purius refulget inter sidera.

Stolis amictae candidis tibi catervae coelitum plaudunt; * sacraeque virgines laudes perennes concinunt;

Quin obsequentes offerunt ligustra et alba lilia; * candor sed horum vincitur candore casti pectoris.

Te virgo Coelum concinat; te Terra matrem sentiat; * te nostra semper pectora quaerant, adorent, invocent.

Nostra Angelorum laudibus abiecta Tellus adsonans * ad astra voces efferat, et virginis praeconia.

Filia Regum; Regis Regum mater; * et *Corona* Sanctorum omnium;

Flos de Spinis Spina carens, sed Flos humani gloria spineti, * memento mei, et omnium, qui sese meis commendarunt orationibus.

Salve gentis nostrae laetitia; * honorificentia populi nostri, et gloria Israel;

Annuntiationis tuae virtute ora concIude leonis, et dentes eius * et labia nos persequentium constringe.

Fulgeat super nos vultus tui splendor; * ut nostra semper munda apud Deum appareat conscientia.

Spiritum obtine nobis discernendi inter bonum et malum; * ut sensum habeamus pervigilem.

Remissionem omnium impetra peccatorum; * per quam propitius, in necessitatis tempore, sit nobis Deus, et angustiae.

Salvete, o flores virtutum, Anna mater et Maria, irrigationibus purificatae Spiritus sancti; * salvete, quia omni puritate lucidiores.

Vestris compescite suffragiis nostrorum tempestatem peccatorum; * et ab aestu passionum ad optatissimum tranquillitatis adducite portum.

Benedic anima mea Domino; * et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Tu es Deus omnipotens creator et custos; * omniumque in te sperantium protector.

Sine te nemo est tutus; nemo de afflictione liberatur; * nec in gaudium transfertur.

Tu solus magnalia faciens; * mirabilia et inscrutabilia, quorum non est numerus.

Gloriam Patri canticis; gloriam Christo Jesu; Paraclyto gloriam *Rosarii* concrepemus nostris; * qui Trinus, Unus Deus regnat ante saecula. Amen.

CANTICUM VI.

SECUNDUM MYSTERIUM GAUDIOSUM.

VISITATIO B. MARIAE V. AD ELISABETH COGNATAM

Psalmus 1. *mysterii huius.*

Pater, etc, Ave, etc; et Gloria, etc:

Jesu, Mater te gestabat
Dum per montes festinabat
Visitans Elisabeth.

O si mater Dei digna,
Juncta prole tam benigna
Me frequenter visitet!

In tempore, viri fratres, aerumnosae peregrinationis nostrae, * iucundum nobis est aliqua de dulcibus canere canticis Sion.

Venite et exultemus Domino, * Gentes, tribus, et populi; Deo iubilemus salutari nostro.

Ipse Rex Regum, et Dominus dominantium; * Verbo suo Coeli firmati sunt; et Spiritu oris eius virtus eorum.

Ipse peccata remittit et iustificat, * largitur ipse gratiam et gloriae *Coronam*.

Exultemus Mariae Dei nostri Matri, * data est ei omnis in coelo potestas et in terra.

Jam emensa vias, pedibus incedens teneris per ardua loca, saxosa et montana, * cognata ingreditur limina.

Ardua subsidant, Violas Vepreta Rosasque edant;* silvestres sternite flore vias.

Dum properat Judaeae inter montana, salutis nuncia, * Zachariae limina Virgo petit.

In cana Elisabeth uterø gerit ecce senecta; * sexta propinquanti est luna puerperio;

Cuius ad auditas promii nova gaudia voces infans, * vera salus qui venit ante diem:

Ac divo penitus repletur Numine mater. * maternisque sonat laudibus alma domus.

Haec sunt visentis pia munera Virginis, * atque adventus haec sunt dulcia dona sui.

Tanta potes Regina Poli, dum viscere curas, * quos tibi dilectos conciliavit amor.

Me quoque tam longo iactatum respice morbo, * sitque tuo haec mihi ore serena dies.

Consurgens virgo florida
Ex Israël prophetice.
Promissa virgo nitida
Diceris virga mystice;
Egrediens de radice
Jesse, potens et valida,
Florem profers mirifice,
Virgo, materque gravida,

Cor etiam visita nostrum, * in tempore visitationis tuae.

Tenebras discute; * et amore claritatis tuae, plenius animas, utpote in domo Elisabeth, perfunde nostras.

Penes te est, virgo, mundum fulcire labantem; * et miseros reparare hominum lapsus.

Venerande puer, ad vocem salutationis Mariae rumpe moras, * teque Matris eripe claustro.

Nemorosi prime cultor eremi te antra inaccessa vocant; * atque ad te silvarum incolam aspera venient prandia silvestris mellis;

Setosum tegmen membra vili teget amictu tua; * et iuvenilibus incedes per aspera dumosa plantis.

Benedicta es tu, o Maria, in aeternum, * et a te nos etiam misericordiam expectamus.

Incyta Dei sponsa, ab omni adversitate nos inter multiplicia vitae discrimina, usque ad exitus nostri diem,* protege ac defende.

Pugna fortiter pro nobis, ne succumbamus, * sed potius transeamus illaesi.

Foeditatem terge nostram, tu quae coelesti rutilas claritate, * et puritate Dei nostri.

Oculi tui pulchriores sunt vino; * dentes tui lacte candidiores: caput autem tuum optimum.

Sicut turris eburnea collum est tuum; * statura tua assimilata est Palmae in Jerico.

O vians illustris pedes tui nobiles sunt in calceamentis*decori in incessu.

Tu velut hinnulus cervorum, * vere exultas ad currendam viam mandatorum Dei nostri;

Tibi etiam cognitus est numerus electorum, * in superna beatitudine locandus;

Et nos etiam tecum mystice peregrinantes * adscribe in beato praedestinationis libro.

Nostra, et universorum nomina, quos in *Rosariis* commendandos suscepimus

tuis; * adscripta sub tuo retine, mater, patrocinio.

Laetitiae hospes in Elisabeth domo,* manibus ex nunc absterge tuis omnem lacrymam ab oculis nostris.

Et amplius luctus in terra non erit nostra; * neque clamor, neque dolor ullus.

Tibi Domine plagas ostendimus nostras; * nostramque detegimus miseriam et verecundiam.

Scimus peccata nostra multa et magna, pro quibus expavescimus; * sed iterum in tua nos speramus protectione.

Poenitet nos peccasse; malum, quod commisimus, emendare cupimus; * oculos in nos pietatis converte tuae.

O clemens, o pia, o dulcis mater Judicis, et rei mater,* cum sis utriusque mater discordias inter filios sustinere nequis tuos.

Jesu, Maria, et Joseph, * nobis in terra laboris succurrite viatoribus.

Vivat in aeternum hoc in terris augustissimum *Ternarium*, * in veritate trium personarum unius et substantiae constitutum.

Ave Jesu, Dux et Pastor, per intercessionem Mariae matris tuae, et Josephi matris tuae sponsi, * animabus parce nostris.

Parce malis et criminibus; * et in nobis munera tuere tua.

Collige dissipatas, libera captivas; * scissas redintegra animas nostras;

Auxilium gratiae, consolationis spem, protectionem a periculis; * et liberationem a poenis in te omnes invenient populi.

Tua sacratissimae vitae et passionis mysteria * in amoris excessu mens contempletur nostra:

Coronam in jubilatione canat tuam;* et haec in exilio requies sit nostra sancta Domino.

Virgo, quae tutos ad amoena coeli
Dirigis calles, liquidumque lumen
Inter offusas tenebras refundis
Ore sereno;

Cerne, qui cursu patrias ad arces,
Te duce, o Mater, properant secundo;
Arceas ventos; pluviasque nutu
Laeta coërce;

Sterne per ruptos juga celsa tractus;
Et per anfractus dubios viarum
Ipsa securos tueare pellens
Damna, metumque.

Dumque fidentes patriae propinquant,
Sentiant dulcem reduces parentem
Cujus ad nutum ilicet udus imbri
Paruit aër.

Magna tibi Omnipotens bona contulit; * ille supernas ceu largo sparsit flumine divitias.

Implevit promissa memor; * serisque reposta attulit Abramidum praemia temporibus.

O Maria, qui confidunt in te, repromissiones intelligunt istas; * et fideles in dilectione *Ave Maria* concinunt, et supersperant.

Ave Maria, Gratia plena; * duo tua ubera sunt duo capreae hinnuli;

Angelicae salutationis levissima compressione * lac misericordiae fundunt.

Salve, divina hominum reconciliatrix; * tota pulchra es atque decora;

O divinae charitatis dignissima sedes; * Tu Sapientiae et Scientiae Dei thesaurus infinitus;

Dives in omnes, qui te invocant; et de cuius plenitudine omnes accipimus;* divino quo ardes amore corda inflamma nostra.

Quis similis tibi * quae potentia et gloria superemines universos?

Sicut coeli exaltantur a terra, * sic tu praecelsior cunctis nimis exaltata fuisti a Deo.

Et quia maternitatis officium tibi commissum erga miseros exerces visitando et succurrendo, * benedic nos omnipotentia Dei Patris, ex nunc usque in saecula.

Benedic Sapientia Dei Filii, et virtute, qua nos sanctificavit Spiritus sanctus; * ex nunc usque in saecula.

Laetare anima mea; certe fortior

est ipsa, quae benedixit tibi, et te iuvat; * quam qui perverse te tentat, affligit, et cruciat.

Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus; te Unum in substantia, confitemur, laudamus, et glorificamus Trinum in personis.

CANTICUM VII.

Psal. 2, Visitationis B. Mariae V.

Non sunt condignae huius temporis passiones * ad futuram, quae in nobis revelabitur, gloriam.

Huius praeterit figura mundi; fallax fallacem, vanus vanum, infirmus infirmum decipit; * et coecus coecum in foveam impellit.

Vovete viri fratres; * et omnes Domino Deo reddite nostro, qui in circuitu eius *Rosarii* affertis munera.

Et Mariae etiam vovete iugiter; * aula est coelestium Sacramentorum, et propitiationis Iris.

Ecce ego peccator in manibus sum tuis, * sub virga sum iustissima filii tui, et correctioni me submitto tuae.

Tibi me, et omnia, ad corrigendum commendo mea; * melius est hic, quam in altera corripi vita.

Pater iuste, Pater amande, Pater semper venerande, * dignum et iustum est ut adveniat hora, in qua probetur, et servus exerceatur tuus.

Percute dorsum meum; collum et pectus meum; totam percute tortuositatem meam; * ut ad tuam flectar voluntatem faciendam.

Scis quod profectui expedit meo; * et quantum inserviat tribulatio vitiorum rubigini purgandae, et virtutibus excolendis.

Et ego didici ex hoc inscrutabile iudicium pavere tuum; * qui affligis impium, sed non sine aequitate et misericordia.

Tu percutis, et sanas; * deducis ad inferos, et reducis;

Disciplina tua super me; * virga et baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Laetetur in te tandem servus tuus, non in se, neque in aliquo alio; * quia tu solus laetitia es, gaudium, honor, et iucunditatis meae *corona*.

Gressus illumina meos; * et cogitationes in viam pacis;

Veritas tua, Deus, securam infundit pacem, quia fallere non potest; * tuaque sapientia falli non valet.

Pacis gaudium, et filiorum tuorum pacem flagito; * qui in lumine consolationis a te pascuntur.

Tu cor quaeris purum, et spiritum humiliatum; * ibique locum requietis tibi, et matri eligis tuae.

O te, Joannes, nuntio,
Teque o beatum munere!
Qui conditorem saeculi.
Monstras, praeis, et abluis!

Desertas cautes incolis,
Linguam tu dicas Numini,
Visura Christum lumina
Ne saeculi error inquinet.

Mox voce Christum praedicas;
Vias parandas edoces;
Lavacra poenitentiae
Cunctis ministras gentibus.

Damnas nefastas nuptias.
Nec regiam frontem times;
Necemque fortiter subis
Integritatis victima.

Hic cursus, hic vitae exitus,
Haec est Corona martyris,
Cui, virgo Mater gratiae
Lucem salutis attulit.

O mater pietatis difficiles tu carpis vias; * et propter nimiam charitatem tuam, per impervias rigidasque salebras gressus dirigis tuos.

Et iam, montanis superatis, cognatae Elisabeth tuae aedes festina subis; * quae gaudia in mutuo amplexu laetos tenuere parentes!

Nosquoque, Virgo, tua cura sumus; * hinc nos etiam visita, cordaque gaudiis nostra reple tuis.

Et quoniam ad te venire non possumus adhuc, * arcesse mater, et nos visita in pace;

De throno descende excelsae sanctitatis tuae, * remedia fragilitati conferens nostrae;

Faciem ostende tuam; * vox salutationis tuae auribus etiam personet nostris.

Vox tua dulcis melodia est, facies valde decora; * tua audientes verba iubilabimus, exultabimus.

Aurora es solis praevia, et dies noctis nescia,* auctrix meriti,sicut Heva peccati.

Salve ergo desponsata Dei; Dei plena salve; * salve firmamentum dogmatum Christi.

Salve sapientissima Dei vox, * et exultatio olei unctionis in domo Zachariae;

Tu sponso carissima tuo, contra infensos extas custodia hostes; * et trophaeum.

Vitae refectio nostrae, tenebras aufer mentium; expelle somnolentiam;* et Daemonum catervas fuga, ne pigros nos obruant.

Ave dulcedo cordium, et nostrae dulcedinis amor * quando cor nostrum visitas, tunc ei lucet veritas.

Adminiculum contra invisibiles tentatores, ab irruentibus nos protege infestationibus; * omnes cordis elationes, et mentis abiiciemus praesumptiones.

Hauriant omnes nobiscum aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; * et dulcedinem benedictionis possideant in sempiternum.

Ave mater, virgo vera; doce mente nos sincera * Sion semper memorare; non de mundo cogitare.

Ave Regina Coelorum, et Angelorum Domina; * per tuas duc nos semitas, quo tendamus ad lucem quam inhabitas.

Adstas a dextris Altissimi in fimbriis aureis; * circumamicta varietate.

Sidus inclytum, illustransomne saeculum; * per quod dies et tempora assumunt vitae lumina.

Ave Virgo, victoriam praebens; * omniumque adversariorum elationem fortiter confringens.

Fragrans Myrrha humilitatis, gutta charitatis, et Cassia castitatis e throno procedis eburneo in decore tuo; * nos visitans filiabus circumdata Regis tui.

Sancta Judith, pro populo
Salvando, se praeparavit,
Nocte surgens de lectulo,
Vocans Abraham properavit;

Holoferni praesentavit
Se pro gentis suae periculo;
Necans eum liberavit
Cives a mortis iaculo.

Tu es Judith pulcherrima,
Quae liberas Ecclesiam,
Inferno hostis acerrima,
Ut per divinam gratiam,

Et haeresis perfidiam,
Confundas et nequitiam;
Spemque tutissimam
Fundas super familiam.

Virtus, laus et gloria Patri, Verbo, et Paraclyto; * inseparatae Trinitati, omne per aevum. Amen.

CANTICUM VIII.

Psalmus 3. Visitationis B. Mariae V.

Patres nostri omnes sub nube fuerunt: * et nos in lumine ambulamus Evangelii Jesu Christi

Ecquis magis Dei summi Sacerdos,* quam Jesus e Maria conceptus virgine?

Ecquis matre eius sublimior extat in coelis, * et in terra?

Magnitudine protecti eius et potentia puritatem accipimus; * gratiam, vitam et benedictionem.

Etenim ardoris tegimen est; meridiani umbraculum; * et firmamentum virtutis.

Nihilosecius, tota die verecundia

mea contra me est; * et confusio faciei meae.

Misericordiam, Domine Jesu, flagito tuam! * et simul tota provoco die iustitiam tuam.

Gaudium vanitatis rimosum cor reddit meum; * et iniquitatis insania sordidum.

Merui ut animam des meam in derisionem bis, qui in circuitu sunt meo; * ut me devorent.

Sed probe nosti non recessisse a te cor meum * ideo misericordiarum mecum recordaberis tuarum.

Salve amor Patris omnipotentis * proiisque beatissima communicatio.

Sit nomen Domini benedictum; * laus eius ex hoc nunc et usque in saeculum in ore sit nostro.

Benedicta tu o Maria in mulieribus; * et benedictus fructus ventris tui Jesus.

Postquam supernas Angelus regressus ad Coeli plagas * reliquit auctam gaudiis Verboque foetam Virginem,

Exurgens illa, nec moram coelestis ignis sustinet, * montana, quo salus vocat Joannis, ardens adpetit.

Undique laetitiam promunt nemora omnia circum, * montesque et colles, flumina, vallis, ager.

Tantis virgineo splendor micat eminus ore, * gratia tanta simul fert comitata pedem.

Domum salutat hospitam, salutis optata Parens; * et prole foecundam senem foecunda virgo amplectitur.

Tum virginalis germinis occulta virtus emicat; * et verba pacis nuncia domum repleruni gaudio.

Exultat infans, et Deum agnoscit, ardet, subsilit; * mirisque promissam modis venisse Lucem praedicat.

Afflata sancto Spiritu Elisabeth vocem sustulit, * « et unde tanta servulae de matre Christi Gratia? »

« Emissa nam salus tua nostras ut aures impulit, * laetatus infans saltibus adesse testatur Deum. »

« Beata, quae dictis fidem praebere » docta sentis impleta promissa, * et » decus sortemque laudari tuam. ».

Tunc ora solvit, ac melos modesta virgo reddidit, * ventura quod non saecula oblivione deterent.

« Non me, sed altam praedicant summi Dei protentiam; * quae magna » nutu perficit, collata servae munera. »

« Exultat et laudat meus fontem bo» norum spiritus; * et conditorem sae» culi, qui parva clemens respicit ».

« Cum me beatam concinent, donis » bonisque divitem; * tunc nationes gen» tium laudes datoris efferent. »

« Benignus ille subditis, iustisque se » timentibus, * pressit potentes, ac » throno superba corda depuiit. »

« Plenis abundat aedibus, auroque » pauper affluit; * sed luget absumptas » opes, fameque dives esurit. »

« Suscepit Israel genus, lectumque » semen Abrahae; * suae memor cle» mentiae, pactique quondam foede» ris. »

Plausere dictis coelites, et celsa respondent iuga; * sylvaeque circum de novo, late resultant carmine.

Vox o beata gratiae, quae tanta promis munera, * nostris precamur auribus ac mente dulcis insones.

Mansisti, mater mea, cum beatissima cognata tua, quasi mensibus tribus; * sacrumque hospitium illud vivida implesti salutis spe.

Appare nunc mihi temporis momento; * satis abundeque saluti animae erit meae.

O Maria visita me humilitate, puritate, et mansuetudine tua; * precibus et meritis Deum placando tuis, ira a me avertetur eius.

Spiritum Sapientiae visitando Infunde; * intellectus, consilii, et pietatis.

Beati, et vere beati, quos tu Domine elegisti, * et in tuam assumpsisti haereditatem.

Replentur isti ab ubertate domus tuae; * et florent ante te, sicut agri pleni, fragrantibus floribus.

Torrente potas eos voluptatis tuae,

quoniam tu es fons vitae; * et in lumine tuo vident fidei lumen.

Lumen illuminatum per te, qui es Deus illuminans; * indeque, sicuti sol, in perpetuas fulgebunt aeternitates.

Hunc Sanctorum peregrinantium statum petimus a te, Domine; * et immortalem vitam.

Et irrequietum desiderium hanc inquirendi supremam mansionem; * sitientes et anhelantes sicut cervi secus decursus aquarum dulcium.

Bone Jesu, hostia vivens, sancta, propitia; in qua sibi Pater bene complacuit; * debilitatem refice, et indignitatem sana nostram.

Ædifica, o beata Maria, filios nos tuos sacratissimum recinentes *Visitationis* tuae *Rosarium*; * gratia et virtute aedifica tua in sanctitate et iustitia.

Benedictum eloquium tuum favo mellis est dulcius; * amorem infundit, reverentiam, et compunctionem.

Benedicta sint singula auriflua verba divinae salutationis tuae, * ad aures Elisabeth cognatae tuae.

Nascere Joannes Baptista, magne puer; * gens hominum tuo laetata in ortu tibi plaudet;

Illucescat illa celebranda dies, * cum te Jordanides undae in divino cernent Jesu Christi capite sacri laticis inspersisse pia dona salutis;

Et credimus lavacrum illud mystice pro nostra regeneratione sancitum; * et non pro ulla illius macula pianda perfusum.

Tene nunc, Domine, manum dexteram nostram; * et in bona voluntate tua munda nos, et suscipe.

Veternosum nostrum discute somnum; * et tetrae mortis huius disrumpe vincula.

Mater salutis nostrae, spes salve nostra; * omnibus pietatis sinum apertum tenens.

Et si neminem afflictum a te redire sinis; * nec etiam nos reiicis pauperculos tuos.

Peregrinantis animae solatium, fons totius consolationis; * portus in die tribulationis, divino quo ardes amore corda visita nostra.

O dulcis Christi Mater, sedens in excelsis ad Altissimi dexteram recordare nostri; * quia filii sumus tui; et quos Jesu suo redemit sanguine.

Regina, virgo regia,
De genere David Regis,
Dei mater et filia,
Christi parens Christum regis.

Nostra mater, nostrae legis
Gaudium et laetitia,
Peccatoris sortem agis,
Decus, honor, et gloria.

Cantate ei nunc universae habitatores terrae, * et *Coronam Rosarii* eius in populis annuntiate;

De manu crudeli ipsa liberavit nos; * ecquis de sua non queat gloria et beatitudine quotidie exardescere et exultare?

Istas in anima suavissimas excita delicias; * eamque de gaudio inebria tuo, o Maria;

Possimus utinam in huius mortalis vitae ardoribus et periculis * sub tuo vitalis aurae refrigerari umbraculo!

Transeamus paululum in sinum requietis tuae; * ut transeuntes languidum caput nostrum in bonitate reclinemus tua, et obdormiamus.

Tibi Fili decus atque virtus, qui nos redimendo visitas; * quique cum summo regnas Genitore, et almo per saecula Flamine. Amen.

CANTICUM IX.

TERTIUM MYSTERIUM GAUDIOSUM.

NATIVITAS D. N. JESU CHRISTI

Psal. 1. *Mysterii huius*

Pater, etc; Ave, etc; Gloria, etc.

Jesu mater, praeter morem
Virgo parit te, dolorem
Nesciens puerpera.

Charitate fac perfecta
Flagret in te mens affecta
Quam non frangant aspera.

Jesu, cui terrae fines;
Sed vix caput quo reclines
Mundo nascens invenis.

Et quid ampla meditari,
Vel terrenis gloriari
Mens praesumit hominis?

Deus Deus meus, tu veniens vivificabis nos; * et nos laetabimur in te.

Universi, qui te expectant, non confundentur, * ostende ergo nobis, Domine, salutare tuum; et expectatum gentibus nobis dona.

In conspectu tuo, et Angelorum tuorum adventum psallemus tuum, * super misericordiae et veritatis tuae diffusione;

Excita ideo potentiam tuam, et veni; * Coelum diu et terra te expectarunt;

Divexa et destrue adversitates omnes, et errores; * sola virtus et cordis nostri exultatio protege nos, benedic, sanctifica.

Reple nos omni gaudio, et pace; * fac nos abundare in spe, et Spiritus sancti virtute.

Citharam, viri fratres, et iucundum sumamus hodie Psalterium; * nativitatem canentes Domini.

Andriani.

Corde matri, et oro laudes
Concinamus perpetes;
Filium simul canentes
Matre natum virgine;
Atque in illa Trinitatis
Efferamus gloriam.

Quo sortis partusque tui magis hora propinquat; * virgineos sensus hoc magis urget amor.

Approperat, Bethlemque subit, tectumque requirit, * nescia vel Regi gens negat hospitium.

Ergo humili pecudis sese abdidit antro, * ortum divini luminis opperiens.

Sylva tuo in partu cultos dabit avia flores; * tutaque per terras gaudia pacis erunt.

Sic veteris noxae vinclis, damnisque solutis, * Virgo tuas laudes saecula laeta canent.

Sed iam Aquilonis silent immites irae; * mellea muuera dant quercus;

Sidereaeque micant faces * noctis in opprobrium.

Et vis angelici luminis natum celebrans ex Virgine Christum, * pervigiles pastorum oculos implet:

Coelitum pia cantica sequentes; * alacres ipsi in nocte sua linquunt ovilia.

Et ad antrum properant Bethlemiticum, * ut suis cernant oculis miracula partus, et adorent.

Ad infantem Deum vagientem, nostro de sanguine cretum, * nos etiam ejus amore perciti propere accedamus, eumque adoremus.

O Maria, Dominus possedit te ab initio viarum tuarum; * a primo instanti creationis tuae.

Tu quasi umbrosa Terebinthus ramos extendisti tuos; * rami tui honoris, puritatis, et gratiae.

Per te lux orta est iusto; * et rectis corde;

Spiritus tuus super mel dulce; * et haereditas tua super mel, et mellis favum.

Afferamus, viri fratres, Domino Deo nostro, gloriam nomini eius; *Rosarii* afferamus *Coronam*;* magnificemus, et in finibus terrae canamus eam.

Corpus suum nostro sociavit Jesus corpori; * et Sanguine suo genas ornavit nostras.

Dexteram nostram et collum pretiosis cinxit lapidibus; * auribus suspendit nostris inaestimabiles margaritas.

Omnipotens, adorande, colende, et metuende Pater, Sponse, Frater et amice, * te amamus et quaerimus; te semper optamus.

Deus noster es tu, parvus infans, opus manuum tuarum omnes sumus;* nos vero lutum.

Da nobis *Coronam* recinentibus nativitatis tuae, humiliatis virtutem;* fortitudinis et iustitiae.

Da cordis munditiem; * continentiae amorem, temperantiae et misericordiae.

Da propriae voluntatis abnegationem et obedientiam; * fraternam charitatem, animarum zelum, et divinae praesentiae exercitium.

Sacerdotibus sanctitatem adauge; * et Fidem terrae Regibus;

Pacem hominibus bonae voluntatis,* in terris ab Angelis annuntiatam;

Religiosis et saecularibus, cunctisque in te sperantibus* perseverantiam boni tribue operis;

Et praesertim ut omnes nos virginis Mariae laudes celebremus die ac nocte; * quae bonis totum locupletat orbem;

Quaeque nobis nunc donat iambere beatos pueri sui pedes;*nostram pietatem refovens ex sui pectoris abundantia.

Gaudium angelorum et hominum, * o beatissima trahe nos post te vinculis dulcedinis laetitiae tuae.

Ne sinas nos in tentationibus angustiari nostris; * gratia et clementia tua omnes sana dolores nostros;

Nobis porrigens Jesum, * benedictum filium tuum,

Beati qui ab ipso et a te disciplinam accipiunt; * et qui quotidie recti et sancti ad postes vigilant Praesepis tui.

Qui invenit Jesum et Mariam, vitam acquirit; * aeternamque, viri fratres, haurit salutem.

Et qui Jesum elucidant et Mariam,* summam gaudii *Coronam* in perpetuas habebunt aeternitates.

Quanta, o Maria, est tibi pro nobis cura! maiora tu optas dare, quam nos petere sciamus, * et prius accurris, quam invoceris:

Immo tibi servientibus beneficiorum addis cumulos; * semperquo eum amantibus amantior es.

Salve manifestissima aegritudinum nostrarum sanatio; * et morborum originum exsiccatio.

Gloriae Dei salve sacrarium; Christianorum thesaurus; mater excelsi gaudii; * et divinae Incarnationis virtus.

Pulchripara virgo praeter naturam; Dei mater supra naturam; flos Patriarcharum, Confessorum glorificatio, * nobis semper sis clemens et propitia.

Rigans mundum novo rore, nova prolis novitate, * nova facis novo more, cuncta mira claritate;

Ex divina bonitate, fons ascendens in honore; * rigans terram charitate, Dei crescens in amore.

Virgo fidelis, et Sapientiae sedes, intelligentias resera nostras, ut Deum Patrem cognoscamus; et Deum quem peperisti filium; * Deumque Spiritum sanctum amemus.

Nostra lux, oculorum nostrorum lumen; beatissima fidei custos, * ad hanc converte fidem gentes et populos omnes.

Flos vitae immaculatissime; gratiarum flumen mellifluum; * rectissima Coeli scala;

Maria, Angelorum Regina, * per gratiam quam in partu meruisti, amoris et gloriae Filii tui nos redde participes.

Expelle noctem cordium; absterge sordes mentium; * resolve culpae

vinculum; averte moles criminum;

Repelle, quod cupidinis ciente vi nos impetit; * aut moribus se suggerit; aut actibus se interserit.

Et mundus tibi in aeternum * benedicat universus;

Nomenque tuum in Coelis * omnis sine fine exaltet spiritus.

Deo Patri laudem, parilique Proli; * et tibi, studio perenni, Spiritus sancte, os promat nostrum, omne per aevum. Amen.

CANTICUM X.

Psal. 2. Nativitatis D. N. Jesu Christi.

Jesu, natum te Pastorum
Visit plebs, et Angelorum,
Canit vox laetitiam.

Tuae laudis fac amantem
Ut aeternam tibi cantem
In excelsis gloriam.

Jesu, reges te dotantes
Regem regum venerantes
Vultu colunt cernuo.

Quam tot donis mihi datis
Vicem reddam charitatis?
Et me totum tribuo.

Humanae gentis Sator atque Redemptor; bone, admirabilis Jesu, * te ipsum nobis immiscuisti.

Humanam dignatus sumere formam corpus in te comtemperasti nostrum; * ut unum simus corpus capiti tanquam coaptatum.

Miserationes tuae stultum exsuperant caput nostrum; * in hoc mirabiliter extitisti, supergrediens omnia pietatis tuae opera et omnipotentiae.

Sed adhuc necesse est tua operetur charitas, * ut nos compaginet unitas;

Charitas, quae in nostris diffusa est cordibus, * per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Erravimus sicut oves quae perierant; * incolatus prolongatus est noster;

Et procul rejecti sumus a facie Dei nostri, * in hanc exilii coecitatem.

Accurre, Domine; * et benignus amor tuus, qui de tuis altis sedibus te compulit descendere, continuo dissipet, quod coeca nostra assidue congregat malitia.

En, Domine, nostra miserrima disgregatio ab arctissima unitate tua; * miserere nostri et adhuc miserere.

Beati, quibus spes est in te; * qui solvis compeditos; illuminas coecos, et dispersos colligis.

Qui erigis elisos, dirigis justos; * et finibus pacem ponis nostris.

Amamus te; * et a te amari ardenter cupimus;

Vos ardentia agmina Cherubim, et tu Virgo Maria Cherubinis flagrantior, * nostrum rogamus quantum deest suppleatis amorem.

O utinam amore, quo te ipsum amas, te amare valeremus! * sic tantum amabilitatem aequaremus tuam.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares ad crucem
E virginis sacrario
Intacta prodis victima;

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

Tibi laus et hymnus, tibi virtus, * in perpetuum *Corona*, et gratiarum actio.

Tibi, ut vero vitae principio, *Rosarium* recinimus gratiarum; * quia Immaculatum tuum extitit habitaculum, et vere incontaminatum.

Dei Patris Filia; Christi mater; * Spiritus sancti Sponsa, * sub umbram alarum tuarum fidenter recurrimus.

Formosissima maris Stella; materque verae Fidei, * in fide periclitantibus succurre, o Maria.

Salve inventrix gratiae, et salutis; * salve lampas multiluca, fidelibus splendens ac infidelibus;

Vitae delicium; * via nectaris, et foecunde germinans Paradisum;

Castitatem, sanctimoniam, continentiam, indulgentiam, et sustentationem virginibus impetra et viduis; * veniam, et iuvamen omnibus in discrimine constitutis;

Reditum peregrinantibus, et consolationem lugentibus; * fidelibus defunctis absolutionem, et requiem impetra sempiternam.

Salve divina animarum reconciliatrix; * tibi soli datum est Purgatorii repagula pandere, et Coeli reserare ianuas.

Viri fratres Dominus noster puerulus Jesus iustitiam in mundum adduxit et aequitatem; * lenitatem, et innocentiae simplicitatem;

*Gloria in excelsis Deo: * et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

« *Gloria in excelsis Deo* » nobiscum Angeli, * et pervigiles canunt Pastores.

Nos immo, qui sancto tuo redempti Sanguine sumus, * ob diem natalis tui hymnum concinimus novum.

Æqualis Deo Patri, carnis trophaeo accingere, * infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti.

Praesepe iam fulget tuum, lumenque iam spirat novum; * quod nulla nox interpolet, Fideque iugi luceat.

Uti Sponsus de thalamo egressus ex honestissimo virginis matris claustro * nos pius nunc protegas.

Illumina ideo pectora; tuoque amore concrema; * audito ut praeconio, sint pulsa tandem lubrica.

Da tempus acceptabile; et poenitens cor tribue; * convertat ut benignitas, quos longa suffert pietas.

Iudexque cum post aderis, rimari facta pectoris, reddes vicem pro abditis; * iustisve regnum dabis.

Non demum arctemur malis, pro qualitate criminis; * sed sancto amore saucios perducas ad coelestia.

Dominus Jesus, qui Sapientiae tenet claritatem atque veritatem, * summopere diligit qui munditiae servat puritatem, et illibatam ostendit.

Purus est, et omnium maxime purus; ideoque puros diligit; * et plenitudinem amoris ex uberibus haurire sinit matris suae, et ex intimis cordis sui fontibus.

O dulcissime omnium, perfecte amator; * dum haec omnia in mente mea considero, prae timore deficio.

Non aliquam ex causis praedictis in me sentio, ob quam tu diligere me debeas; * sed potius e contra, qua tu me odio habeas.

Tu ad tantam me creasti et regenerasti dignitatem; * et ego ad tantam me adduxi et abieci malorum vilitatem.

Indignus ego sum, * quem purissimus oculus respiciat tuus.

Nihilominus me antea de perditione liberasti; * et de tempore me eripuisti iniquo.

Nomen ideo assidue laudabo tuum, et illud in *Rosario* collaudabo; * deprecationem tandem humilitatis exaudies meae.

Sancta et immaculata Dei genitrix Maria, * interveni pro me apud illum, cuius meruisti effici sacrarium.

Parentum reparatrix; posterorum vivificatrix; Coeli et terrae gloria et gaudium audi me, * nam blandulus puerulus nihil negans te honorat.

Nudus inops Deus teneris tremit artubus, * et vix tremulum parva lina tegunt.

Materno tuo lacte eget summus Coeli dominator; * cuius afflatu omnis sustentatur mundi moles!

Pulcherrima tuis pro me complexibus constringe Natum; * super gremio recumbentem tuo.

Ilic melius isto ardescet ab aestu; * et territa frigiditatis meae bruma recedet.

Ó fons perennis gratiae,
Quae de fluento perpeti
Terras iacentes irrigas
Fructuque ditas uberi;

O lampas almi luminis,
Quae noctis umbras dissipas:
Pignusque, et arca foederis
Quae flectis iram vindicis.

Tu per salutis tramitem
Gressu vagantes devio
Ad vera coeli gaudia
Beata mater dirige.

Dispelle cordis nubila,
Infunde lucem mentibus;
Ac vera pacis munera
Largire supplicantibus.

Sed iam novum astrum fulget in Coelo, * et insuetum deducit in Praesepe fulgorem.

Tergeminum praesto est regale decus, * Infanti Thus, Myrrham tribuens, et aurum in obsequium.

Cui sociantur concentus Angelorum, * gratumque Pastorum melos silvestris fistulae.

Quanta omnibus, alma mater, * et quanta tibi in hac nocte natalis Filii tui dederunt gaudia!

Curre ista nocte beatissima ad me, Domina mea; * et tuum ad te clamantem, calamitosum servum, consolando adiuva.

Me Daemonum fraude a Dei mandatis graviter abstractum ne despicias; * et eorum me redde superiorem insidiis.

Candelabrum aureum, clarumet lucidum, * septem lychnis, donis scilicet sancti Spiritus ornatum;

Virgo virginum; pudoris templum et honestatis; * Arca sancta puritatis;

Thalamus intactae dispensationis; * proprius charitatis thesaurus;

Tempus impetra acceptabile; poenitens mihi cor tribue; * tua transmutet pietas, quem peccati miseria insequitur.

Suavitate, et tui amoris dulcedine contra fallaces me defende illecebras; * intellectui meo praevia sis lux et semita.

Jesu et Maria, vestri continuo amore cor langueat meum; * et anima liquescat mea.

Humillime supplicanti amorem reddite vestrum, * non propter meum meritum, sed in quantum amari digni estis.

Patri supremo sit gloria, et honor cum filio et Spiritu Paraclyto, per saecula metae nescia. Amen.

CANTICUM XI.

Psal. 3. Nativitatis Domini N. Jesu Christi.

Ave mater Dei, domina mundi; * Regina pietatis; pudoris Arca et honestatis.

Aurum obrizum in ornamentis regalibus tuis; * Sardus et Topatius in diademate tuo.

Jaspis et Amethystus in dextera tua, Berillus et Chrysolithus in sinistra tua.

Hyacinthus et Acates in pectore tuo* Carbunculi scintillantes in monilibus *Rosariorum* tuorum.

Sapphyrus et Smaragdus in brachiis tuis; * Myrrha Thus et Balsamum in gutture tuo.

Ave coelum, ave puella, ave thesaure; * ave Jesu mater, et tota ratio spei nostrae.

O Regina, quae super cuncta regnas creata; * adiutorium nostrum in virtute sit nominis tui.

Nisi tu, Domina, eras in nobis, Invenissent nos pericula multa: * nec remedia nobis provenissent aeterna.

Ostende nunc nobis promissum gentibus; * et cuncti nobiscum te benedicant in Coelo et in terra.

Venit de Coelo mediator alto, quem sacri dudum cecinere Vates; * parce moerori, lacrymisque amans filia Sion.

Dilecta summo Numini
Puella lumen virginum,
Quae prima divum conspicis
Et oscularis Parvulum;

Laetare coeli munere,
Quo te parentem laudibus
Justis ad astra tollimus
Integritate perpeti.

Natum fovens amplexibus
Inter rigentes temporis
Auras, et arctae angustiis
In paupertatis excipis.

Te nulla mater ditior,
Nullusque natus laetior,
Tu namque sola Filio,
Et ille sufficit tibi.

Quae nova lux mundo? quae tota gratia Coelo? * quis fuit ille nitor Mariae, cum Christus ab alvo processit splendore novo?

Velut ipse decor, sponsus ovans thalamo, * forma speciosus amoena prae natis hominum;

Cuius radiante figura blandior in labiis, * diffusa est gratia pulchris.

Et quaenam tantis redonabimus pro benefactis? * impares sumus, immo miseri.

Nostras, pia mater, sume vices; * et placationis effunde preces.

Quid non sperabimus, te oscula pro nobis * suis caris imprimente labellulis?

Quid non te illum lactante tuis pressis papillis; * et solerter ei in cuna dulcem accersente soporem?

Dominus noster Jesus Christus, * cum dives esset, egenus propter nos terrae vermiculos factus est.

In praesepe non habebat ubi reclinaret caput; * crucis praeveniens asperitatem.

Sese cladibus ultro obtulit; * atque praedam in vinculis dedit.

Nudum tandem vidimus, * flagellatum et crucifixum.

Ipse est, viri fratres, speciosus prae filiis hominum; * speculum sine macula; aeternae lucis candor; et Redemptor noster.

Ipse dilectus noster pulcherrimus, * qui pascitur inter lilia, choreis septus virginum;

Quem Mater illa concipit; * quae sola virgo parturit.

Tria munera, Jesu amabilis, Reges infantiles ante pedes deposuerunt tuos; * nos quid tibi offeremus pauperes?

Nos immedicabilem cogitantes miseriam nostram, * trinam sacratissimi *Rosarii* tui offerimus *Coronam*.

Indeque canentes et meditantes quantum humiliati debeamus amoris tui; * spes bona nobis subest pietati arridendi tuae.

Benedicimus; * et gratias propter ardentissimam tui cordis charitatem agimus tibi.

O Corculum infantis Jesu amantissimum, Verbo Dei substantialiter unitum; * divino, quo ardes amore, requiem in saeculum saeculi nostris concede cordibus.

Tu per eam nos exaudi, quam praelegisti ad Matrem; * ut quos iustitia salvare renuebat tua, per suam reconciliares pietatem.

Filius tuus, o Maria, non venit vocare iustos, sed peccatores, * ideo magis propter istos, quam propter iustos facta es Dei mater.

Et tu peccatores, sine quibus nunquam tanto fores digna Filio, non abhorres; * imo tuo commendas patrocinio.

In te lignum plantatum fuit vitae; * et gestatrix fuisti vitae et gaudii mundo perdito.

Ideoque inventricem gratiae te Patres et doctores appellant omnes; * et pacis dispensatricem in merito nativitatis et crucis filii tui:

Deliciarum hortum; mysticum Paradisum; * sine dolore auctorem gignentem fidei et consumatorem; immortalitate florentem, semperque virentem.

Profecto venter tuus, o Maria, * sicut acervus tritici vallatus est liliis.

Unum frumenti granum in utero fuit tuo, Christus Dominus, * inclytum ac decorum Dei facta es sanctuarium.

Sed et in primogenito tuo plurimos ad salutem edidisti fructus; * et vitam pariendo multos ad vitam revocasti.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis Conditor;
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus Praesepia
Membra pannis involuta
Virgo mater alligat;
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.

Viri fratres, agnoscamus tandem nostri dignitatem generis; * et nolimus ad pristinam vitae consuetudinem degeneri conversatione redire.

Omnes nos quasi oves erravimus; * unusquisque in viam declinavit suam.

Attamen Deus humanis motus miseriis, iniquitatem omnium nostrum in Filio ex sua genito substantia posuit, * nostrae infirmitatis volens illum esse participem.

Verus hic est Deus, qui nostram induit naturam ex beatae Mariae visceribus; * et Praesepe non abhorruit.

Converte igitur Pater omnipotens oculos maiestatis tuae * super ineffabile pietatis tuae opus.

Respice qui a teneris patitur incunabulis, * et clementissime eorum, pro quibus patitur, reminiscere.

Abyssus miseriarum nostrarum * abyssum invocat misericordiarum tuarum.

Fac nos odio habere iniquitatis omnes vias; peccandi occasiones amove; * et iustitiam fac nos diligere et veritatem.

Poscit hoc tibi etiam advocata illa, quam apud te habemus potentissimam; * quae ipsum in utero gestavit suo, ipsum peperit; et in sinu a frigore et fame fovit suo.

O sempiterna numinis sponsa, et parens, et filia; quae plena Patris gratia, Regina coelo praesides;

Quae cuncta nutu temperas, * votisque prona supplicum, largiris omnia perpetim, quae flagitantur munera.

Quae voce morbis imperas; et ore terres Tartara; * et cui fugata protinus adversi cedunt agmina;

Ades precantis vocibus; cerne et lacentis lacrymas; * malis redempta ut corporis mens tuta Christo serviat.

Gratias canimus et gloriam, tibi vera et Una Trinitas, * Una et summa Deitas, sancta et Una unitas.

CANTICUM XII.

QUARTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM.

DIVINI INFANTIS AD TEMPLUM PRAESENTATIO; MARIAE VIRGINIS HUMILIS PURIFICATIO.

Ps. 1. mysterii huius.

Pater, etc. Ave, etc. et Gloria, etc.

Jesu, legi se subdentes
Deo sistunt te parentes,
Nulla quos lex obligat.

O fac mihi cor sit rectum,
Omnem semper ut affectum
Lege tua dirigat.

Salve turris munitissima; * quae hostium retundis superbiam.

Ave immaculata nostra et purissima virgo; * quae lucem sempiternam omnis principatus superioris excepisti.

Et haec lustranda in templum venit * quae enixa tonantem est!

Mater salutis ave, quia Verbum Patris exhibuisti mundo; * et Patri in templo praesentasti.

Mater tua munera donas; * et reddis sua dona Deo.

Nutritiius tuus bone Jesu, et mater, cum impleti essent dies purgationis partus eius, * tulerunt te, ut sisterent coram Domino.

Par turturum pro te obtulerunt Infante; * aut duos potius columbarum pullos.

Subsistit virgo, brachiis Filium adducens suum; * mediatrix mediatorem Deum!

Et in ulnas puerum excipiens suas Simeon senex praedicavit populis ipsum esse vitae et mortis Dominum; * et mundi Salvatorem.

Ipse senex coelitus iucundatus benedicens Deum, solemnia cecinit amantissima verba; * quae adhuc cum eo generationes canunt omnes.

Sancte senex Simeon, qui amplecti potes divinum, quo coelum regitur, tenerrimum puellulum; * et virore gratiae hilarescere eius;

Ipsum Infantem * pro nobis exora miseris;

Matremque etiam, quae sordis omnis nescia candore vincit sidera; * ut nobis virtutis robur non deficiat.

Viri fratres dominus Jesus, Rex Regum, et Princeps dominantium * adeo voluntariam coluit paupertatem, ut matrem habere maluerit pauperem.

Et pauperem patrem Nutritium; * pauperesque Discipulos.

Et ita sectatus est humilitatem* ut in carnis nostrae substantia in templo siverit esse misere praesentatus.

Mater divinae gratiae, et nostrae laetitiae causa* tibi et Jesu laeti *Coronam* canimus.

Adorna thalamum tuum Sion; * et Christum suscipe Regem tuum.

Amplectere etiam Mariam, quae Templi est ianua; Arca pudoris, honestatis et puritatis; * ipsa portat Regem novi gloriam luminis.

Laus, honor, virtus, gloria Deo sit Patri; Deo sit Filio; Deo sit Spiritui sancto; * et maternitati beatissimae Mariae in hymnis exultationis.

Janua illuminata, et fax fidelium; veri Salomonis ferculum de lignis cedrinis; * et Sanctorum omnium fermentum, ceu incredibilis vitae concretio.

Gratia cordis Filii tui, o Maria, per te descendat super nos, sicut ros super terram; * sicut imber super gramen; et sicut nix supra foenum.

Et ab omni nos emundet impietate; * nec sinat nos rursum in vitiorum ruere praecipites vilitatem,

Cor Jesu ex Maria virgine in tempore conceptum; * et in eius sinu ab Angelis adoratum;

Cor Jesu pro mundi vita in templo praesentatum, * divo, quo ardes, amore cordis nostri exaudi preces.

Totius pietatis et consolationis Deus,* in sanguine aeterni Testamenti tui salva nos.

Litis dissolve vincula; * pacisque adstringe foedera.

Tu, qui exterius flagella irrogas, indeficientem interius infunde amorem; * ut nunquam laudum tuarum *Sertum* de ore recedat nostro.

Te vitae nostrae gratuitum per Fidem profitemur largitorem; * et consolatorem cognoscimus.

A te ergo totum habentes et sperantes in praesenti, et in vita futuri saeculi, * totos tibi libenter nos committimus, et ardenter.

O Maria, quae tam praeclara Filii tui exhibuisti imitationis exempla, * in cordibus amorem infunde nostris modestiae, humilitatis et paupertatis;

Et nos agglutina pauperculos, * dilectionis tuae exuberantia.

Spes, et fortitudo nostra salve; * turris esto tutissima nostra; quia Deo charissima, quantum et nobis clementissima.

Cor tuum Dei sanctitate sanctum; Dei bonitate bonum; Dei maiestate acceptum,* divino, quo ardet amore, cor inflammet nostrum.

Sancta Dei Genitrix, in die iudicii *Corona* sit tua nobis in auxilium; * et canentes ad litus adducat Patriae.

O casta, o pia, o dulcis *Rosariorum* Regina, videbimus tandem vultus tui decorem; * et coram Angelis tibi in aeternum *Coronam* cantabimus.

Et speciosum vultum videbimus eius, quem in Praesepe vagientem, in ulnas excepisti tuas; * et lacte de Coelo praestito cibasti eum;

Et quem pauperculum in Templo praesentasti, * Regem gloriae et maiestatis.

Sancta Trinitas, unus Deus, omnis auctor et dator doni; * dum perennes solvimus hymnos, tu *Coronas* nobis praeparas.

CANTICUM XIII.

Psalm. 2. Praesentationis D. N. Jesu Christi etc.

Universae viae Domini, * misericordia et veritas.

Justitia et iudicium sunt fulcrum sedis eius; * sed misericordia superexaltat iudicium.

Oculos attollentes nostros ad thronum maiestatis tuae, * te inter brachia Matris tuae sugentem aspicimus;

Vel te ductum ab ea in Templum, * Illuminantem omnem hominem fulgoribus gloriae tuae.

Salve felix Simeon, nil annorum mole pressus curvaeque senectae; * praepropera festinatione occurre Mariae, eiusque Filio.

Numineque conspecto, spe iam alterius vitae tuo refusa pectori, * nil postea tibi tui queant oculi mortale tueri.

Mors tibi dulcis somnus erit; * et dudum optata quies.

Nuncius inde ad Prophetarum coetus accurre, et Sanctorum; * Salvatoris eis narrans adventum, et totius laeta gaudia mundi.

Salve mater, sanctificationis Arca; finis Testamentorum, quae fecit nobis Deus; * Mediatrix, et reconciliationis fideiussio nostrae.

Quam pulcher est infantulus tuus; * quamque decorus frater iste, et indignitatis nostrae Judex, quam amabilis et mitis.

Omnipotentia nos regit sua; omniscientia cognoscit; * bonitate conservat;

Essentia replet, Providentia regit, * et Misericordia benignissime salvat.

Omnes homines ipse vult salvos fieri; * et ad agnitionem venire veritatis.

A fine attingit usque ad finem; * et disponit omnia suaviter;

Nimis itaque confortata est spes liberationis nostrae; * quia ad nos salvandos cura est tibi de omni re.

O beata Maria singulari accessu tuo ad Templum * facilem ad gloriae Templum nobis praeparasti ingressum.

In Epiphania magistrum sese parvulus nobis manifestavit tuus; * sed in Templi praesentatione hostia extitit immaculata pro nobis.

O magna, bone Jesu, spes nostra, * dum te Deum aspicimus in sinu matris nostrae in Templo praesentatum!

Gloria, laus, et honor sit tibi, o Maria; * tibique Christe Redemptor; Israel tu, es, et Davidis inclyta proles.

Quantus es, cui etiam throni serviunt, et Dominationes! * benedictum sit regnum Patris nostri David.

Hosanna tibi, qui Sanctorum gloriaris in concilio; * cum prece, voto, et hymno adsumus ecce tibi.

Hosanna filio David, placeat tibi devotio nostra; * dum tibi regnanti pangimus ecce melos.

Per te etiam nobis omnis gratia, virgo, sponsa, materque Maria; * Hosanna sit tibi Sanctorum Regina.

Gloria, laus et honor, ac nostrum in aeternum affectio; * qui *Rosaria* canimus tibi.

Erige nunc, Domina, hoc nostrum cor durum, et in te amanda frigidissimum; * vita et gloria nostra, perfecta in nobis sit dilectio tua.

Et quis mihi orationis et contemplationis dabit pennas? * ad loca volabo tuta, ut requiescam.

Volitem ego ad te sursum; * et mentem pascendo meam veritate Dei mei, vanitates animo effluant omnes;

Volitem et perveniam ad decorem usque Templi tui; * et locum habitationis coelestis gloriae tuae.

Admodum scio, Domine Jesu, quod confidentes in te peccatores sublevas; * et rectis corde in aeternum non das fluctuationem.

Probasti cor meum, et visitasti nocte; * pauperem invenisti me nimis.

Cito ergo anticipent me misericordiae tuae; * ut non secundum peccata mea retribuas mihi.

Deus meus, adjutor, et protector meus; * susceptor meus es tu, et cornu salutis meae.

Largire mihi contritionis donum; * ut animam coram te effundam meam;

Pedibusque advolutus tuis semper adstabo; * et lacrymis rigabo meis.

Infinita scit sapientia tua; infinita potest omnipotentia; * et bonitas tua vult opitulari mihi.

Longe ergo fac a me furorem tuum; et omnes aegrotationes sana meas; * ne me unquam de sanctis projicias tuis pedibus;

Id mihi, si propter nimiam meam acciderit indignitatem, * ad Mariae cito confugiam pedes.

Quae tentatio aut turbatio; * aut tua indignatio superare meam poterit confidentiam in matris tuae patrocinio?

Vel quis me poterit de loco detrahere, * ubi pedes stant tui, et pedes ejus?

Idcirco miser ego et pauper; coecus et nudus, * ad tuum, o Maria, praesentissimum confugin patrocinium;

Alterum mihi post Deum solatium es; * altera peregrinationis meae per noctem es directio et illuminatio;

Infirmitatis meae pharmacum; * et Conditoris dispensationis expletio;

Altera mortalium erectio; Daemonum eversio; * debilitatis nostrae fortitudo; et mendicitatis subsidium:

Nostrorum medela malorum; dolorum relevatio; * et vinculorum solutio.

Propterea quam summae dignitatis, iustitiae et utilitatis est * tuam integram quotidie canere *Coronam!*

Fons pacis una et gratiae
  Metum repellens invidum;
  Regina spes mortalium;
  Coelique splendor et gloria.

Inter tenebras saeculi,
  Mens tristis ut te respicit,
  Tanquam sereno e cardine,
  Laetatur ortu luminis.

Cum te sequendo diligit,
  Jam laeta terras despicit;
  Jam tuta portum contigit;
  Cum te canitque et invocat.

Tunc nullus urget anxia
  Languor, metusque pectora;
  Sed pax serena tunc sinus,
  Mentemque laetam possidet.

Jesu, Joseph, et Maria, in omni nos adesto via; * et in mortis agonia.

Viri fratres, exultemus et laetemur; * quia quando nubes et caligo adstabunt circum tremendum vitae et mortis Judicem;

Quando signa erunt in Sole, Luna, et Stellis; * et ignis ante ipsum praecedet inimicos inflammans eius;

Quando in cinerem fulgura eius vertent omnia; * et montes, sicut cera a facie ignis, a facie fluent eius;

In illa magna et valde amara die manifestationis iudicii eius, Populi prae pavore commovebuntur; * sed nobis benigna erit recordatio recitationis *Rosarii* huius.

Quia quicquid iudicatum de nobis erit ex sententia pii fratris nostri Jesu pendet; * et dulcis matris nostrae Mariae.

Sancta Trinitas, unus Deus, summo celebranda plausu, * te fida mente, resonoque linguae *Rosario*, nos per aeternos venerabimur annos. Amen.

—

CANTICUM XIV.

Psalmus 3 Praesentationis D. N. Jesu Christi ad Templum; etc.

Quae est ista, quae visitans Templum Dei procedit sicut Sol? * formosa tanquam coelestis Hierusalem?

Et quae est ista intacta virgo, * quae post quadraginta dies a partu, quibus domi se tenuit, nunc Templum adit?

In Templo ad divinum redimendum Filium, * non aurum vel argentum offert sed columbarum binos pullos?

Est Domina rerum, Dominum gestans mundi; * est Coelorum Regina!

Est Christi dextera, * ad perditos salvandos omnes extensa.

Flos est florum; Lilium inter spinas* quae, cum esset parvula, Altissimo placuit; et de suis visceribus Deum genuit et hominem!

Sicut dies verni circumdant te, o Maria, *Rosariorum Serta*, * et Lilia convallium.

Per te, Dei Genitrix, nobis data est vita; * quae de Coelo suscepisti Prolem, et mundo exhibuisti Redemptorem.

Lacte nutritur cibus Angelorum,
  Fertur intactae gremio puellae,
  Qui sua tatae ditione terrae
      Pondera librat.

Gaudium mundi, nova stella coeli,
  Procreans solem, pariens parentem,
  Da manum lapsis, fer opem caducis,
      Virgo Maria.

Benedicta es, o beatissima, in tempore gestationis tuae; * venerabilis et piissima in visitatione et salutatione tua;

Hanc purissimam et immaculatissimam lustrare licet? * et more piari vulgari?

Et quid te nobilius, quidve candidius quidve castius, o Maria? * quae corpus sine corporis contagione genuisti?

Virgo non solum corpore, sed et mente; * cui nullus doli ambitus sincerum adulteravit affectum.

Tu hoc ergo non indiges piamine; * sed tibi pro nobis illud subire libuit, Regina nostra, Filii servans documenta tui,

Quem originalis peccati perferre notas et signa non puduit cruenta, * prima saeva sui argumenta doloris,

Et primam cicatricem, * in teneris inflictam membris.

Benedicta ideo iterum atque iterum sis Verbo foeta, Dei plena; * quia per te visitavit Deus, et salvationem plebis fecit suae.

Et cornu castitatis in domo David erexit pueri sui; * sordes abstergens carnis, noctem expellens mentium.

Benedicta sis in coelo et in terra, * in mari, et in omnibus abyssis.

Benedicta foecunditas sit tua, virginitas et munditia tua; * etiam benedicta sit humilis in Templo piatio tua.

Quomodo ergo ad te non suspirabimus miserorum solatium? * refugium expulsorum, et captivorum liberatio?

Memoriam prodigiorum tuorum de generatione transit in generationem; * potens es, Domina nostra, ad nos sublevandum.

Salutem ex inimicis nobis praesta; * et de manu omnium, qui nos oderunt, pacem nobis tribue.

Misericordiam fac nobiscum pro parentibus et proximis; * et memor sis Testamenti omnipotentis Dei nostri in pace iustorum.

O mater nostra, tua est Christi caro; * ideo a dominatione ipsius dominatio non seiungitur tua.

Deipara virgo, pax eorum summa; * qui bellum intra et extra sustinent.

Serenitas eorum, qui tempestate iactantur; * unicum fidelium praesidium, super nos mitte auxilium tuum.

Et tenebrosa quaeque neglectae domus latibula; * corusco claritatis tuae laetifica fulgore.

Tuique roris abundantia, longo ari-

ditatis marcescentia squalore, * visitando foecunda.

Saucia cordis nostri medullas; * tuique amoris iaculo concrema.

Dextera tua Domine magnificata est in virtute, * quia multitudine misericordiae tuae inimicos profligasti nostros.

De ore liberasti leonis; * et tanquam infantes modo genitos mater suscepisti nos.

Tuam posuimus iucundissimam *Coronam* tanquam signaculum super cor nostrum; * quia fortis est ut mors dilectio tua.

Unguentum effusum et admirabile est *Rosarium* mysteriorum tuorum, * omnibus diligentibus Deum.

Refugium esto in tribulatione pauperum, * quia virtus es miserorum omnium.

Fons conclusus, pellucidissimus, aurifluus; * perennis fluentis vivifici laticis et nectaris.

Divinarum fons illuminationum es tu, * ex quo vita orta est, ascendens de terra ad irrigandum Paradisum.

Urna tota aurea, * quae Deum tanquam manna suscepisti.

Columba tu simplicior
Omni; tutrix humilium,
Salus hominum tutior,
Mundo attulisti gaudium
Enixa Dei Filium:
Omni veneno fortior,
Medicina peccantium,
Siguo serpentis promptior.

Omnia benedicimus aeterni filii tui opera; * et te incessanter ex corde veneramur et laudamus.

Ave Mater dilectionis, sanctae spei et agnitionis, * quae mundo succurristi perdito.

In te gratia omnis viae; in te species veritatis; * et spes virtutis et vitae.

Tu fratres et sorores; tu subditos et maiores * filio repraesenta tuo,

Tu pulcherrima Coeli ianua; tu augustum Dei Templum; * nos canentes fac consortes beatorum civium.

Te beata Trinitas, fons salutis, omnis collandet spiritus; * omnemque tribuat gloriam.

CANTICUM XV.

QUINTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM

JESU IN AEGYPTUM MIGRATIO, ET POST REDITUM INVENTIO EIUS INTER DOCTORES IN TEMPLO.

Ps. 1. *mysterii huius.*

Pater, etc, Ave; etc, Gloria etc

Jesu neci te quaerentem
Regem fugis, saevientem
Caedibus infantiae.

Cunctos me fac declinare,
Qui me possent spoliare
Tuae vita gratiae.

Christum, viri fratres, et Mariam, * in Ægyptum comitemur euntes.

Ipsos, qui ad nos exules Hevae filios liberandos properant, * et antiquum debellandum hostem.

Jesus multos habet regni sui amatores; * sed paucos suae crucis numerat gestatores.

Multi in tempore iucunditatis Jesum sequuntur ad fractionem usque panis; * sed pauci ad calicem passionis bibendum eius.

Egomet in mea natura factus sum similis vanitati; * et dies mei, sicut umbra praeterierunt.

Eripe me, Jesu pie, et libera de aquis multis; * inimicos tange animae meae, et fumigabunt in cinerem redacti.

Protector meus; susceptor meus et refugium es tu; misericors et liberator; * quia prava sub pedibus meis desideria subdis.

Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens; * « Accipe puerum, matremque eius et fuge in Ægyptum. »

Alma Redemptoris mater, Filius ex

Ægypto nos vocat tuus, primo requietis eius loco; ut de manu nos liberet Herodis, et in solitudinis nos collocet pace.

Vox in Rama audita est ploratus et ululatus; * Rachel filios plorans suos, et noluit consolari, quia non sunt.

Vos quoque beati parvuli innocentes et martyres mecum concinite tubis; * et novum *Rosarii* hymnum agite.

Quia quantum in vos iniquitas saevit, * tantum pueruius frater vester Jesus benedictionis per gratiam vobis refudit.

Salvete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices,
Palma, et coronis ludite.

Amor mundi allicit et decipit; * peccati amor polluit, et ad mortem adducit.

Amor Dei mentem illuminat, conscientiam reficit; * et animam vivificat.

Spiritus Diaboli gaudium operatur iniquitatis; * et mundi spiritus vanitatis et ambitionis gaudium.

Mala gaudia occasionem culpae habent, * saepiusque noxia, criminosa, et crudelia sunt.

Ambitionis gaudium surdum reddit hominem miserorum eiulatibus et etiam infantium; * et est omnis saevitiae atque immanitatis teterrimum.

Contrarietas culpae facta est hominis poenae pondus; * ut corruptioni suae male liber serviat, qui bene servus de incorruptionis gaudebat libertate.

Pater etiam et mater generis primordia nostri, * maxima stultitiae signa dedere suae.

Quid simulasse iuvat? semel insanivimus omnes; * ingenua humani stemmatis illa est stultitiae nota.

Et Salomon ipse tactam sentit vertigine mentem; * dum castam insano vertit amore domum!

Solummodo Dei spiritus, tabernaculum intrans cordis nostri, malos eiicit spiritus; * amoremque saeculi mundat et peccati.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui Templum visitavit suum: * fecit, et praedicavit in Templo redemptionem plebis suae.

Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis; * dubios mortis dirigens casus, nec perferens dolosos hostes inhiare luultos.

Effundamus ideo in virtute sua mundi amaritudinem et peccati; * ut de Spiritu accipiamus ipsius, qui amoris Spiritus est, innocentiae, et munditiae.

Amor et Spiritus sancti gaudium super nos descendat moerentes; * corda inflammet nostra; nostrasque dirigat mentes.

O Regina sidereo redimita *serto*; quae potenti nutu regis Orbem; * nostris tu sis mater medicina malis.

Tu mater almi Numinis praebe medelam sauciis; * qui fusis lacrymis fontem salutis invocant.

Tu foeda sanas vulnera; labesque tergis criminum, * collapsos rursus erigis; reddens salutem perditis.

Ad astra, quamvis asperam, tutam tu sternis semitam; * nec error tamen abripit, quos ducis ad vitam et regis.

Ex hac ima valle manibus ita mater, aeternis decorata *Sertis*, * omnes jubilantes in terra viventium concomitaris tuis.

Laevam pone tuam sub capite etiam meo; * et me infirmum dextera amplexare tua.

Adstringe me vinculo amoris tui; * ne permittas me unquam separari a te.

O felix Ægyptia tellus, * post visitationem Jesu et Mariae innumeris floruisti solitariis et coenobitis.

Avete solitudinis, claustrique mites

incolae ; * qui pertulistis impios coetus furentis Tartari.

Gemmas et auri pondera, et dignitatum culmina calcastis ; * et foedissima, quae mundus offert gaudia.

Rebus procul mortalibus mens advolabat fervida ; * Divumque iuncta coetui, haerebat inter sidera.

Nunc Trinitatis gloria aeterna circumplectitur ; * vos aura matris virginis mulcet piis favoniis.

O Inclytae propagines, in valle moesta debiles vestros iuvate fratres ; * nos roborate surculos.

Summae Trinitati laus et honor ; salus sit et vita, decus et imperium ; * nosque supernorum civium in numerum adsciscat.

CANTICUM XVI.

Psal. 2. Jesu in Ægyptum migratio et post reditum inventio eius inter Doctores in Templo.

Jesu mater ut absentem
Doleas quaerit, te docentem
Templo gaudens reperit :

Felix qui te custodire,
Vel amissum reperire
Mox quaerendo poterit.

Pugnaverunt eum Agno qui Ecclesiam persecuti sunt Dei ; * haec pugna coepta est a primordiis mundi in Cain et Abel.

Extendit impius adversum Deum manum suam ; * et contra Omnipotentem roboratus est.

Abscondita est in terra pedica eius ; * et decipula illius super semitam.

Et vae coecis oculis, qui in hoc discrimine te non vident, * et Jesum non invocant Dei filium.

Christus in quo visibilis stat Patris gloria, et potentia maiestatis, * sol est illuminans Coelum et Terram.

Et vae caligantibus oculis, * qui claritatis tuae faces videre non possunt.

Nec non avertentibus oculis, * ut virtutem non videant tuam ;

Et non avertentibus vae tandem etiam ; * qui callide et pervicaciter iustitiam et veritatem persequuntur tuam.

Sed vidi impium arroganter exerere caput ; * pertransivi, et non amplius locus erat eius.

Nullum, viri fratres, est superbientium consilium contra consilium Dei, * Deus regnat ; Deus imperat, vincit Deus.

Quid profuit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuvat?
Unus, tot inter funera,
Impune Christus tollitur !

Inter coaevi sanguinis
Fluenta, solus integer,
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis !

Candidatam plebem imbellis infantiae ei offerre meruisti, o Bethlem ; * quae sublime martyrii meruit inchoare canticum.

Sanguis eorum effusus fuit, sicut aqua, in circuitu Hierusalem ; * nunc benedicunt, et in aeternum nomen laudabunt nati Jesu ;

Empti fuerunt ex hominibus primitiae Deo et Agno ; * et sequuntur eum quocumque vadet.

Omnia opera tua, Domine, benedicunt tibi ; * et multitudo innocentium te collaudat, et in Coelo glorificat.

Interim pia mater te et Puerum tuum ad caedem quaesitum Ægyptia excepit tellus ; * quo, Coelo iubente, migrasti cum Josepho sponso tuo.

Defuncto Herode iterum Angelus apparuit Joseph in Ægypto dicens : « * Accipe Puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel ».

Jesus sapientia proficiebat et aetate, * subditusque Josepho erat et Mariae.

Sed post hunc reditum ex peregrina terra, cum duodecim esset annorum, * Joseph et Maria omnes urbis lustravere vias ;

Acuto rimantes intuitu notas sedes; amicos coetus; * gementes, et ipsum quaerentes amissum Jesum.

Desine afflicta perquirere Mater; * incassum tua cura laborat;

In Templo reperies eum, * cum legis mosaycae magistris disputantem.

Salve mater, quae omnium peperisti vitam; * et quae antiquas Prophetarum praedictiones ad finem perduxisti.

Nos oblacrymas tuas flevimus ipsi; * nos eadem nunc inventionis Filii tui gaudia tangant.

Suscipe clementissime Deus pro nobis laudes et gratiarum actiones, * quas tibi Maria obtulit, quando Jesum Filium tuum in Templo reperit.

Ipsa est promptuarium Providentiae tuae; * et Alabastrum unguenti nostrae sanctificationis.

Ipsa nobile triclinium totius Trinitatis; * et turris Libani cum propugnaculis in nostram defensionem.

Salve Paradise deliciarum; ad te semper, o beniguissima, confugimus; * te enim solam in adversis securam habemus anchoram.

Apex nostri gaudii; refugii horte; insanabilium medicina vulnerum; * nostrorum gemituum cessatio et consolatio intercede ad Dominum;

Si deviuserror nos aliquando rapit; * mentis concede regressum ad Natum, pia virgo, tuum;

Virginibus castitatem impetra; conjugatis sanctimoniam; * viduis protectionem et pupillis.

Pauperibus substentationem; consolationem lugentibus; * peregrinantibus reditum;

Justis perseverantiam; mihi veniam; * et nobis omnibus cum bonae mortis gratia aeternam vitam.

In tui patrocinii cura haec omnia, pia Mater, recumbunt; * sine te sospes erit nullus et tuum est hoc munus obire.

Casta virgo, te fluvius voluptatis irrigavit Paradisi, dum Filius Dei corpus habitavit tuum; * tunc nostra donavit fructum terra uberiorem;

Et naturam reformavit nostram * Deus in melius.

Geminae gigas substantiae, inopiam nostram sua supplens abundantia; * et insufficientiam adimplens.

Mariam viri fratres cogitemus virginem et matrem; * Mariam laudemus, oleum effusum est nomen eius.

Jesum et Mariam in confusione invocemus mentis, in conscientiae perturbatione; * in abysso desperationis.

Domine Deus Pater omnipotens * tu qui largiter donas etiam non petentibus, in adiutorium intende meum.

Exurge, et ob retributionem *Rosarii* huius, peccatis ignosce meis; * pauper enim ego sum et contemptus;

Et ob Mariae puritatem, tu qui Ananiam, Azariam, et Misaelem illaesos in flammis custodisti; * me peccatorum nexibus obvolutum velut de voragine eripe ignis.

O Deus, aut nullo caleat mihi pectus ab igne; * aut solo caleat legis amore tuae.

Virgo purissima, micantibus decorata *Sertis*; * comprime in me excitos concupiscentiae fluctus.

Criminum flammas, * operumque superem carnalium incendia.

Tibi sic Uni, Trinoque Deo, qui vitam sine termino nobis donas in patria, * gloriae *Coronam* canam sempiternam. Amen.

CANTICUM XVII.

Psal. 3. Jesu in Ægyptum migratio, etc.

Salve o Maria, Altissimi throne; * Ecclesiae decus, gloria, et firmamentum;

Ave tabernaculum Dei non manufactum; os Ecclesiae, Apostolorum sapientia; * et Martyrum fortitudo.

Sceptrum orthodoxae Fidei; * interemptrix universae haereticae pravitatis;

Omne datum bonum, et omne donum

perfectum de sursum a Patre luminum * per te nobis descendit.

Tenebricosae animae nostrae splendidissima lampas; dubitationis nostrae directio; * et debilitatis nostrae potentia;

Relevatio nostra es tu, dum tristis premit pavor, * et dum dolor ima occupat cordium.

Super aquas refectionis errantes nostras congrega animas; * et adduc tecum cum Filio tuo in Ægyptiam requietem.

Laetati sumus in te, o Regina Coeli,* quia in domo Dei tui optabile nobis reservasti hospitium.

O Maria, si per te omnia ad eum diriguntur opera; * desideria, et exilii aerumnae;

Et si nos fugitantes recipis ab huius mundi illecebris, * erimus sicut Angeli Dei.

Suavis spes consortii tui relevatio est taediorum nostrorum, * et stationis huius moeroris.

Nostrorum consolatio desideriorum* faucibus lingua adhaereat nostra, si semper in *Rosariis* nostris non meminerimus consortii beatissimi itineris tui.

Et ut te ponamus in principio omnis laetitiae nostrae nobis gratiarum impetra munera, * ad obtinenda gaudiorum praemia.

Trahe ergo beata Mater nos post te;* et nos tecum simul in domum Domini ibimus.

Eu sponsus tuus Joseph, nati tui putativus Pater, quaesitum ad caedem protinus amplexatus; * et ad exteras Ægypti plagas profugus sequitur.

Niliacas, Coeli monitu, fugitivus in oras, * per hybernas cogitur ire nives:

Osis, et Osiris, et omnia falsa in eius accessu * obruuntur undis Numina Nili.

Dum innumeris infantum caedibus hostis perfurit Herodes; * divinum quaerens interficere Mariae Filium.

Fumant lacteolo parvorum sanguine cunae; * vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

Laniabantur, * et lac cum cruore candentia fundebant abrupta membra.

Nesciebant ipsi tacere; * quia nondum formidare didicerant;

Matres in sinu abscondere volebant;* et ipsi sese vagitibus publicabant infantuli.

Ipsarum in gremio fundunt ex ore sanguinem; * qui modo lac fuerat candentis donum papillae.

Puerorum questubus matris miscebatur ploratus, mortis comes et funeris atri; * et ad coelum munda volitabat oblatio innocentium.

Et te etiam Virgo, * Ægyptiae texere latebrae.

Posteaque, sublata formidine mortui hostis, peregrinas reliquisti plagas; * et secura ad Nazaream remigrasti sedem.

O pia mater, bis senos quando filius tuus numerabat annos, * eum amisisti.

Tertia aderat dies, et nondum repereras eum, * qui responsa in Templo, laeto magistris reddebat ore.

Joseph et Maria vident sedentem, et sciscitantem, * legis vacantem dogmatis.

Stupuere dictis, * et profunda parvuli responsa mirati sunt Senes.

Tunc mater; * « Ecquid nostra tan-
» tis anxia curis dedisti pectora? »

« Dum te dolentes urbe tota quaeri-
» mus, * vias remensi saepius? »

At ille, * « Quae me cura verset, ur-
» geat, rescire nihil est pronius. »

« Quo iura Patris, * quo volentis a-
» vocant praecepta, Lex et gloria »

« Illic oportet iussus adsit Filius; *
» et sacra cunctis praeferat: »

« Haec venit ut curaret; haec ut pan-
» deret; * haec ut referret omnia: »

« Frustra labores sciscitando insumi-
» tis; * me sola Patris detinent. »

Parentibus pergit comes tum Nazaret; * subiectus illis caetera.

Laetantur, annis quod Puer dum proficit; * Lux alta mentis emicet.

Salve, sancte Joseph, etiam tu amissum quaesivisti Solymis, et in Templo invenisti; * miscens gaudia fletibus cum matre eius.

Eia mater; * eia sancte Joseph, ille Patris summi iussa facit, causas et iura tuetur: * atque aperit libris sensa reposta sacris.

Bona mater, semel tibi contigit, et sine culpa, natum amittere tuum, * nos saepe scelerum noxis amittimus ultro;

Nec ulla, * quod peius, cura amissi subest, nec ulla voluntas quaerendi tenet nos nocentes.

Stulte et inique egimus; peccavimus, et nihil deferre possumus ad nos excusandos; * iram, non indulgentiam meremur;

Si toti vertamur in fletum; * et nequaquam guttae sint lacrymarum, sed abundantia fluminis, non satis flevimus.

Et tamen lacrymae sunt peccatorum lotio; * et mundi piamentum.

Itaque, Domine, cito in nobis misericordia tua justum superexaltet judicium tuum, * quia ipsa est super omnia opera tua;

En pro nobis *Rosarium* accurrit, * pietatis plenum, unctionis, et charitatis oleo:

Pacem et indulgentiam de excelso gloriae tuae throno nobis impetret; * palmam de inimicis et triumphum.

Sic, bone Deus, clementiam in nobis infunde tuam; * ut devoti vivamus *Coronam* recinentes mysteriorum tuorum; et laetantes moriamur;

Per Christum genitum summe Pater tuum,
 In quo visibilis stat tibi gloria:
 Qui noster Dominus, qui tuus unicus
 Spirat de patrio corde, Paraclytum;

Per quem splendor, honor, laus, sapientia;
 Majestas, bonitas, et pietas tua,
 Regnum continuat, numine triplici,
 Texens perpetuis saecula saeculis.

CANTICUM XVIII.

Conclusio hujus primi Rosarii Coronae.

Perieram, Domine, abieram; in peccatis venumdatus eram; * venisti pro me, ut me redimeres; et ut Sanguinem tuum in pretium dares.

Dilexisti me, Domine, plusquam te; * quia nasci, in Templo praesentari, circumcidi, et legis Doctores pro me confundere voluisti.,

Pati postmodum; * et pro me mori!

Tali pacto, tam caro pretio redemisti me de exilio, * lumine tuo ab oculis meis ignorantiae dispulisti caliginem;

Redemisti me de servitute; * de supplicio retraxisti;

Sanguine me signasti tuo; * ut memoriale tuum nunquam e mente decideret et corde meo;

Et tecum me adducens et reducens de Ægypto, * in terra me collocasti lacte fluente et melle.

Dulce nunc mihi sit semper de te loqui, cogitare; * semperque *Coronas mysteriorum* sacratissimi recinere *Rosarii tui.*

Gratiasque ex tota agere anima; * totis cordis mei medullis, omniumque compagum mearum.

Beata dulcedo, Domine Jesu, * omnium qui ita vel similiter delectantur in te.

Tu universorum finem consideras; * quoniam in omnibus, quae agimus, finem intentionis magis, quam imperfectae attendis actionis.

Infunde ideo Spiritum tuum rectum; * quia timore pariter, et ingenti perfundor rubore, cuncta faciens ante oculos Judicis omnia cernentis!

O Lux omnem obtenebrans lucem; * o Lumen, a quo omne lumen;

- Lux Superna, quam coecitas non obnubilat; quam caligo non hebetat; * et quam nullum claudit obstaculum.

Quae omnia simul illuminas et semel, absorbe me in claritatis tuae abysso * ut in omni opere te in te videam et me in te; et cuncta subverte.

Ne dereiinquas me; * ne ignorantiae umbra et arrogantia sensus fatiscat canticorum meorum.

Cor nostrum, viri fratres, vanum est; * vagum et instabile;

Dum suo arbitrio ducitur, et divino caret consilio, * in seipso consistere non potest;

Omni mobili mobilius per infinita distrahitur; * et huc, atque illuc per innumera discurrit;

Requiem per diversa et extraneas quaerit regiones, nec invenit; * imo in questu inani et labore, a requie excluditur aeterna.

Sibi non convenit ipsi; a seipso dissonat et resilit; * voluntates alternat et consilia mutat;

Nova aedificat, vetera destruit, destructa reaedificat; * eadem iterum atque iterum alio mutat, et alio ordinat modo.

Velociter, sicut molendinam, volvitur; * et nihil a se respuit;

Quicquid ei imponitur molitur; * si autem nihil opponitur, consumit.

Vanitates recipit, et in profundo condit, * cupiditates, voluptates, iracundias et tristitias; totumque se conterit et deperit.

Sic omnibus involvitur vitiis et peccatis;* et miseris submergitur casibus.

Et unum Deum, unum Dei cor, quod ei sufficere poterat; * et unum Mariae, omnium iucundissimum, dimittit et abhorret.

Ita saepe saepius et nos Jesum amisimus; * nec unquam anxii et dolentes, sicut Joseph et Maria, quaesivimus eum.

Eia, Domine, suavis et erga nos patiens, * nostrum tandem ad te suspiret cor.

Tuoque succensum amore,* orthodoxe tibi soli serviat et complaceat.

Et in miserationibus tuis omnia disponens, aperi nobis cordis tui delicias; * et dulcissimae matris tuae cordis.

Per ubera obsecramus, quae suxisti lacte de coelo plena, * salva nos a cordis nostri duritia.

In tua voluntate virtus est salutis nostrae; * et in patrocinio *Coronae* matris tuae est efficaciter perficere.

Cordibus imperet nostris Jesus Joseph et Maria; * nos Jesu, Josepho, et Mariae nostra libenter resignamus corda.

Dum ipsis, viri fratres, coniuncti non sumus, in nobis semper divisi erimus; * nobisque rebelles et contrarii.

Si spiritu vivimus, * spiritu et ambulemus.

Non inanis gloriae, et divitiae efficiamur cupidi * invicem provocantes, invicem invidentes.

Jesu et Mariae cordi per charitatem coniungimur, * et per humilitatem subiicimur, per puritatem et vanitatum omnium contemptum.

Ita in coelesti patria illa beatorum agmina unum habent velle, unum et nolle, * unitate mentium et cordium fruuntur in gaudio.

Tu o Maria quae corda mortalium abripis, * cur non meum rapis cor, et in tuo condis corde?

O Maria placuit cor tuum omnium Conditori cordium, * ideoque anima deficit mea ad delicias cordis aspirans tui.

Cor tuum hortus aromatum est; * et incorruptionis fons;

Ideoque, sicut pullus, desuper volitante Milvo, ad gallinae accurrit alas,* ita anima desolata mea sub cordis tui alis sese abscondit, et canit;

Undique mundus, terra, polusque, pontus et aer, * ipsaque Coeli Regia cultu, virgineaque laude resultet.

Illius ardor corda sinusque * meos occupet omnes.

Te clemens, o Trinitas beata, prona Mundi adoret machina; * et ego novum, per gratiam, Canticum tibi canam. Amen.



SS. CROCEFISSO

Redemisti nos Domine in sanguine tuo
et fecisti nos Deo nostro regnum.

A.P. Roma Via di S. Pantaleo N.° 14.

ROSARIORUM SERTA
MYSTERIA DOLOROSA

CANTICUM XIX.

SECUNDÆ HUIUS CORONÆ

PRÆLUDIUM

Pater, etc. Ave, etc. Gloria, etc.

Jesu, vili te vendentem
Cerno Judam, et prodentem
Deum pro pecunia !

Jesu Pascha cum fecisti
Tuis cibum te dedisti ;
O stupenda charitas !

Panis vive me conforta,
Ne me vincant fors adorta
Mundus, caro, Satanas.

Amodo, viri fratres, ad pacem inquirendam accedamus cordis contritione ; * ipsum advocantes, qui saevos pro nobis sustinuit dolores;

Exaltatus a terra Christus * nos Christianos ad alta vocat.

Prompti, fidi, securi invitantem salutis signo sequamur; * sospitantem Crucis praesidio, et excitantem sequamur mortis exemplo.

Humanae malitiae portentum, * simul et divinae misericordiae prodigium contemplemus, admiremur.

Propterea nomen advocemus Jesu ; qui pro nobis patitur ; * dulce et admirabile nomen.

Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ; * et elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut vita capitis membrorum esset Corona.

Habemus equidem accessum per Filium, * in uno Spiritu.

Genua ideo flectamus ad Patrem domini nostri Jesu Christi ; * ut nobis Redemptionis det Filii sui fructum.

Et secundum gloriae suae divitias,* virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine.

Ita nobis, et Electis omnibus ; * secundum suam praescientiam in sanctificationem Spiritus; in obedientiam, et Sanguinis Filii sui aspersionem.

Domine Jesu, suavis et mitis, multumque nobis misericors, * memento, quod nascens te ipsum nobis in edulium dedisti ;

Moriens in pretium ; * et regnans in praemium donas.

Advocemus viri fratres et Mariam; * dulcem et admirabilem super omnia Sanctorum agmina.

Ipsa, quae meruit pro liberandis proferre pretium, * potest magis quam omnes liberati, suffragium impendere.

Revertere ad nos, beata Mater, remedia conferens, * fortitudinem ponens.

Tabernaculum securitatis est cor tuum a Domino fabricatum; * in quod solus ingressus est Deus, sacra mysteria pro nostra in te operaturus salute.

Ideoque fons tu es indeficientis laudis et pietatis ; * quae quanto protenditur amplius, tanto plus impletur ; et

magis dilatatur, quanto impletur amplius.

Tu aromatum areola et *Rosarum*; * ex qua Iustitiae odor ortus est; et omnium sanctorum iucunditatis *Corona*.

Mirificum es opus; * quod solus supergreditur opifex.

Salve o septenis gladiis transfixa doloris; * et quis nobis det gemino de lumine ducere lacrymarum fontes, dum tua conficit viscera Virgo dolor?

Tibi nos nova conferimus cantica; * *Rosarium* dolorum psallentes tuorum;

Et ante conspectum populorum omnium et gentium, * mirabilia quae pro nostra compassa es salute.

A te coepta fluent quae gerimus; * comes sis, mater, trepidi dum doloris terimus vias;

Ut sis ipsa nostris palma laboribus; * lumen consiliis, metaque cursibus.

Et magnus es tu, Domine noster; * Fortitudo magna est tua; et sapientiae non est numerus.

Multitudinem numeras stellarum, et omnes nominatim vocas; * et nutu tuo Angelorum prodeunt agmina.

Millia millium ministrant tibi; * et decies centena millia tibi assistunt omnipotenti;

Et mandas eis, ut mansuetos protegant ad salutem; * et eorum offerant orationes in conspectu maiestatis tuae;

Ut usque in terram peccatores humillient; * et sanent corde contritos, vulnera alligantes eorum;

Et ut per synderesin et flagella corripiant nos; * et omnem nos scientiam doceant.

Mandasti eis, ut Ecclesiam regant; * et custodiant tuam.

Intelligamus, Domine, quantum nobis fuerit honor, dum Angeli tui sicut amicis nobis ministrant; * et quasi servire videntur.

Dum te cum Angelis laudamus et benedicimus tibi; * iucunda fit et decora perennis nostra inbilatio.

Ita terrenam Hierusalem tuo fundatam Sanguine, * in magnificentia praeparasti misericordiae tuae;

Et in virtute regis tua; * ut per eam coelesti impleatur fructu benedictionis tuae;

In qua omne opus possidentium de aeternitate est laus sine fine tua, sine defectione, sine labore; * et sine gaudii termino.

O beata pacis visio et speciose fundata ut in aeternum duret; * sicut a Patribus audivimus nostris.

Et sicut nos ipsi, in pietate Redemptionis tuae, * videre speramus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris Gloria,
Respersa Sponsi Gratia,
Regina formosissima,
Christi iugata Principi
Coeli corusca civitas.

Et ista sedes coelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unum,
Iugis canore praedicat;
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

Hanc, inter omnes civitates, dedita opera, nos Domine in optabilem eligimus domum; * et haec requies in saecula erit nostra.

Quoniam lumine ineffabili indeficientis lucernae sancti viget Spiritus; * et aeterna in ea celebratio floret regni Dei nostri omnipotentis.

Domine Deus noster, qui in statera crucis pretium nostrae aeternae appendisti salutis * mirifica nunc super nos misericordias tuas.

Gratias et gloriam interim Deo tribuimus Patri, qui dignos nos fecit participes sortis Sanctorum in lumine; * in regnum nos transferens Filii dilectionis suae;

Gloriam et Paraclyto, Filioque; * qui suum dedit Sanguinem, pretium salutis nostrae. Amen.

CANTICUM XX.

PRIMUM MYSTERIUM SECUNDAE CORONAE

JESUS ORANS IN HORTO GETHSEMANI

Psal. 1. Mysterii hujus.

Pater, etc; Ave, etc; Gloria, etc.

Jesu sanguine sudabas
Orans horto, cum te dabas
Patris in arbitrium.

O si cor des resignatum,
Et quod semper sit paratum
Duci per imperium.

Non cithara, viri fratres, festivis animata modis, non nostrum hodie Plectrum; * sed moesta rauco intonet aere buccina passionis cantica Christi.

Domine Pater omnipotens, intret in conspectu tuo oratio mea; * quia tribulatio et angustia invenerunt me;

Illumina faciem tuam super servum tuum; * ut salvum facias in misericordia tua.

Peccavi, Domine, damnationem merui; * et mea non sufficit ad salvationem poenitentia.

Ecce Satanas expetit; * ut me, quomodo triticum, peracriter cribret;

Si non potest hic calix a me transire nisi bibam illum, * non mea, sed tua fiat voluntas.

Hoc pro certo habet omnis qui te colit; * quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur;

Si autem in tribulatione, liberabitur; * et si in corruptione, ad tuam licebit accedere misericordiam.

Non enim in perditionibus delectaris nostris; * et post lacrymationem, exultationem infundis.

Placare, Domine Jesu, obsecro, * et miserere mei;

Faciem a me non avertas tuam; * qui pro me redimendo ab increpantibus non avertisti et a conspuentibus.

Ubi sunt antiquae misericordiae tuae, quae omnem exsuperant offensionem; * numquid irasceris mihi in finem vitae meae?

Trepidus ecce et confusus, supplex sto; * et tibi obtestor *Coronam* recinens Passionis tuae.

Noli, piissime, adversus me, amaritudines scribere meas; * sed potius in rubro vultus tui sudore animam dealba meam.

In horto Olivis consito
Redemptor orans procidit;
Moeret, pavescit, deficit,
Sudore manans Sanguinis.

Post Eucharisticas sacras epulas, * pedes Jesus Apostolis lavacro abluit suis;

Et dum tenebrosis adhuc nigra nox polo incubat umbris; * hymno dicto, egreditur e coenaculo, comitantibus illis.

Ad hortum tendit Gethsemani; * genua ter solo defigit; * ibique o quas pro nobis perfundit preces!

Sponte sua morti se obtulit, * et consummare passionem voluit.

Interim pavores, taediaque mentem subeunt; * et sanguinis toto manant corpore rivi!

« Tristis, aiebat, anima est mea usque ad mortem; * attamen sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio».

Angelus apparuit illi, confortans eum; * et cum surrexit ab oratione, Discipulos invenit dormientes suos!

Benedictus es, Domine Jesu, qui tam salubri terram aridam pluvia de tuis irrigasti venis; * quae prius rhamnis scatebat et sentibus.

Et in aeternum benedicendus, * quia nunc pretioso tuo irrorata Sanguine flosculos germinat fragrantissimos;

Et fructus affert suavissimos, * ad Beatorum sedes, procreatione filiorum, incolendas.

Nam in tuo quicumque per poenitentiae Sacramentum proluit Sanguine stolam, abstergit maculas; * et candi-

dum inducit deous, quo protinus angelis sit similis.

Dic mihi supplici tuo, mihi pulveri et cineri; * misericors dic misero tuo: « remittuntur tibi peccata multa. »

Misericors et miserator intona desuper voce grandi in interiore cordis mei aure * « salus tua ego sum. »

Fortissime Deus Spirituum, et universae carnis, a cuius conspectu coelum fugit et terra; * et ad cuius nutum omnia se subiiciunt elementa, ne derelinquas me;

Fecisti me, cum non essem, redemisti me, cum periissem; * mortuus fueram, et ad mortuum descendisti;

Et pro meo reditu ad vitam mortalitatem suscepisti; * mortem vicisti; et me instaurasti!

Tecumque, Mater tua, * compassa pro me est.

Anima mea invoca Mariam, cuius si tanta, dum in hoc mundi diversorio vixit, fuit pietas; * quanto maior erit dum in Coelo regnat!

Te Redemptoris dominique nostri
Dicimus matrem, speciosa Virgo;
Christianorum decus et levamen
Rebus in arctis;

Saevitant portae licet Inferorum;
Hostis antiquus fremat et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras;

Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece, quas vocata
Annuens Virgo fovet, et superno
Robore firmat.

Iris pacis es tu, et Arcus sempiterni foederis; * quae Dei mitigas iudicium et sententias contra nos confitentes peccatores.

Ave virgo vitae via; salve mundi spes Maria; * cuius legem cor rimatur; os Sophiam meditatur.

Ave virgo specialis, fove tuis me sub alis; * sede fruar ut amoena, et quiete pace plena.

Tu Trinitas et Unitas, quae cunctis imperas; * Filia rogante, tua, ad litus nos adduc Patriae.

CANTICUM XXI.

Psalmus 2. Orationis Jesu Christi in horto Gethsemani.

Jesu Lupis tradebaris,
Sed ut ovis ducebaris
Mox futurus victima.

Omnis expers sim rancoris,
Sed affectum fac amoris
Cordis gerant intima.

Jesu tractus per furentes
Tuos cernis fugientes
Quis non tecum plangeret?

Fac adversis nos instantes,
In secundis non nutantes,
Nil a te nos separet.

Bone Jesu in bonitate tua possidens quae coeli continentur ambitu, Dominum te profitemur vitae, et mortis; * peregrinationis et gloriae nostrae.

Tu qui prope ades his, qui tribulati sunt corde et humilibus spiritu, * querelas paulisper audi meas.

Respice ad me oculis miserationis tuae, et adiuva me; * quia iniqui animam persequuntur meam, et ad exinanitionem redigunt eam;

Tibi improperium cognitum est meum; * confusionem, et verecundiam super me inductam quibus suffundor;

Quotidie sicut Aranea anima tabescit mea; * iustum est a me maximas sumere poenas.

Fodinas divitiarum dereliqui omnium; et dulcium aquarum fontes, * propter quisquilias et dissipatas cisternas;

Abire in longinquas malui regiones; alienigenis adhaerere; stercora amplexari; * et nudus frigore tabescere et fame.

Jesus pedes lavit discipulorum, et dixit eis; * « surgite, eamus hinc, ut » cognoscat mundus, quia diligo Pa» trem; et mandatum exequor eius. »

Aspice, Pater piissime, Filium tu-

um pro me tam impia passum * nostra illi solum culpa causa tantorum fuit molorum.

Tristis orat in Gethsemani, non pro sua passione, * sed pro mea dispersione.

Hic filius est ille tuus, * quem meae voluisti infirmitatis esse participem;

Et quem propter peccata percussisti mea; * licet ille sit dilectus, in quo tibi bene complacuisti;

Ecce deficit languens; * infususque algens totos tremor occupat artus;

Cruentus fluit sudor, atque guttis terra madescit; * hoc magno pondere oppressus labatur Jesus.

Proh! pietas, et ipse ego sum huius lapsus pars maxima tui; * et tu mea lavas crimina Sanguine!

Venite quotquot criminum funesta labes inficit; * in hoc salutis balneo qui se lavat mundabitur.

Et etiam Pater sancte nunc filiam aspice tuam, et Jesu Christi matrem alta ducentem suspiria; et in fletibus exuberantem.

Flagrabat immensa aestuante Charitate, * pro nostra salute, simul cum filio, perfundendi vitam.

Rosae martyrum circumdant te, o Maria; * et virginum lilia thronum ambiunt tuum.

Lacrymabile est quod cerno; * sed simul triumphale quod tu et Filius sustinet tuus.

Propterea cum dolore amoris gaudium coniungo; * cum lamentis vota confundo et preces;

Et quaerens in te aeternae salutis initia, * in hoc sumo mysterio novae vitae principium.

Certe, o Maria, peccatorum aditus es ad thronum gratiae, * et iustorum gaudium.

Ab omnibus misericordiae vocaris mater; * et vere misericordia Dei misericordem te fecit.

Et nos miseri subditi sumus tui, Regina misericordiarum; * quia unica haereditas nostra, misericordia Dei est.

O filia Patris tui dilecta, qui te interveniente, dignatus est particeps fieri infirmitatis et miseriae nostrae; * is compassionis participes et gloriae faciat nos tuae.

O benedicta superadde mihi vigilantiam in natura domanda; in gratia fovenda; * in lege servanda; in salute acquirenda.

Discam, quam tenue sit, quod terrenum est; quam grande, quod divinum; * quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum,

Obtine mihi, ut quotidie integrum *Rosariorum Sertum* recinens tuorum; * ad mortem me praeparem;

Judicium perlimescam, Infernum effugiam, * Paradisum obtineam.

Ave mater humilium,
Superis imperiosa,
Deitatis domicilium;
In hac valle lacrymarum
Da robur, fer auxilium,
O excusatrix culparum.

In Scripturis figurata
Multis locis ostenderis,
Ænigmatibus monstrata,
Sacris ut patet litteris;
Testamenti iam veteris,
Et novi iure praelata
Mulieribus caeteris;
Super omnes elevata.

Non mihi, Domina, sed nomini da gloriam excelsi Dei tui, me salvans; * et mecum omnes, qui sese meis commendant orationibus.

Creator omnium unxit te oleo laetitiae prae consortibus suis; * ideoque propriam existimat gloriam tuam.

Omnes de te loquuntur, te exaltant; te creaturae invocant; * Lex clementiae in lingua tua; et nihil potentiae voluntatis obsistere potest tuae.

Divinae pietatis abyssum * tu aperis cui vis, et quomodo vis:

Si nostras aspicis plagas; * non potest tua pietas tuum retardare iuvamen.

Veni, Domina, propera mater; et

balsamum pii tui dilecti Samaritani administra nobis.

Sit Deo aeternum decus omne per aevum,
Qui pius nostri generis Redemptor;
Criminis labem, miseris nocentem,
Sanguine tersit.

CANTICUM XXII.

Psalmus 3. *Orationis Jesu Christi in horto Gethsemani.*

Jesu vinctus accensaris,
Quin et sites dum culparis,
Irae procul motibus.

Fac me linguam refraenare,
Sensus omnes et purgare
Pravis ab affectibus.

Jesu Petrus te negavit
Sed flens crimen expiavit
Tuae vi clementiae.

O si nunquam te negarem,
Vel me reum mox purgarem
Fletu poenitentiae

« In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum * hoc erat in principio apud Deum. »

Ergo Verbum principium est, et rerum omnium finis; * in eo omnia; propter ipsum omnia; secum omnia.

Tu Christe in sinu Patris, Verbum aeternum omnia potens; et tamen nostra caro; * imago et substantia nostra; frater, Sponsus, et Salvator noster.

Tu Christe parvus infans, amabilis nimis, et tamen es Verbum Dominus; * plenus veritatis, plenus Gratiae et Majestatis.

O facilis pietas, ne nos servile teneret, peccato dominante, jugum; * servilia summus membra tulit Dominus!

Primaque ab origine Mundi omnia qui propriis vestit nascentia donis; * exiguis habuit tantum velamina pannis.

Quaeque procellosi non mobilis unda profundi, * terrarum non omne solum;

Spatiosaque lati non capit aula poli, * puerili in corpore plenus mansit, et angusto Deus in Praesepe quievit!

Nec satis! trepido orans concussus pavore in terram prosternitur; * et toto porrecto corpore, ore recumbit prono.

Prope erat moriens cum super eum scelerata Satellitum supervenit phalanx; * et laternis, fustibus, gladiis, vinculisque eum impetit ad capturam.

A noto ducta amico, qui ingenuam violaverat Fidem; * et vilissima jam vendiderat eam mercede Mammonae.

Factus ipse desertor, qui erat Discipulus, et nuper conviva receptus, * in sacra discubuerat mensa;

Nunc complexibus et osculis, capturae magistri * traditor praeest.

« Quem quaeritis? » dixit eis Jesus « ego sum... » et abierunt retrorsum, cadentes in terram.

A proditore traditus raptatur in poenas Deus; * atque vinctus nexibus, verberibus cruentis caeditur!

Ligaverunt te in horto ut impium; * te Dominum majestatis conspuerunt;

Proindeque condemnarunt; * ut inter Latrones medium te in patibulo affigerent crucis.

Amicus tuus Judas, mercator avaritiae pessimus, osculi signo te tradidit; * consummavit Deicidium, et laqueo sese suspendit.

Totum recurret per orbem sui sceleris fama; * quem nulla delebit vetustas.

Exolvisti, Domine Jesu; * quem non rapuisti;

De condigno pro me usque ad ultimam Sanguinis satisfecisti guttam; * et copiosa est apud Patrem Redemptio.

Redde te mihi Deus meus; en tuam recino *Coronam*; * amo te, tui flagrans desiderio.

Et si parum est, amplius amare cupiam; * ut validius *Rosarium mysteriorum* canam tuorum.

Anima te quaerat mea Deus totius consolationis; quaerat, et inveniat, et diligat; * et, qua valet virtute, adoret ei laudet.

Tu, qui totus totum tenes; * cunctaque illustras et possides;

Qui omnia portas sine onere; omnia reples sine inclusione; * reddens debita nulli debens; donans debita, nihil perdens;

Nec inops, nec avarus, * tamen gaudens lucris usuras exigis;

Et bona hominum opera, tuae Gratiae effectum, * lubentissime accipiens, majora largiris ipsis;

Nos tuo praeveni et adjuva auxilio, quo bona faciamus opera; * et amplissimas tuas mereamur retributiones.

Sana cordium nostrorum contritiones; * et humiles, Domine Deus, ad tuam omnes respirent indulgentiam.

Tu cumula tuis nos bonis; * ut in pulchritudine pacis, et opulentia requiei, in loco pascuae nos colloces omnes.

Laetamini, viri fratres, in Domino Jesu; * et in potentia redemptionis ejus pugnemus adversus Diaboli insidias;

Plantaverat sibi vineam electam animam nostram; * sed quia facta erat sterilis suo in horto, irroravit eam sanguine;

Et insuper timori et tristitiae licentiam dedit animam occupandi suam; * voluitque in ista etiam torqueri parte, quam Judaei torquere non poterant.

In salutari tuo, Domine Deus; * et in virtute Redemptionis Salutaris tui anima desolata confidit nostra;

Quia plus illic nostri Redemptor generis, * criminis labem miseris nocentem, taedio et pavore, dolore et Sanguinis detersit irroratione!

Induamus, viri fratres, armaturam Dei, * ut viventes, et vita decidentes omnia nequissimi hostis ignea tela extinguere possimus.

Induamus et armaturam Jesu Christi matris, * id est sacratissimum *Rosarium*,

Tandem aliquando ex hoc transibimus exilio; * in locum admirabilis Tabernaculis sui;

Atque incolumes * ad sedem perveniemus gloriae suae.

Deus mihi in extremo vitae constituto periculo, ad lectum doloris mei, mater adveniat Maria; * quae exorabilem te reddat et clementem.

Tu voluisti, ut per talem mediatricem captivi redemptionem; aegri curationem; afflicti consolationem; * et peccatores contritionem obtinerent et veniam;

Justi gratiae augmentum; * atque gloriam et laetitiam cum Angelis possiderent sempiternam.

Dies serenitatis circumdant te, o Maria: flores Rosarum, et Lilia convallium; * et de plenitudine intercessionis tuae recolligimus omnes.

Dominus concupiscit te filiam Hierusalem ornatam monilibus tuis: * et omnis populus viscera laudat misericordiarum tuarum.

Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternentur, fugientque turmae,
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, Clypeis, et acri
Milite tuta,

Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, Coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.

Passo pro miseris tam fera vulnera,
In terra resonet debita gloria,
Sacrumque assidue nomen in aethera
Humanum genus efferat.

—

CANTICUM XXIII.

SECUNDUM MYSTERIUM DOLOROSUM

JESUS FLAGELLIS CAESUS

Psal. 1. Mysterii huius.

Pater, etc, Ave, etc, et Gloria. etc.

Jesu falso iudicaris,
Alba veste subsannaris,
Judex summae Gloriae!

Fac me nullum iudicare,
Solum sciam me damnare,
Vitae iudex propriae.

Exulta satis Filia Sion; iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus venit, iustus et Salvator; * ita ipse tibi spem largitur immortalitatis.

Dies sanctificationis illucet tibi, * venite gentes, hodie salus magna facta est super terram.

Sed Domina misericordiosissima mea, quos dicam de tuis erupisse purissimis oculis lacrymarum fontes, * cum unicum coram te ligari attenderes innocentem Filium, et flagellari?

Summe Deus clementiae, septem dolores Virginis; * plagasque Jesu Filii fac rite nos revolvere.

Quot cara proles excipit inflicta carni verbera, * tot moesta mater suscipit infixa cordi vulnera.

Dominus noster Jesus ligatus, flagellatus, et spinis coronatus, Lux nostra est ortiva; * occidua est etiam nostra Lux, et altissimum refugium nostrum.

Salus et Redemptio nostra; * divinae generationis nobis est auctor:

Unxit eum Deus oleo exultationis prae participibus suis; * et excelsam frontem eius *Corona* coronavit summae gloriae suae.

Amabilis es Jesu in sinu Patris tui;* de nihilo educens nos;

Superamabilis in sinu matris tuae, * naturam reformans nostram;

Admirabilis in flagellis constitutus; * et ab inferis nos redimens.

Rubro in sinu matris tuae implevisti sanguine venas; * ut in horto; in flagellatione; et in ara crucis illum penitus effunderes.

Sancta mater dolorosa adduc nos in incomprehensibilem compassionem tuam; * nos, qui memores laetitiae, etiam exaltationis recordamur tuae.

Miserere nostri Domina, Luminis mater, et aeterni splendoris;* mentesque illumina nostras; * ut cor poeniteat nostrum.

Ductus Jesus ad Caipham, Sacerdotum principem, * unus ministrorum alapam dedit ei;

Sciscitabautur eum ut responderet: « quid esset *veritas*? » * o utinam *veritatem* discere voluissent!

Proindeque Petrus coram omnibus negavit illum; * dicens: « non novi. »

Non novisti hominem, qui venit pauperes de stercore erigere? qui mundavit leprosos? * qui sanavit aegros?

Qui iussit dari Caesari, * quae Caesaris sunt?

Non nosti, qui te erexit in fluctibus Genesareth? * quem filium confessus es Dei, et cuius tot spectasti miracula?

Ut modicum declinares, Petre, dedecus, Christum negasti! * quam gravi collapsa est ruina Ecclesiae columna!

Qui sibi praefidit ipsi, magnus sit vel minimus, doctus vel idiota, * multa iactat, pauca praestat, in gravia incidit.

Sed Jesus benignissime respexit negantem; * qui egressus foras flevit amare.

Sancte Petre, qui unum peccatum indesinenter toto vitae deflevisti tempore; * aliquid poenitudinis nobis indulge tuae, et lacrymarum.

Sprevit te, Jesu, Herodes; * et illusit tibi alba te induens veste; * et te remisit ad Pilatum.

Apud quem universa exclamabat » turba; * « Tolle hunc, crucifige et » nobis Barabbam dimitte. »

Timore perculsus imbecillis ille Prae-

ses scelestissimum dimisit Barabbam; * apprehenditque inculpabilem Jesum, et crudeliter flagellavit.

Marmoreo tuus filius, Virgo mater dolorosa, alligatur cylindro; * et oh! quae flagellis furiosa tonat concita tempestas!

Quot Jesu in Praetorio flagella nudus excipit! *quot scissa pellis undique stillat cruoris guttulas!

Spinea filii tui *Corona*, immortalitatis etiam *Corona* in capite, Mater, est tuo; * cuius fulgor et charitas non extinguetur in aeternum.

In mentibus infunde nostris Sapientiam Dei; intellectum Prudentiae, et formam disciplinae; * ut ipsa carnis sarcina minus nos gravet.

Super humiles vultum aperi tuum;* et aspectum tuum super confidentes in te;

Ecce dum ineffabilem meditamur compassionem tuam, * pondus aerumnarum nostrarum more non hebetat nos solito.

Amore visionis tuae et desiderio invisibilium memoria viget, intellectus lucet; * cor ardet, corpus sublevatur, et animus recreatur.

Cogitationum cessat tumultus, silent cuncta; * tranquilla sunt omnia.

Gratia nos amplius, et pietate impingua tua; * et pacis exuxtantiam nostris dona terminis.

Virgo pia, sine pare, quae Gabriele nunciante; * meruisti portare Christum, flatu sacro flante;

Virgo partum post et ante, o refugium singulare, * hac in vita vacillante tuos servos consolare.

Deus patientiae et virtutis, * da nobis sapere secundum Jesum Christum.

Promissiones Patrum confirmasti nostrorum; * et nos unanimiter uno te glorificamus ore.

Veni, Domine, ad nos* et tecum mater adveniat tua, Regina nostra candida et illibata.

Veni immaculata et inviolata, * odoris hortus super omnia aromata est orationis hortus et capturae filii tui.

O quam pulchram, pudicam, affectuosam, et afflictam te fecit dominus Pater, dominus Filius; dominus Spiritus sanctus, * sancta Trinitas, unus Deus.

Propterea quasi Lilium in Jerico * super omnes exaltata fuisti filias Israel;

Et quasi rubicundum *Rosarium* * iuxta refectionis aquas in Ecclesia Dei; * secusque sanctitatis rivulos, et iustitiae.

Popule Sion et alienigenae, *ecce appropinquat Dominus ad nos salvandos;

Auditam tandem faciet gloriam et vocis suae potentiam; * in laetitia cordis nostri.

Nox praecessit, dies redemptionis appropinquavit; * expergiscimini, viri fratres, de mortis somno.

Deus infinitae patientiae et virtutis; * da nobis sapere secundum Scientiae et Sapientiae tuae thesauros;

Nobis salutem conferant Deiparae tot lacrymae; * fluctus tot inter devils tutam recludant semitam.

Venite Gentes, carpite ex his *Rosas* mysteriis, * et pulchri amoris inclytae matri *Coronam* nectite.

Sit summa Christi gloria, * amara cuius passio, aeterna nobis gaudia, matrisque det compassio.

CANTICUM XXIV.

Psalmus 2. Flagellationis D. N. Jesu Christi in Praetorio.

Gaude Maria virgo, Verbum Dominus ut ignis in Rubum * et ut Ros in vellus in te descendit;

Spiritu sancto foecundante, obumbravit tibi Altissimi virtus; * Dei bonitas infinita tecum et nobiscum est.

Benedictus sit immaculatissimus conceptus tuus, et partus, benedicta sit carnis tuae munditia, * et dulcedo misericordiae cordis tui.

Nos in sinu adoramus tuo Verbum a Patre, genitum ante saecula; * et in

plenitudine temporis in te conceptum;

Et quem adoramus, amamus; * et cui flagellis subdito grates referimus;

Ita arida terra nostra, quae antea tribulis scatebat et spinis; * tam salubri irrigata pluvia flores germinavit et fructus.

In canticis nos, et *Rosariis* viscera compellimus miserationis eius; * ut nobis gratias, utpote guttas pretiosi sui Sanguinis, stillent dulcedinis suae;

Et per compassionem tuam, * reparationis et propitiationis eius praesens nobis munimen faciat, et futurum.

Ave virgo Deo digna; serva servos, ac benigna * luce tuae faciei, et splendore vultus Dei;

Ave mater novi moris; nec conceptu Redemptoris, * neque ortu maculata, sculo Dei obumbrata.

Ave virgo, quae furorem Conditoris in amorem tui gratia convertisti, * votis iram extinxisti.

Laudate eam Coeli Coelorum; * glorificate eam iusti omnes ante Altissimi thronum.

En, Domine Jesu, salus mea; quia tam acriter remordet conscientia, * et cordis me reprehendunt arcana.

Heu! mihi sero ad te venio, tarde festino; quia curro post vulnera; * et quia dedignatus sum incolumis praecavere iacula;

Vulnera vulneribus inflixi; recentes respersi tabe cicatrices; * et prisca flagitia novis foedavi inquinationibus.

Quoties ut canis ad vomitum redii! et quoties quasi sus volutabrum repetii! * modo vero iam senescens adeo de vicina sollicitor morte.

Sed tu mihi et omnibus, quos Sanguine recuperasti tuo, gratiam conversionis ad Deum, * veniam concede et pacem.

Æger sum, tu medicus es; miser sum, tu misericors; * visita me infirmum; sana me languentem; resuscita me mortuum.

Medicos, pie Samaritane, inverge liquores, quos Levita negat; * crescat salus ab oleo infuso, et a mero torcularis tui.

Et dum acta fragilitatis meae formidinem excitant, tua me et dolorosae matris tuae hortatur benignitas.

Tua et lacrymosae matris tuae pietas * fiduciam mihi ingerit.

Acutissimo doloris gladio * nequissimum transfige cor infirmum meum;

Et sic flagellationis tuae mysterio doloroso compatiar tibi, * et castissimae matri tuae assidue hominum ploranti damnationem.

Non sic disrupta nube ruunt aethere nimbi, * quantum innumeri cadunt ictus super nudata membra flagelli!

Milites Praesidis *Coronam* de spinis super caput, bone Jesu, posuerunt tuum; * et arundinem in dextera tua.

Arundine percutiebant etiam crebro divinum caput tuum! conspuebant! * et ponentes genua te impie adorabant, dicentes, « Ave Rex Judaeorum. »

Rex revera noster, et Deus noster es tu, * qui omnia, quae bona sunt, fecisti et sancta.

Calumniis ab infima appetitus plebe, * silentium detulisti triumphale.

Vidimus te despectum, et novissimum virorum omnium; * opprobrium et abiectionem hominum.

Non tantum vilitas flagelli et supplicii, quod erat solum mancipiorum;* sed confusio ex nuditate castissimi corporis omnia tua superabat tormenta.

Posuit Dominus in te iniquitatem omnium nostrum; * in nos culpa est amor; in te amor est poena!

Rex clementissimus pro servo morte digno luit poenam; * omnia in se ipso reconcilians.

Sanguis tuus sit super nos, in quo animam dealbemus nostram; * et super opera nostra meritis consociata tuis.

Cor Jesu opprobriis saturatum; propter nostra attritum scelera; * divino, quo ardes amore, corda transfige nostra.

Memor esto, Domine, perigrinationis nostrae; * sedimus super flumina Babylonis assidue flentes.

Virtute passionis tuae solve captivitatem nostram * ad quam, dum a te recessimus, deducti fuimus.

Tu nobis cor tene; mentem rege; intellectum dirige; amorem erige; animam eleva; * et in superna fluenta os sitiens, et spiritum trahe.

Taceant per te carnis tumultus; terrarum conticescant, quaeso, phantasiae; sileant et phantasticae revelationes; * omne signum, et quicquid transitorium est.

De te solummodo Deo nostro anima cogitet nostra, * quoniam revera tu tota fiducia es, et spes nostra.

Contemplationis pennas nobis apta, ad te sacratissimum recinentes *Rosarium* sursum volitabimus; * omne devitantes periculum deiectionis consilio legis tuae.

Tendimus gementes ad pacis gaudia, delectabilem lucem; * et serenissimum statum.

Pota nos torrente voluptatis tuae, * ut nihil interim mundanaè libeat degustare venenatae dulcedinis.

Moriatur anima nostra morte iustorum, * ut vota personet laetitiae et exultationis in tabernaculis Domini Dei nostri.

O fidelissima Columba Noe; * quae inter Deum et mundum spirituali submersum diluvio mediatrix extitisti amantissima.

Ave coelestis arcani consilium, * consilio Sapientiae tuae consurgis pro nobis sicut Luna tenebricosae vitae huius.

Et sicut Aurora in diluculo oriris; * et sicut Sol ascendis in Meridiano.

Sicut pupillam oculi, servos servas summo Regi; * tu solamen es saeculi, refugium tui gregis.

Summa sponsa summi Regis, caput conteris Diaboli; * tu es verus liber Legis; tu Arca Tabernaculi.

O Maria, quae inimicos concilias; salutem tuam recinentibus *Coronam* perditis affers; * indulgentiam reis; et desperantibus misericordiam.

Christi passionum nubes lucidissima; inventrix gratiae ineffabilis; * in hac valle tenebrarum mediatrix misericordiarum nostris consule periculis.

Honor, potestas, gloria, atque perpetua iubilatio Trinitati sit in unitate * omnia gubernanti, per universa aeternitatis saecula.

CANTICUM XXV.

Psalmus tertius Flagellationis D. N. Jesu Christi in Praetorio.

Jesu Praeses te spectandum
Foras ducit, sed damnandum;
Plebs dimittit Barabbam!

Absit ducar hoc errore,
Ut tam dirae gentis more
Quidpiam tibi praeferam.

Dominus noster Jesus Christus tempore passionis suae nos pavit; * et quotidie nos pascit.

De petra melle nos saturat; * ut hilares vivamus; et in pace requiescamus.

Resonet igitur in voce exultationis nostrae *Rosarium mysteriorum* eius, * in opipara discumbamus mensa benedictionum eius.

Salve divinae largitatis affluentia; oblatio munda, pro nobis virgis caesa; * salve dulcissimum convivium, et electorum frumentum.

Calix Sanguinis tui Calix est benedictionis inebrians; * perpetuae pietatis tuae Sacramentum;

Incruentum est Sacrificium; * et donum omnem transcendens plenitudinem.

Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur; * propitiatorium pro viris, et pro defunctis;

Refectio est animarum Sanctarum; * fortitudo in Domino morientium; et futurae pignus gloriae.

Recordare, Jesu pie, quod pro me stricte alligatus columnae fuisti; * crudeliter divexatus, et flagellis concussus;

Non horrida grando sic crebro saeva quatit areolas, * quot super tuos humeros verbera pulsa sonuere!

Diu sub fustibus laborasti; * et pallida sanguine columna maduit.

Humi tandem te stravere miserande! * et lapidei illic etiam saeviere Lictores!

Jubilate Deo omnis Terra, cantate Gentes et Populi; * exultate et psallite.

Commoveatur ad laetandum etiam plenitudo maris; * et amplitudo eius;

Ubique gaudeant nobiscum campi; * et omnia, quae in eis sunt, plaudant ei.

Piis omnes celebremus votis, et laetis recolamus hymnis Christum Jesum, * captivorum redemptionem.

Suae enim volens divinitatis nos esse participes, nostram assumpsit naturam; * ut nos homines Deos faceret, factus ipse homo.

Et ita nos dextera salvavit sua, ad adhaerendum, et confitendum sibi; * et Sanguine sacrosancto eius fecit nos populum acquisitionis.

Recollige nunc bone Jesu meos ad te sensus, * succurre mihi aeterna Veritas.

Da cito transitoria abiicere et contemnere; * et omnium me mundanorum oblivisci;

Nec me ulla amplius moveat futilitas; * ne prolapso tempore breve creditum diffluat inane.

Opus istud, dolorosa mater, est gratiae tuae officium; * adiuva me ad naturae imbecillitatem superandam et perversitatem;

Ad bonum adiuva inchoandum; prosequendum; * et perficiendum.

O beatissima, quae pauperem spiritu, virtutibus divitem facis; * et multis cumulatum bonis humilem reddis.

Erectus in fiduciam meas ad te expando manus; * et sitiens, sicut terra arida aquam, anima tibi inhiat mea.

Velociter exaudi me, o Maria, e monte sancto tuo; * et ex vertice montium me in hac positum lacrymarum valle exaudi.

Notas mihi redde vias, in quibus ambulem; * eripe me de inimicis meis; quia pene meus defecit spiritus.

Flecte iustitiam benedicti Filii tui ad mihi parcendum; * spiritus eius bonus utique deducat me; et in aequitate sua vivificet me.

Non intret mecum in iudicio; dum per tuam intercessionem expecto misericordiam; * nec aliter iustificabitur in conspectu eius omnis vivens.

Humilitatem, et meam colloca contritionem in medio cordis sui; * ut in omni mihi subveniat tribulatione corporis, et animi angustia.

Sana me, Domina mea, et sanabor; * salva me, et salvus ero.

Digito scribe tuo in anima mea, et in ore dulcem Passionis Jesu memoriam, * et tuae compassionis nulla unquam oblivione delendam.

Quot tua cara excipit Proles verbera inflicta carni, * tot tu, moesta reminiscere mater, infixa cordi suscepisti pro me vulnera.

Scribe in mentis meae tabulis iustificationes legis Domini; * ut voluntatem eius semper et ubique prae oculis habeam meis.

Vitis vera, quae racemum aluisti maturum, * ex quo vinum distillat exhilarans animas;

Scribe etiam quomodo fragilibus det corporis ferculum; tristibus sanguinis poculum; * conquisitissimas omnibus procurans epulas et administrans.

Ave plena gratiarum, domus septem columnarum; * Dei manu fabricata, nec ab eo violata.

Ave Coelum spiritale, summum intellectuale; * tu mons ille non incisus; non confractus, non divisus.

Salve clementiae fluvius, et hirudo felicis augurii; * descende ad nos, alma Virgo virginum;

Veni, et pertinaciae age triumphum

nostrae; * *coronaberis Corona* iucunditatis *Rosarii* tui de manu Pardorum, et de cubilibus Leonum.

Ut nostras culpas abigas, et noxias toiias, te summa poscimus et Una Deitas; * sic tibi gloriam cantabimus in annorum seriem. Amen.

CANTICUM XXVI.

TERTIUM MYSTERIUM DOLOROSUM

JESUS SPINIS CORONATUS

Pater, etc; Ave etc; et Gloria, etc.

Jesu spinis coronaris,
Et illusus adoraris,
Tu Regens orbem nutibus!

O fac zelo semper vero,
Affectuque te sincero
Dignis colam laudibus.

Omnes nos, viri fratres, ducebamur tanquam latrones ad supplicium: * ob peccata enim ad Infernum trahebamur;

Tu Domine Deus prae magnitudine amoris tui Filio non pepercisti tuo; * et pro nobis omnibus illum tradidisti.

Nobis iile benedicius super omnia subvenit; * quia pro nobis fideiussit.

Ne obliviscamur, viri fratres, Fideiussoris nostri gratiam; * pro nobis enim indignis divinam posuit animam suam.

In charitate perpetua diiexit nos; * ideo attraxit nos misertus nostri.

Domine Deus noster, ignis amoris tui consumens *. suaviter cor urit nostrum, et ad te excitat.

Misericordiosissime amoris donaior, et vere amantium amator, * causa diligendi te tu ipse es.

Meritus es de nobis; * quia nobis immeritis temetipsum dedisti.

Causa es amoris efficiens, et dilectionis; * ut occasionem insuper nos glorificandi habeas;

Et occasionem ipse tu creas; occasionem das; * et desiderium consummas.

ita tuus amor nostrum praeparat amorem, et remuneratur; * praecedit benignus, et suaviter expectat;

Et iia te das in meritum; te in redemptionem distrahis captivorum; * et in praemium servas.

Domine Jesu, tu nostra vita, et ineffabiiis dulcedo; tu consiliarius prudens et fortis; * tu adiutor, et Sanctorum omnium *Corona;*

O Magister, Dux, Pater, Pastor, amice et frater noster corpus ignominiis subiecisti; * omnia potentissime sustinuisti, meaeque supposuisti membra saluti;

Viii coccinea vestiris chlamide, rubro variata coiore. * ut imago foret cruentae mortis.

Numeroso vepre circumdari in *Coronae* formam regale sinis caput; * ut benignus nostrorum maiorum spineta susciperes omnia.

Imposuisse oporiebat iuo potius divino capiti *Sertum* frondentis Olivae; * nam genus invisum Patri reconcilians tuo, foedera in Terras adduxisti pacis.

Ipsum rogasti Patrem pro nobis omnibus transgressoribus; * ut, cum inimici essemus, per mortem nos reconciliaret tuam.

Matrem adeo omnium constituisti credentium tuam ipsam matrem; * Mundi dominam, Coelorum Reginam.

Quam bene nobis est sub tanto praesidio; * quis nos de sinu audebit detrahere sanctissimae Mariae?

Quae nos tentatio, quae turbatio * in matris Dei patrocinio confidentes superare poterit?

Ave Lucis indumentum et Virtutis, * sacrarium plenitudinis totius divinitatis.

Arcus nobiscum foederis et reconciliationis; * ave pax, gaudium, et Mundi salus;

Ave portus proceliis vexatorum; clausorum iiberatrix; * viduarum susceptrix et orphanorum.

Captivorum ave redempiio; * aegro-

tantium levamen; et morientium exultatio.

Ave vestis purpurea Regis terribilissima; throne cherubice cruciformis; * in nostras afflicta respice afflictiones.

Et nos tuum recinentes *Rosarium*, te Dei salutamus civitatem; * et Sanctorum omnium *Coronam*.

Sine Dei amore dives, viri fratres, pauper est; * pinguis et medullatus in hac et in altera vita, qui indesinenter verum amat mentium Lumen.

Nil dulcius, * vel isto delectabilius amore;

Et qui tota diligit anima mortem non timet; * quia dilectio condimentum est omnem dulcificans dolorem;

Ita Patres in deserto propter amorem * magnam sentiebant delectationem et dulcedinem;

Amaris corticibus pro cibo; lapidibus pro cervicali; * et pro vestimento utentes cilicio.

Ita omnium tormentorum genera * non solum patienter, sed hilariter, tanquam dulcia, sancti sustinuerunt Martyres.

Namque labor non fatigat amorem;* et tormentum amorem non superat.

Quiescit afflictio, tentatio quiescit,* sed dilectio quiescere nequit;

Requies enim est ei, * inquietudo et tormentum.

Satagamus, viri fratres, aliena cum isto divino non commiscere amore; * idest corporalia cum spiritualibus; caduca cum coelestibus.

Fideliter enim et ex tota diligendus es anima, Domine Redemptor noster;* quia ex plenitudine amoris tui animam separari maluisti a corpore tuam, quam a te nostras seiungi animas.

Nobis propitius sis Genitor potens,
Quos Unigeniti Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Coeli ad culmina transferens.

CANTICUM XXVII.

Psalmus secundus. — Jesus Christus spinis coronatus.

Jesu dire flagellatus,
Pugnis, sputis es foedatus,
Purus omni vitio!

O quam dignus sum puniri!
Sed da poenis his muniri
Mortis a supplicio.

Undique in angustias adductus ad te clamo, Domine Deus meus; * vocem exaudi deprecationis meae.

Memento benignissime, quod obumbrasti me; * et extendisti sicut galeam super caput meum in die belli;

In lege parasti tua directiones sanctissimas; * et secundum ipsas iudicium constituisti et iustitias.

Sed passiones meae sicut venenum Aspidum, * gressus cogitant supplantare meos;

Constituunt praelia adversus animam meam; * et funes extendunt in laqueum, quo intercipiar.

Exaudi, benigne domine, sola virtus, et salutis meae spes, deprecationem meam; * et crucem sub'eva meam.

Oculi aspiciant mei ad celsitudinem solummodo triumphalis crucis tuae; * neve alio cor meum exhilaretur modo.

Cruci configar tuae clavis timoris, et amoris; * et continua mei ipsius mortificatione.

Memora clementissime, quia exinanisti temetipsum, servi formam accipiens; * et tanquam vermis opprobrium factus es hominum;

Natus es ut proiectitius in stabulo;* circumcisus fuisti quasi peccator;

In templo praesentatus ut victima; * et sicut infirmus tentatus;

Maledictus, ut improbus; flagellatus, ut scelestus; * calcatus, ut seductor;

Blasphematus ut daemoniacus; * et spineo coronatus serto;

Frontem venustam tuam pro me perfrictae frontis homine, * asperi pungunt sentes.

Innocens, impollutus, incontaminatus, a peccatoribus segregatus, * spinarum ideo poenae nescius, pro me spinis pungi acutissimis patienter toleras!

Pro me, a pedis planta usque ad capitis verticem, * non est in te sanitas;

Factus es in derisum omni populo;* et tota die canticum eorum.

Ita mea, per tuam passionem, perditio disperditur; * vitaeque mihi donatur meritum.

Vere pie Jesu dilexisti me; * et temetipsum pro me tradidisti.

Speret ideo anima humiliter mea; * in magnitudine redemptionis tuae;

Et delicta memorans iuventutis meae contrister, sicut puer ablactatus ante tempus, * diu noctuque super matre plorans sua.

In te etiam, Martyrum Regina, anima sperat mea viam invenire salutis;* per quam Jesus filius tuus de supernis nos visitavit sedibus.

Sancta, casta, et florigera viscera sunt tua;* quae florem perpetuae viriditatis recluserunt, et prodiderunt.

O pulcherrima inter mulieres, omnes te nimis diligunt; * gaudium es universorum in sanctissimis *Rosariis* tuis.

Venustae tuae genae sunt sicut Turturis collum; * emissiones tuae Paradisus maiorum punicorum cum pomorum fructibus.

Fons hortorum; puteus viventium aquarum, * quae impetu de Libano fluunt;

Decor pulchritudinis tuae corruptionem non videbit;* et vultus tui gratia in perpetuum non marcescet.

Magnificate eam mecum omnes; * qui impinguati estis melle et lacte recreationis *Rosarii* eius;

Ita murenulas conficiemus aureas; * vermiculatas argento;

Laudis hymnum impendentes; * et nos ab uberibus inebriantes dulcoris eius.

Suavissimae enim sunt laudes eius in ore nostro; * et etiam anima spinis perforata et clavis confixa ob eas dulcescit.

Arcam Noe fabricavit sed de lignis laevigatis; * fabricatam subintravit cum uxore et cum natis;

De parentibus beatis sibi matrem te formavit Dominus,* et a peccatis te immunem praeservavit.

Pactum suum antiquitus Deus promisit patribus; * Arcum suum divinitus ostendendum in nubibus.

Qui foederis est omnibus signum promissum coelitus a Deo, * pax hominibus datur penitus,

Arcus insuperabilis; arcus potens; arcus fortis; * arcus dulcis et amabilis; arcus pandens Coeli portas.

Post praesentis metam mortis nobis inevitabilis, * fac consortes tuae sortis, nos Virgo venerabilis.

Nos, Deus simplex, pariterque Trine, * fac hic vocem genitricis almae semper sequi et vestigia;

Et ut *Rosarii* hymnum * omne per aevum modulemur tibi.

CANTICUM XXVIII.

Psal. 3. *D. N. Jesus Christus spinis coronatus.*

Dumeti horror cruorem ebibit Dei capitis, * ut a venenatis nos liberaret cogitationibus et desideriis.

Rigens *Corona* spinea aureos et molles foedat sanguine capillos; * ut hoc Diadema spineum gloriae *Coronam* nobis conferat.

Et concreto roseo imbre eius sordescit mentum, * in sedationem concupiscentiae oculorum nostrorum, et vultus arrogantiae.

Plaudat turba fidelium,
Quod per spinae ludibrium
Purgat Creator omnium
Spineti nostri vitium.

Jesus, viri fratres, in humana natura non ulli necessitati; * nec alicui succumbens violentiae,

Ad honorem Dei, et ad nostram utilitatem, libera voluntate sua, * quae illi mala illata fuerunt, misericorditer sustinuit.

Sic itaque Dei filius nos redemit omnes, nulla cogente obedientia; * sed potenti disponente Sapientia;

Hoc, quod sponte Deo dedit, * fuit pretium nostri debiti, et solutio.

Non enim illi Pater, ut moreretur cogendo praecepit; * sed ille, quod Patri placiturum intellexit, et nobis profuturum, hoc sponte fecit.

Patri ergo liberam exhibuit obedientiam; * et hoc quod Patri placiturum scivit, libenter perficere voluit.

Et revera obediens fuit Patri ad mortem usque, * et sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit.

Et calicem, quem dedit illi bibere, * ad faecem usque ipse bibit!

Nudus in flagellatione, * et nudus etiam, verecundissime Jesu, in crucem ascendisti;

Ubi manus et pedes foderunt tuas; * et omnia dinumeraverunt ossa tua.

Quo pretio non semel tantum a culpis redimimur; * sed etiam quoties digna redeuntes poenitentia, ad pacem recipimur, et ad indulgentiam !

En caput inspicio tuum inclinatum, * ad me osculo osculandum pacis;

Latus video apertum ad me comiter et tute recipiendum ; * procera extensa brachia ad me amplectendum.

Noscamus et nos tandem, quod perfecta ac liberrima humanae naturae obedientia est, * cum liberam voluntatem nostram sponte Dei subiicimus voluntati ;

Et etiam eum bonam acceptam voluntatem, sine omni exactione, * spontanea libertate, opere perficimus.

Sed infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius ? * ad quid diutius vivo et terram occupo ?

Adest prae foribus, quasi talentum plumbi, collum deprimens meum , * peccandi fomes et voluntas;

Erigitur adversum me inimicus meus, et consuetudo mali; * et quasi victum et vinctum manicis et compedibus me trahit suis;

Ego lignum aridum et infructiferum ingratus semper et iniurius in Deum meum, * non nisi peccata peccatis voluntarie accumulo;

Thesaurizans mihi iram , * in die iusti iudicii sui;

Lumbi mei impleti sunt cupiditatibus et libidinibus ; * carnalis sum homo venundatus sub peccato;

Admodum miser, Domine Deus meus, factus sum a facie insipientiae meae; * ne a me auxilio discesseris tuo;

Si aspicis me deprehensum in angustiis, erues me a circumdantibus me, * quomodocumque confirmatus sit eorum super me pavor;

Protege, Domine, videns quia periit consilium a me * et fortitudo defecit mea.

Confractum est brachium meum; * et meus non poterit me gladius salvare.

Tu solus mihi ad refugium relictus es ; * et mater tua potentissimum in necessitatibus meis est auxilium.

Tanta tua est charitas, o Maria, * quanta est potestas;

Ita tantum potens es ad impetrandum, * quantum es ad parcendum.

Ave pia dolens; et intimo in corde agonem, verbera, spinas, crucemque perpessa Filii; * ave princeps Martyrum.

Eia ergo, et qua mea tibi facilitate innotescit miseria; * eadem nunc, quodcumque peto, impetra facilitate.

Spiritum in visceribus innova meis; et vias mihi demonstra tuas ; * ut Dei mei custodiam iustificationes.

Novum in me reforma olfactum; * odor es tu fragrantissimus vitae meae;

Et post te curram per salutis semitas * in odorem unguentorum tuorum.

Gustum sana, qui videat et discernat, cognoscat et sapiat, * quam magna multitudo charitatis est et dulcedinis tuam integram canore *Coronam*.

Intexta acutis sentibus
Corona contumeliae,
Squalenti amictum purpura
Regem *coronat* gloriae.

Lilia virgineos decuisset cingere crines; * et sine sente *Rosas* venerari frontis honores!

Beatus vir, qui Jesum spinis cogitat terebratum ; * et Mariam corde transfixam.

Me tepiditas, ignorantia, mater mea, urget et obtenebrat; * error et confusio;

Vanitas insuper, et coecitas * in limine ipso pallidae mortis instat.

Animam tu, Domina, accipe meam; meum tu suscipe spiritum; * libera me terrestribus vinculis, et ad coelestia quam citissime transfer.

O Maria, qui Filium obedientem mediatorem inter Deum posuit et hominem, * te quoque inter reum et Iudicem mediatricem constituit obedientem.

Quasi pacis Iris inter gloriae refulges nebulas; * et quasi sol radians inter arcana splendes misericordiarum, misericordias diffundens.

Salve solamen hominum,
Salve orbis stella, Maria;
Salve purgatrix criminum;
Salve, o Virgo singularis ;
Consortio carens maris
Concipis, paris Dominum;
Tu lapis es angularis,
Quae das figuris terminum.

Eia ergo officia impleto; iube me ad te venire, * ut cum Angelis Dei mei tuum in aeternum piissimum collaudem *Rosarium*.

Gloria aequalis sit Patri, Filio, et Spiritui sancto, * Uni Deo, coaeternae maiestati. Amen.

CANTICUM XXIX.

QUARTUM MYSTERIUM DOLOROSUM

JESUS BAIULANS SIBI CRUCEM

Psal. 1. *Mysterii huius.*

Pater. etc. Ave, etc. et Gloria. etc.

Jesu crucem dum portabas,
Heu quam male laborabas!
O si post te gradiar!

Eia crucem fac tollendo,
Et constanter te sequendo
Fructum crucis assequar.

Benedictus Deus Pater omnium, * qui saluti providens hominum, mundo dedit Mariam virginem in dulcissimam matrem.

Filius tuus amat nos, et praesertim nos amavit in cruce,* in throno scilicet amoris et dilectionis suae, ubi tam crudelia pro nobis passus est.

Et una morte universum mundum redemit, et sicut omnium Conditor, * ita omnium culpas absolvit reparator.

Solus pro nobis pia cecidisti victima; * ut nos liberares omnes.

Namque indomita gens,accincta heu! gladiis, arreptum Jesum fustibus impetit! * et colaphis caedit;

Dum horridis divinum eius caput quatit ictibus, * cerebro *Sertum* infigit vepribus asperis!

Flagellis humeros dilaniat; * crucis etiam trabali mole obruit et conterit!

Christus istam baiulans sibi crucem „ * exivit in Calvariae locum.

Sed dum anhelat, procumbens sub tanto pondere, et quasi expirans, * ne parata supplicii executione morti subtraheretur, Simonem Cyreneum angariaverunt, ut tolleret crucem eius.

Et illi invito imposuerunt crucem portandam post Jesum; * Sanguinem ex humeris undique manantem, et humi iacentem!

Passionis gladius,o Mater carens crimine, * tuam simul peracriter transfixit animam;

Ita debitum o Jesu, et tu dolorosa mater soli non habentes, * recte miserationis foenus pro debitoribus erogastis.

Eia, Domina, exurge nunc, ne nostrarum obliviscaris tribulationum; * et per tuam compassionem, planctum converte nostrum in gaudium *Rosariorum.*

Domina in adiutorium nostrum dum *Rosarium* canimus, intende; * vox tua dulcis est ac suavis.

De luce pietatis tuae mentes illustra, animasque refove nostras; * et exercitam nobis redde linguam;

Potentiam ostende tuam super inimicos nostros; * et benedicta sanctificeris in linguis et nationibus terrae.

O Jesu, o dulcissima Maria, concedite, ut ita semper psallamus vobis ardentissime; * et in amoris moriamur excessu.

Fideiussio pignoratitia divinarum reconciliationum; * nostra erga Deum firmissima spes;

Fons inexhauste viventis aquae, * ad Dominum intercede pro nobis miseris.

Alma Redemptoris mater, quae pervia Coeli porta manes, et Stella maris, * succurre naufragantibus.

Quid dulcius, quam Genitorem in nomine Filii; * et dilectae Filiae invocare?

Et Patrem in recordatione Unigeniti sui, * et amabilissimae Filiae suae ad pietatem inflectere?

Rei carceribus eripiuntur; mancipia vinculis solvuntur, * ob pretium, a carissima Soboie irato persolutum Patri.

Tristem accipientes capitis sententiam, dummodo Regi memoraverint charitatem dilectae Sponsae, absolvuntur; * et insolitam nanciscuntur libertatem.

Sic et nos charitatem postulamus Patris per Filiam et per Filium, * ut nos a peccatorum liberet vinculis ad confitendum nomini tuo.

Ego, Pater, cui propria demerita lethalem paraverunt sententiam, * nunc specialiter coaeternum tibi offero Natum.

Ille ego sum Solymus, quem praedo cruentus stravit arenis, * et immiti diffidit ense latus;

Tu Jesu Samarita mero, * tu mitis olivo obline barbarica vulnera facta manu.

Hostia sancta, beneplacens, perfecta; * Agnus sine macula, sustine pro me crucem, miserere mei.

Non alieno me Sanguine expiasti, sed proprio refulsisti cruore suffusus; * ut tui proprii corporis livore meos sanares languores.

Sic Christe omnibus per tuam crucem indulgeas credentibus; * ut prosit exorantibus, quod praecinentes in *Rosarii* psallimus nostris.

Ad genua etiam procumbentes pulcherrimae Mariae, ad dexteram consedentis tuae, * oramus ut placata omnes nos apud te restauret ad vitam.

Salve Regina, vita, dulcedo, et nostra spes; * media nos consurgimus nocte nomini confitentes tuo, et *Rosaria* canentes.

Uni Ter Altissimo Numini laus sit, decus, dilectio; * et laus, decus, et dilectio Jesu sit et Mariae.

CANTICUM XXX.

Psal. 2. Jesus baiulans sibi crucem.

Quomodo nos amasti, Pater omnipotens, Verbum fragilitati nostrae coniungens tuum; * ut vera fieret caro, et habitaret in nobis!

Unus ille inter mortuos liber propter nos homines, et propter nostram salutem cruciamentum subit; * factus obediens ad mortem usque.

Quem alium, praeter te, Jesu invo-

cabimus pie? * ad quem clamabimus alium?

Appare, et nobis aquas praebe, quae e latere fluunt tuo; * ab occultis enim mundabimur nostris, et ab alienis liberabimur.

Christus noster sit cibus; potusque noster sit fides,*laeti bibamus sobriam ebrietatem spiritus.

Te Christe solum novimus; tu mente pura et simplici, * flendo et canendo quaesumus, intende nostris precibus.

Per istam passionem tuam , * tua canentes mysteria nos protege;

Et divinam recipientes *Coronam*;*corpore semper famulemur tibi et mente,

Ita tibi in terra debita resonet gloria; * et assidue nomen sacrum tuum in aethera humanum efferat genus.

Largire lumen vespere,
Quo vita nusquam decidat;
Sed praemium mortis sacrae
Perennis instet gloria.

Clamitet interim in nobis iste, inquirat et ille; murmuret conscientia, insidietur Daemon, et suas paret decipulas; * tui nos sumus, et nos misertus salvare debes;

Calor urat; frigus incurvet, caput doleat, * labores gravent;

Pallescat vultus, et macrescat corpus; infletur stomachus; * tussis scindat pectus, et oculi caligent;

Deficiat in infirmitate vita mea; et anni in gemitibus meis; * tuus sum ego; ecquis a charitate separabit me tua ?

Separa ergo quantum vis tribulatio et angustia; * quomodo vis amara separa mors.

Ingrediatur tandem putredo in ossa propter peccata; * subter me scateat in sepulchro;

Quid si mea citissime ac tute * ad populum accinctum et electum ascendet anima ?

Nonne et tormenta dignum est me perferre; * nonne omne, quod triste, iustum est sustinere?

Et mori tandem; * ut felicitatis sim aeternae particeps?

Fiat; et corpus moriatur mortalitatis meae, * ut anima ad laetitiam volitet iustorum.

O Jesu refugium in vita * et fortitudo in te morientium;

Crucem Jesu bone,dum sudas,anhelas, concidis, * ad montis usque verticem, gestare vi compelleris!

Praeibat vocale metallum, raucum dans saepe sonitum; * undique funereis vocibus ora sonant.

Frementes turbae, velut ingens circumfluus amnis, ingruentes, * vias recludebant et clivos;

Jesus patiens libenter ibat per ascensus dumosi montis; * iter curvo languore capessens;

Nodosum truncum, geminum, compactum , saevum impiorum supplicium * nimium depressus pie Jesu baiulabas!

Sed et patiendi ardor vires supplebat tibi; * exoptans pretium nostrae in statera crucis appendere salutis.

O Jesu exultatio in terra viventium;* sequar te crucem supportans, quocumque ieris;

Tu meam subis crucem * et misericors sublevas ad mortem usque.

Seminatur quidem hic nostrum animale corpus in angoribus periturum; * ac deinceps Dei potestate, non propria natura surget immortale.

Veni iuste et immortalis; * veni Mediator, et mediatrix Maria, Salvator et advocata.

Veni Deus et homo, * me per crucis tuae scalam ascendentem, super infinita constitue gaudia nullatenus defutura.

Veni, ne cesses, quia peccator et mortalis, miser sum et egenus; * nudus et stolidus;

Mater Dei mei, castissima et inviolata mater, * cor adnecte meum Filii tui cordi.

Sic ex ipso sacro Dominici lateris fonte, unda scatente et Sanguine, * fluenta hauriam aeternae salutis.

Sit tibi, Fili, decus atque virtus,
Qui tuo mundum redimis cruore,
Quique cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas.

CANTICUM XXXI.

Psalmus 8. Jesus Christus baiulans sibi crucem

Quae est ista, viri fratres, nostra corruptibilis vita; * convallis lacrymarum; seminarium malorum?

Vita, quam divitiae iactant; paupertas deiicit; * iuventus extollit; senectus incurvat;

Quam loci solvunt; honores tumefaciunt; * dolores extenuant; ardores exsiccant;

Quam escae inflant; ieiunia macerant; * sollicitudo coarctat; securitas hebetat;

Cui furibunda succedit mors; * variisque imponit finem poenis et gaudiis.

Ecce, me miserum! iudicium pertimesco, * quo sim clausurus fine vitam hanc moeroribus plenam, prorsus ignoro;

Tamen scio, quod mea a Dei iustitia districte pensautur cogitationes; * verba, et opera.

Utinam verberibus confractus moriar, ustulatus, lapidatus; * et cruci pro Christi nomine affixus.

Sed nec vivere et pati, nec mori dignus sum ego pro eo, qui passus, * et pro me mortuus est.

Nihilominus Jesus frater meus lacrymas excipiens meas, * consolaturus me solita pietate sua semper adest;

Pugnat pro me fortiter navis meae Proreta, * ingruentibus imperat, ut quiescant, illecebrosis concupiscentiarum tempestatibus, quibus coarctor nimis.

Et dum anxiam, moestamque meam reficit in exilio mentem, * suspiria compescit etiam;

Et ipse me ad patriam adducens, * omnem in obitu ploratus fontem ab oculis absterget meis.

Ave Virgo, mater dolorosa, omnia dedit tibi Pater per Filium suum; * et omnia pari modo tibi ad nostram possibilia sunt salutem.

Allevas tu ipsa eos, qui corruunt confossi crucis pondere; * erigis elisos; vacillantes sustentas; et prope es semper invocantibus te;

Propterea gloriam induisti et decorem; * omni lapide amicta pretioso;

Splendor Solis vultum circumfluit tuum; * Lunaris plenitudo sub pedibus lucet tuis;

Sidera micantia sedile ornant tuum; * Astra te glorificant iugiter matutina;

Super omnes Angelorum choros, usque ad Deitatis solium erecta; * *Corona* gratiae, honoris, et maiestatis caput ornat decorum tuum.

Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis taedium.

Totius boni plenitudinem posuit Deus in te, o Maria, * ut si quid spei in nobis gratiae vel salutis est, a te noverimus redundare.

Istas ergo, pie Jesu, meas per ipsam * exaudi deprecationes, et vota.

Tu, qui montano ponderi * tuos per me supposuisti humeros;

Tu, qui sub gravi defecisti molo; * atque oneri succubuisti pronus;

Et horridis quassatum ictibus * divinum conteri corpus sivisti tuum;

Et etiam, qui pondera mundi trinis tenes librata digitis, * ter itidem in terram sub cruce corruisti! »

Ah! nunc intelligo! toties congesta mea nefanda crimina * solummodo potuerunt tantum efficere casum.

Violenter particeps infamiae factus

Cyreneus fuit; * sed illuminationis accepit gratiam, et deinceps gloriae.

Si angariato hoc Redemptor dedit, * quid et volenti dabit?

Non deterreat me ergo crucis pondus et ignominiae; * ludibria hominum et confusionem sponte, vel ex obedientia obire.

De parentibus, viri fratres, secundum exteriorem hominem, descendimus illis; * qui nos, antequam nasceremur, fecerunt damnatos;

Peccatores in proprio nos genuerunt peccato; * et de peccato nutrivere;

Nihil aliud ex eis habemus, nisi miseriam, peccatum; * et corruptibile hoc, quod gestamus, corpus in cineres, vermes, et foetorem rediturum.

Cur ergo tantopere vitam desideramus? Corporis blanditiis allicimur? * in quo, quanto plus vivimus, tanto plus peccamus.

Difficile est cor gubernare; a iactantiis reformare; * et ab illicitis servare cogitationibus.

Nimis etiam difficile est terrenas obire occupationes, * absque peccati contagione.

Gravis siquidem iactura est, cum nec solummodo bona facimus, nec bona cogitamus; * sed cor nostrum per vaga et inutilia vagari sinimus.

Ecquis me liberabit de corpore mortis huius? * moriatur tandem anima mea sub vexillo sanctae crucis, morte iustorum.

Affixo cruci damnationis nostrae chirographo, * nos e servis facti haeredes sumus.

Et crucis haereditate divites * ad coeleste, viri fratres, regnum per regiam properamus crucis viam.

Genitor superne, qui Mundum creas; Fili, qui Mundi abstulisti scelus; * Spiritus, par semper utrique, parcite lapsis, subvenite perditis.

—

CANTICUM XXXII.

QUINTUM MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS CRUCI AFFIXUS

Pater, etc; Ave, etc; et Gloria, etc.

Jesu veste denudaris:
Sed heu quantum cruciaris
Causa verecundiae!

Fac me nunquam spoliari,
Qua nos decet perornari,
Veste pudicitiae.

Jesu, dire te distentum
Crucifigunt: o tormentum!
Vitam dum das homini.

Absit mihi gloriari,
Nisi in Lytro salutari,
Sive in cruce Domini.

Convertere, Domine, aliquantulum, * et animam sana meam; quia peccavi tibi;

Mitissime Deus, aures pietatis tuae precibus inclina meis; * et gratia sancti Spiritus me accendat dolorosa tua sacra canentem *Rosaria*.

Tibi omne patet cor, et omnis voluntas loquitur; * cogitationes purifica; ut ad amandum, digneque sacra laudanda mortis mysteria accedamus tuae.

Domine Deus noster, factus es fortitudo pauperi in tribulatione * spes a turbine, umbraculum ab aestu.

Cum saevissimo animarum hoste nostrarum, * non in tua divinitate, sed in nostra congressus es humanitate.

Eamdem obiecisti ei formam, ipsam et naturam; * mortalitatis quidem participem nostrae, sed totius peccati expertem.

Tu mihi et omnibus, Sanguine recuperasti tuo gratiam conversionis ad Deum; * veniam et pacem.

Et dum acta nostra formidinem exci-

tant; * tua et dolorosae matris tuae lacrymosa pietas fiduciam ingerit.

Ecce tu vitae auctor, quasi Agnus ad occisionem ductus fuisti; * factus ad mortem usque obediens.

Crucifixerunt te; * et praetereuntes blasphemabant te, tibique illudebant;

Et spongiam aceto plenam * ori offerebant tuo!

Dulcedo cordium, te sitientem * aceto potaverunt et felle!

Gustasti, et noluisti bibere, ne tua peccatis et sceleribus nostris amaricarentur viscera;* quae sunt misericordiae receptaculum.

Tu pie Jesu de cruce pendens pro nobis orabas impiis; * « Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt. »

Cruci adgeniculor tuae; * et licet indignus misericordiam expecto tuam;

Quia. tu Deus de Deo genitus, mea indutus natura, patibulum ascendisti; * et in assumpta carne crudele tulisti supplicium.

O dulcis Nate, qui pro me immaniter crucifixus es; * o manus innoxiae, quae tanto manastis Sanguine!

Unus militum nomine Longinus * lancea crudeliter postquam mortuus eras latus aperuit tuum.

Et continuo Sanguis exivit et Aqua; * ut a sordibus per poenitentiam ablueremur omnibus.

O inerme latus, cuspide perfossum;* sacrique pedes saevis confixi clavis!

O decora lumina, quae tenebrae clauserunt mortis; * regalisque vultus, quem exterminavit pallor!

O summae virtutis quae sacra rigulstis brachia, * sanctissimaque membra amplo suffusa eruore!

Sol obscuratus; Templi velum scissum; petrae confractae; et mortis monumenta eversa, * signa condolentis extiterunt naturae!

Pudeat me non tantum Christi dolere mortem, * quantum inanimata senserunt elementa!

Quid inveniam miser, * quod pro istis condigne referam misericordiis?

Compunctionem offero meam;* et fiducialiter; quia mortis eius ego meritum capio et fructum;

Plorans ergo coram te crudelitatem exsecror meam; * sustine si potis es contra me indignationem.

Vox fletus et clamoris a conspectu fugiat tuo, * et a facie dolorosae matris tuae nostrorum gemituum sensus fugiat et doloris.

Non audiatur ultra in terra ex virtute et merito passionis filii, et compassionis matris eius iniquitas; * nec vastitas et contritio in terminis eius.

O bone Jesu tu, qui mortem in abyssos praecipitas; * lacrymam aufer desperationis ab omni facie.

Universa salus muros occupet Ecclesiae tuae sanctae; * et portas eius semper festiva laudatio.

Veniat ad nos Virgo miserorum refugium; * divinae Incarnationis virtus est ipsa;

Beatissima Maria in nostris vitae huius interveniat calamitatibus; * et nos ad societatem dirigat civium aeternorum.

Ave porta libertatis, aula summae Trinitatis; * et solemne Dei Templum, salus nobis et exemplum.

Quid utilius, quidque dulcius, quam inter saeculi tenebras, amaritudines, et exsecrationes, * divina post Christum passum inebriari dulcedine, *mysteria Rosariorum* canendo dolorosa?

Quidque carius quam aeternam desiderare requietem; * et illic esse mente, ubi vera habere desideramus gaudia?

Amantissima, benignissima, pretiosissima, quando o Maria de pulchritudine satiabor tua, * de hoc aerumnoso eductus carcere?

De pulvere et cinere anima expergiscere mea; * vincula colli solve tui, et gloriosis matrem tuam in hac vita excipe *Coronis*.

Odor vitae de illa progreditur; * et omnis salus de corde exurgit illius.

Suavi Charismatum suorum fragran-

tia, anima vel mortua suscitatur;* quia ex ea Christus vitae flos extitit, omni puritate lucidior.

Nobis contra peccati oblectamenta, gratia, o Maria, concede resistere; * ut ad tua mereamur aeterna pervenire tabernacula.

Et a cunctis nos vetustatis emunda squaloribus; * et ad honorem nostri reforma principii.

Pater sancte, et metuende, * promissiones filii sacra dilata adoptione.

Ut gentium vocatione Ecclesiae multiplicentur propagines; * et in accepta persistant fide et pietate.

Justorum animae te et amabilissimum Filium suppliciter adorent; * et sine fine cum Angelorum agminibus *Rosaria* concinant sua.

Laetamini in Domino, et exultate iusti; et gloriamini omnes recti corde; * gaudium nostrum per Redemptorem magnum erit in Coelis.

Benedicite Dominum omnes Electi eius; * diem agite aeternae laetitiae, et confitemini illi.

Laus, hymnus, et gloriae *Sertum*; claritas, honor, et benedictio, * sanctae sit et individuae Trinitati;

Laus, hymnus sit, et gloriae *Sertum* crucifixi Domini nostri humanitati; * et Mariae semper Virginis foecundae integritati.

CANTICUM XXXIII.

Psal. 2. Jesus cruci affixus.

Jesu, trina nomen lingua,
Tibi ponit gens maligna,
Laeto fulgens omine.

Precor Jesu Nazarene
Salva nos, nam pendet plene
Salus ab hoc nomine.

Jesu summi fons o boni,
Quam clementer das Latroni
Poenitenti veniam!

Cor contritum mihi dona,
Ut hinc migrans tecum bona
Paradisi capiam.

Andriani.

Jesu matrem commendabas,
Et Joannem quem amabas:
In solamen mutuum.

Fac amborum mihi cura
Semper adsit in pressura
Salus et auxilium.

Confixus atro stipiti
Inter scelestos innocens;
Orando pro tortoribus
Exanguis efflat spiritum.

Quis neget, Pater sancte, quod nos Christi tui fuimus plaga; * nos vindictae flagitium?

Nos passionis eius livor; * cruciatus et labor?

Per viscera misericordiae Filii eruti sumus de potestate tenebrarum; * et in lumen translati, et gratiarum regnum.

Et nostram participans humanitatem factus est, Pater sancte, adiutor noster; * ut nostras curaret infirmitates.

Quatenus, unde crimina emerserant et flagitia, * inde nobis salutis derivaretur acquirendae spes.

Aspice, Pater sancte, in cruce Filium confixum tuum et elevatum; aceto et felle potatum; * et a Nicodemo in sepulchro conditum novo.

Et respice in me, Domine Deus Adonai, de sede sancta maiestatis tuae; * et miserere mei.

Jesu clamans voce tristi
Ut quid Pater me liquisti?
O tormenta fortia!

A te nunquam dereilnquar,
Ne tentatus forte vincar
Mortis in angustia.

Jesu siti flagrans totus;
Sed heu! quales tibi potus
Gens propinat impia!

Memor potus tam amari,
O quam velim refraenari
Carnis desideria.

Jesu, culpam protoplasti
Morte iuens, consummasti
Redemptoris munia.

Cor, amoris vi concepta,
Ad implenda due praecepta
Sanctaque consilia.

Jesu, vita dum migrabas
Temet Patri commendabas,
Heu! Sol luget obitum!

Fac extrema mortis hora,
Meum tibi sine mora
Reddam gaudens spiritum.

Jesu nostros ob reatus
Insons durae morti datus
Reis dones veniam.

Tu per sacrae mortis fructum
Fac, ne sequens carnis ductum
Mala morte peream.

Exurge, exaudi me; Domine quare obdormis? * quare faciem avertis tuam, et meam oblivisceris tribulationem?

Lassus, benedicte Domine, et senescens, * prope in aerumna pereo mea.

Accipe me, bone Jesu; resuscita me; trahe me post te; * ut tuus sim imitatione et dilectione, qui creatione et redemptione tuus esse confiteor.

Quo Nate Dei, et Rex noster, tua descendit humilitas? * quomodo tua deflagravit charitas? quo tuus te rapuit amor?

Nos facinora admisimus, * et tu ultione plecteris!

Nos crimina edidimus, * et tu poena mulctaris!

Nos peccavimus, * et tu equuleum subiisti!

Omnes Gentes, quasi stilla situlae; quasi momentum staterae; * et quasi antelucani roris gutta, quae descendit in terram, sunt ante te.

Coelum sedes tua; Terra autem scabellum pedum tuorum * plenum est Firmamentum gloria tua.

Tu excelsior Coelis es * et super stellarum vertices sublimaris.

Et tamen propter nos terrae vermiculos, et nostram salutem Passionem sustinuisti, * et crucis infame supplicium.

Ibique peccatum affixisti, ut mortis stimulum in nostrae vitae exitu omnem retunderes; * et nobis vitae donares regnum;

In cruce pendens nobis miris pepercisti modis; * gratis nos salvasti, et quotidie salvas.

Misericordiae tuae superabundant super peccata; * et super scelera nostra.

Et ita tibi sitienti Deo pro animabus nostris * vinum praebuerunt cum felle mixtum.

Immensus tuus amor hoc ingratissimum recipiebat poculum; * tormentum saevissimum a nostra, plusquam ab illius indomitae gentis adstructum malitia!

Exterritus Orbis propemodum tremore labans, et in medio sui cursus Sol obscuratus, * proximam tuam, pie Jesu, annuntiaverunt mortem;

Tecti fuere noctis nigrore Poli; * et luctuosus horror terrae occupavit faciem;

Durae dissiluerunt in fragmina cautes; * sepulchra patuerunt, et mortua redivivu exierunt corpora!

Domine Jesu, ad quem alium * in Mundi dissolutione clamabimus?

Appare nunc, et nobis aquas praebe, * quae e latere fluunt tuo.

Justitia et pax in te osculatae sunt; * In Terris habitant, sicut et in Coelo;

Et quomodo non sperabimus tuam in aeternum canere *Coronam*; * et tibi grates omne referre per aevum?

Amator noster, fortis et patiens, cor dirige nostrum, ut te diligamus; * et mundana contemnamus;

Et tamquam inutilia et noxia * penitus derelinquamus.

O piissime amoris opifex, amoris vinculum te in cruce tenuit; * quem omnes totius Mundi fines nullatenus invitum uno tenuissent instanti.

O qui temperas rerum vices misericors et miserator; * firmissima nostra est fiducia in te, et in matre tua.

Dum Filium Spina, Clavus, Lancea

pungit, Matrem moeror conficit, * qui vel saxea corda movere sufficit.

Quos fletus vultum credam rigasse tuum cum in cruce sine culpa extendi, o Maria, * et carnem de carne cerneres ab impiis dissecari tuam?

Quibus existimabo singultibus purissimum vexatum pectus fuisse tuum, * cum Joannem acciperes Discipulum pro magistro?

Servum pro Filio, * redemptum pro Redemptore?

Virgo, tuos animo metiri et nosse dolores qui cupit; * et lacerent vulnera quanta sinus;

Ille tui flammas penitus dignoscat amoris; * namque e materno crescit amore dolor.

Respice nunc in me, mater mea, de excelso gloriae tuae sanctuario; * et tuis me singultibus, tuisque doloribus tepiditatem refove meam.

Porta, viri fratres, est nobis Maria; * introitus salutis et pacis;

Ostium est pacificum, * per eum, qui se *Ostium* appellavit, Jesum Christum Filium eius.

Intende Domine; placare Domine; succurre Domine; * et nobiscum age secundum misericordiarum promissiones tuarum;

Et secundum viscera pietatis beatae Mariae, * pro nobis compassae miseris.

Spem misericordiae pro nobis impetra, mater Maria; * fac nos terrena despicere, et coelestia sitire.

Donum implora fidei, charitatis, et prudentiae; * temperantiae, fortudinis, et iustitiae.

Cordis munditiem, humilitatem, abnegationem, animarum zelum, * et paupertatis amorem;

Divinae praesentiae exercitium; pacem perfectam in conformitate divinae voluntatis; * et tuum usque ad vitae limen canere *Rosarium*.

Ave Verbum incarnatum, Sacramentum pietatis; * verum pignus nobis datum, de Davidica puella;

Ave mater dilectionis, sanctae spei et agnitionis, * quae mundo succurristi perdito.

In te gratia omnis viae; in te species veritatis, * et spes virtutis omnis et vitae;

Tu fratres et sorores, tu subditos et maiores, * Filio repraesenta tuo.

Tu pulcherrima coeli ianua; tu augustum Dei Templum, * nos canentes fac consortes beatorum civium.

Te redemptus laudet Orbis, grata servans munera; o salutis sempiternae Dux et auctor inclytae; * qui tenes beata regna cum Parente et Spiritu.

CANTICUM XXXIV.

Psal. S. Jesus Cruci affixus.

Jesu cor dum perforatur,
Fons amoris dilatatur,
Corda rigans arida.

Salvatoris patent fontes:
Quid haurire vetat sontes
Aquas in laetitia?

Jesu e cruce te pendentem,
Cernens mater, heu! quo mentem
Sensit esse sauciam!

Cor da cruci sic affixum,
Ut te Jesum crucifixum
Scire solum cupiam.

Jesu tandem sepeliris,
Et aromate condiris
Heu! quot inter gemitus!

In te meam sepeliri
Mentem praestes, et condiri
Unctione spiritus.

Jam spiritus artus liquerat ad tempus; patulo jam frigida ligno viscera pendebant; * et adhuc furor arma ministrat et cuspide perfossum violat latus!

Ecce e patenti vulnere purpureus cruor; * et simul unda recucrit.

Haec sunt quippe sacro pro religionis honore, * Corpus, Sanguis, et Aqua, tria vitae munera nostrae.

Fonte renascentes, membris et San-

guine vescimur Christi; * atque ideo templum Deitatis habemus.

Quod servare Deus nos annuat immaculatum; * et faciat tenues tanto mansore capaces.

Amore, viri Fratres, Jesus propter scelera vulneratus est nostra; * tuta et firma est in suis vulneribus nobis requies.

Ex istis magnum revelatur pietatis suae Sacramentum; * quia, per foramina ista, cordis sui nobis patet arcanum.

Miraque effluit dulcedo, gratiae plenitudo; * et virtutum perfectio.

Salvete Christi vulnera; immensi amoris pignora; * quibus perennes rivuli manant rubentis Sanguinis.

Nitore stellas vincitis; Rosas odore et Balsamum; * pretio lapillos Indicos; mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum nostris asylum mentibus; * non huc furor minantium unquam penetrat hostium.

Misericors et miserator, patiens et in suavitate abundans, * amorem nobis cordis detegis tui.

Salutis portum per vulnera tua * nobis in pectore pandis.

Tu Deus offensus moriebaris, ut ego peccator viverem; * et ego tam inaestimabili pietatis sacrificio praesens esse non merui!

Consummata fides, iustitiaeque et pacis foedera: * nam Dei mei supplicium animae expendit pretium.

In ista tua passione et morte ecce ego fidei alimentum invenio, Spei fundamentum; * et Charitatis incitamentum.

Et dum nudus ex infami pendebas trunco in ore atque oculis omnium, * misericordiae uberrime abundarunt tuae.

O utinam! tunc Spiritum efflans divinum tuum ex illo trunco, cui peccatum affixisti et mortem, * me praesentem conspexisses.

Sed quomodo omnia tua potuissem spectare membra lacerata flagris; * et infixam capiti divino tuo spineam *Coronam?*

Certe nec siccis potuissem cernere oculis, et absque magno cordis gemitu saucium ferro latus tuum; * atque clavis palmas perforatas spectare et pedes!

Sol nube coruscos abscondens radios, tetro velatus amictu delituit; * et tenebrae totum tenuere Coelum, migrantemque texere diem.

Lux non absens mansura diu, * sed mystica signans per spatium secreta suum;

Quippe, ut tribus horis coeca tenebrosi latuerunt sidera Coeli; * sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchri!

Cur nec etiam hodie dum *Rosarium* recito passionis et mortis eius, * amaritudine anima inebriatur mea?

Cur non ad eum revertor, * qui pro amaritudine foeditatis meae adhuc felle et aceto potatur?

Cur non transfigor acutissimo doloris gladio, * cum manus, pedes plasmatoris mei, et latus a nequissimis perforantur?

Cur castissimae non compatior Virgini Mariae, * assidue meam plorantí pervicaciam?

Illic, viri fratres, turbatio, ubi modica est fides; * illic securitas, ubi perfecta dilectio;

Illic salutis certitudo, * quo advocata pro nobis cucurrit Dei nostri mater.

Ipsa peccatores morti devolutos materno complectitur affectu; * nec deserit quousque eos Filio reconciliet suo.

Virgo dolens, semptemgeminus quam conficit ensis, * cogit et ad Christi funera deficere;

Sit mihi sola precor tecum lugere voluptas; * sitque tui socius gaudia nostra dolor.

Salus mea es tu; ad te gemens clamo et flens; * et tu me exaudis et protegis.

Gutturi meo, et faucibus lingua adhaereat mea, si propter hoc non benedixero tibi, * *Coronam* recinens tuam quamdiu vixero, et in saecula.

O quae natura mirante tuum san-

ctum genuisti Genitorem, * nostrum miserere omnium.

Coelo Redemptor praetulit felicem alvum Virginis, * ubi caducum, fragile, mortale corpus induit;

Haec Virgo nobis edidit nostrae salutis auspicem * qui nos redemit Sanguine, poenas, crucemque perferens.

Spes laeta nostra e pectore pellat timores anxios; * haec quippe nostras lacrymas, precesque defert Filio.

Voces Parentis excipit; votisque Natus annuit; * hanc quisque semper diligat, rebusque in arctis invocet.

Jesu, charitas perfecta, et portio mea bona, * firma spes mea, et salus sempiterna;

Jesu, exultatio mea carissima, et beatissima visio, peccatum meum ante te est; * sed gemitus a te non est absconditus meus.

Iniquitates meae stultum supergressae sunt caput meum; * et sicut grave onus me obruunt.

Rugiebam a gemitu cordis mei, quia admodum miserum me cognovi a facie insipientiae meae; * intende in adiutorium meum, qui solus auctor es salutis meae.

Inveteraverunt omnia ossa mea, dum intus mala clamabat conscientia; * et tota eiulabat die.

Intellectum mihi in posterum dona; * et instrue me in viam poenitentiae et fiduciae;

Firma super me vigiles oculos tuos, * ad me custodiendum.

Docebo iniquos hanc magnam misericordiam tuam; * et impii tua illecti clementia ad te revertentur.

Videant ipsi, quia misertus es mei; * et quia, antequam caro in sepulchro requiescat mea, notas mihi fecisti vias, quibus ad perpetuam perveniam vitam.

Interim arctis sacrum pectus tuum et lacertos obstringam nexibus; * et centies, milliesque rubras plagatus cruore plantas irrigabo lacrymis.

O Lancea tibi etiam pro merito rependo grates; * namque, dum vivificum Christi aperiebas latus, sancta oriebatur Ecclesia;

Et asylum insuper * pusillanimitati et veniae reserasti meae.

O Clavi, aequa vos quoque manet gratia, Christi quando sacris artubus insiti * deletum eius Sanguine mortis meae Chirographum cruci affixistis.

Atratum Coelum, conturbatam terram, et parentatem agentem luctum naturam universam * in morte adhuc video aeternae vitae auctoris.

Si me horror non invadet, si dolor non opprimet, * erubesco et pavesco;

Quia, quod a Judaeis semel patratum fuit, * à me saepius heu! est renovatum.

Ingemisco pro me, Domine dulcissime Jesu; * et etiam exhorresco, quod pro multis frustra hoc tuum oblatum fuit Sacrificium! ...

Et haec, *Coronae* hujus dolorosae beata sit mihi *conclusio* * et amara cum spe contemplatio;

Quin Redemptoris mei mihi faveat benignitas, * in huiuscemodi suavissimis amplexibus, ac doloris osculis mea colliquescat anima.

Sit quinque Jesu vulnerum amara meditatio; * sint et dolores Virginis aeterna cunctis gaudia.

Ipsa nobis impetrent humilitatem, castitatem, * obedientiam, mansuetudinem, et charitatem.

Procidamus ergo, viri Fratres, adorantes Christi quinque vulnera * hymnumque canentes: totidem nobis patent aditus ad misericordiam consequendam.

Salve vulnus gratiosum,
Christi manans sanguine:
Mihi da cor fructuosum,
Vacans omni crimine;
Simplex, humile, zelotum,
Imo gaudens ordine.

Salve stillans pedis vena,
Hominum solatio:
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio;

Casto tibi mens serena
Jungat se consortio.

Salve rubens prae ernore
Jesu plaga dexterae ;
O fac tua cum fervore
Jussa quaeram propere :
Geram corde, promam ore
Praestem promptus opere.

Salve levae vulnus Christi
Sanguine purpureum ;
Fac me quovis casu tristi
Mitem et pacificum :
Cunctis quos tu redemisti
Lenem ac benevolum.

Salve scissum cum tremore
Jesu cor dulcissimum.
Nobis patens ex amore,
Praesta cordis gaudium :
Det virtutum cum splendore
Charitas incendium.

Tibi Jesu, qui vivis in Coelo et imperas, * et qui clavorum aditus, signaque Lanceae retines;

Laus sit cum Patre, * ac Paraclyto, honor in saecula et gloria. Amen.

ROSARIORUM SERTA

MYSTERIA GLORIOSA

RESURRECTIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

CANTICUM XXXV.

HUIUS PRIMÆ CORONÆ ANADEMA

ET PRÆLUDIUM

Pater, etc. Ave, etc. et Gloria, etc.

Concinite Tubis, Citharis laetis, et Psalteriis, * novoque, viri fratres, *Rosarium* canite cantico.

Abyssus gratiae, et misericordiarum Jesus redivivus est noster * mirabilis in pulchritudine et bonitate est Maria mater eius;

Coeli et terrae parelium, humani ornamentum generis; * universae creaturae decus et consolatio;

Quia quantum iniquitas in nos saevit, * tantum Deus Pater per Jesum et Mariam filiam suam benedictionis refudit et gratiae.

Benedictus Deus, qui regeneravit nos in spem vivam per Jesum Christum; * in haereditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem;

Coelesti suo lumine nos semper et ubique praeveniat; * auctor est nostrorum munerum, et susceptor noster;

Jesu Limbum spoliasti,
Dum captivos liberasti
Thriumphator nobilis.

O fac cunctis solvar malis,
Nec Inferni tam poenalis
Stringar unquam vinculis.

Jesu, victa resurgebas
Morte, moestis apparebas
Consolator cordium.

Fac a morte vitiorum
Redivivus te decorum
Expers cernam sordium.

Jesu, comes queis ivisti
Petens Emmaus, non fuisti
Cognitus a sociis.

O si fruar te praesente,
Nec abducar unquam mente
Tuis ab eloquiis!

Jesu Coelos ascendisti,
Et triumphans accepisti
Summum Coeli bravium

Ut et ego comprehendam
Sic fac curram (nec offendam)
Per hoc mundi stadium.

Jesu Coelo Paracletum
Mittens, sacri gregis coetum
Sancto reples pneumate.

O per Numen veritatis
Nostra reple pietatis
Pectora charismate!

Jesu Matrem exaltasti
Super Coelos, et ornasti
Super omnes gloria.

O mi Jesu me defende!
O de Coelis huc intende
Mater plena gratia.

Jesu iudex es venturus,
Et mercedem redditurus
Factis nostris similem.

Mitem te nunc in amore
Coiam, ne tunc in furore
Sentiam terribilem.

O potens audi nos Creator,
Audi clemens o Salvator,
Audi sancte Gubernator,
Deus meus et omnia.

Ora dulcis o Maria,
Placa natum mater pia,
Tu solamen sis in via,
Ille salus in Patria. Amen.

Summa et aeterna Sapientia ad humani generis te inclinasti salutem * et in tuam transtulisti gloriam;

Sis ex nunc nostrum etiam gaudium,* qui es futurum praemium.

Te cordi pone nobile signaculum nostro; * et Ecclesiae tuae, per Mariam, exaltationem tribue et propagationem.

Leva oculos tuos in circuitu; * cor tuum sancta dilata Sion;

Et filios vide innumeros, filiasque in occursum magnae filiae Dei, * iucundissimum canentes *Rosarium* eius.

Notat quod virgo florigera,
Naturae non opera,
Efficitur fructifera,
Sed puro Dei munere,
Debebat concipere
Virgo nova puerpera,
Novum fructumque parere
Post partum virgo libera.

Ergo vere virgo parens
Germinasti campi florem;
Dei Patris Verbum pariens
Mundi paris Salvatorem;
Puritatis tu decorem
Mon amittis sorde carens,
Charitatis fundens rorem
Quo rigatur mundus totus.

Tertia die vere Dominus a mortuis resurrexit noster; * simulque multa resurrexerunt sanctorum corpora, et apparuerunt in Hierusalem;

Per dies quadraginta visendum se praebuit Apostolis; * loquens de regno Dei.

Convescens cum eis annunciavit promissionem ut expectarent Patris; * et in accepta persisterent fide et pietate.

Hortans eos, et fovens aiebat; * « data est mihi omnis potestas in Coelo » et in Terra. »

« Ecce ego vobiscum sum, * usque ad consummationem saeculi ».

« Docete omnes gentes, * baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »

Et illico in omnem terram exivit sonus eorum; * et in finem orbis terrae verba eorum.

Et verba eorum quasi ignis comburens; * et quasi malleus conterens petram.

Christus io! victor domita de morte triumphat; * Mater io! laeta voce canamus, io!

Omnia laetitiam referant elementa Parenti; * cui prius ad luctum congemuere simul.

Conversus matri dolor est in gaudia; * luctus virgineo procul e pectore pulsus abest.

Filius occurrit Mariae redivivus amanti, * ultra, quod cupiat, nil pia Mater habet.

Dulcia vulneribus rutilantibus oscula figit; * in Nati amplexus et studiosa ruit.

Nec minus exultat tanta inter gaudia Mater; * quam casto quondam cum peperit gremio.

Salve igitur Coeli splendens facula; * quae gratiarum lucem fidelibus affert et infidelibus;

Visita nos in benedictionibus tuis;* et flumine lucis tuae clarifica nos.

Irrigationes consolationis et virtutum * super nos multiplica tuas;

Filios inebria et Filias tuas * usque ad fines terrae.



Assumpta est Maria in Cœlum,
gaudet exercitus Angelorum.



A. P. Roma Via di S. Pantaleo, N.° 14

Coles, valles, campi, et inhospitae pinguescant regiones adhuc; * et reple ubertate domus tuae.

Omnes custodi vigilantes; * et in charitate Christi pro Christi grege latrantes;

Eos custodi etiam sub nocte silenti,* dum reficiunt corpora somno, omnino *oblita* laborum.

O beata Maria nostras admitte preces intra sacrarium auditionis tuae; * et nobis proximisque nostris antidotum reconciliationis reporta tuae.

Amaricatum est cor nostrum desolatione; * tua illud dulcifica dulcedine in die laetitiae tuae.

Loquere nobis, Domina, * ad qualemcumque vitae nostrae consolationem.

Intellectum illumina, voluntatem inflamma; corpus emunda; * et animam sanctifica nostram.

Memorare, quod Jesus Filius tuus, funere devicto, et domita morte, * ante omnes cor a lacrymis exhilaravit tuum;

Filium hunc e mortuis redeuntem nobis etiam restitue tuum; * et a nobis omne recedet malum.

Virgo dux pacis, genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia Coeli.

CANTICUM XXXVI.

PRIMUM MYSTERIUM GLORIOSUM

RESURRECTIO D. N. J. CHRISTI

Psal. 1. mysterii huius.

Pater noster etc; Ave, etc; et Gloria, etc.

Surrexit orbis Conditor,
Victae triumphator necis,
Regina Coeli nobilem
Laetare palmam concinens.

Andriani.

Intacta quem olim viscera
Desideratum fuderant,
Nunc e sepulchro, ceu nova
Nativitate, suscipis.

Complexa mundi Judicem,
Et Conditorem saeculi,
Servata cernens vulnera
Jam terge mater lacrymas.

Nobisque per paschalia,
Quae festa laeti ducimus,
Largire, mater, copiam
Parem superni gaudii.

Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, et gloriae tuae vestimentis; * solve colli tui vincula captiva Filia Hierusalem;

Succedunt laeta tristibus; * et per aspera itur ad amoena.

Hodie mortis destructis vinculis, * Christus ab Inferis victor ascendit,

Portas mortis, et seras pariter disrupit; * amara mors ubi est stimulus tuus?

Claustra quidem destruxit inferni; * et Diaboli subvertit potentiam.

Mortis ab imperio lucis redivivus in auras, * eruit et victos carcere solvit Avos.

Inanis, viri Fratres, Fides et Spes nostra foret, * nisi Christus resurrexisset,

Qui apposite quina resurgens retinuit gloriosa vulnera, * ut essent semper coram Deo pro nobis propitiatio, et eius placarent iram.

Ita miro successu omnia firmavit praeconia Vatum; * et Fides omnium in repromissiones eius complementum accepit:

Omnes igitur in universo Mundo, qui in resurrectionem Jesu Christi credunt, et a saeculi vitiis et peccatorum segregantur caligine, * Dei acquirunt gratiam, sanctisque sociantur.

Electorum cogitatio est in Spe redemptionis; * et in comtemplatione misericordiae matris eius exardescere est eorum perenne negotium.

Supernis interseri civibus appe-

tunt; * et adhuc corporibus in Mundo positi mente extra Mundum volitant.

Ærumnam exilii, quam tolerant, deplorant, * et ad sublimem Patriam incessantibus amoris stimulis, et singultibus excitantur.

O divinarum promptuarium gratiarum; * Agna ex qua Pastor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis.

Ad te confugimus, interemptrix universae malitiae, et pravitatis; * quae perdis peccantium insidias, et scandalum operantium iniquitatem.

Multa petuntur a Deo, et non obtinentur, * appellant miseri ad te, et obtinent;

Non quia Deo potentior es; * sed quia ipse decrevit sic Matrem a nobis honorari suam.

Arenam maris, pluviae guttas, * et dies quis dinumerabit saeculi?

Altitudinem Coeli, Terrae latitudinem, * et profundum abyssi quis dimensus est?

Ita nemo in thesauris Sapientiae et Scientiae, * et in operibus Fidei, Spei et Charitatis magnalia potest recensere tua.

Hester es tu, perfidiam
Aman reprimens graviter;
Famulorum miseriam
Exterminans benigniter;
Regi summo feliciter
Desponsata per Gratiam;
Coronata perenniter
Regiam tenes potentiam.

Ecclesiae, et Christianorum piissima Mater per beatissimam Filii tui resurrectionem, * nos tenero protege affectu;

Et a furentium mundanorum libera persecutionum, et inferorum tentationum tempestate; * donec in beatam nos adducas Patriam.

Immitte fidem, et affectuosam Filii tui resurrectionis Spem super Gentes; * quae non adhuc cognoverunt Deum,

Exaltare in eis, mater Dei nostri, qui in umbris sedent mortis; * ut magnalia et ipsi enarrent tua.

Benedicat te omnis caro; * et omnis lingua, *Coronamque* recitans tuam te glorificet.

Innova, ostende, * et extende huius pignoris charitatis tuae mirabilia.

Et potentia sacratissimi *Rosarii* tui * tolle adversarium; affilge inimicum.

Ad thronum Gratiae non solummodo rogans, * sed et imperans tu accedis.

Festina Domina et memento finis; * quoniam alia non est advocata quae opituletur nobis.

Alma Dei mater; Virgo castissima; felix Coeli porta; * Stella furentis maris, *Ave*.

Laeta tenes Gabrielis *Ave*; * quo tristia mutas nomina et cladem, quam tulit Eva parens;

Vincula solve reis, profer pia lumina coecis; * pelle mala, et miseris tu bona posce, precamur;

Monstra te esse matrem; per te non voia repellat, * qui per te Natus gestiit esse tuus;

Virgo omnes inter mitissima, * criminibus vitae abiutis, confer virginitatis opes.

Tutum iter, et purae da candida munera vitae; * et laetis Jesum cernere luminibus.

Rex Christe clementissime, * ipsa protegente, inimici omne nefas procul pelle.

Et sola tua pietate nos mundos corpore et corde * Paradiso redde tuo.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; * sicut erat in principio, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

—

CANTICUM XXXVII.

Psal. 2. Resurrectionis D. N. Jesu Christi.

O tu, quae semper opimis instaurata malis, * cunctas invadere Gentes poenali ditione soles;

Dic nunc tristis victoria, * dic ubi nunc sit mors stimulus horrenda tuus?

En truculenta non tu pervenis ad Christum, * sed Christus pervenit ad te;

Quippe omnia gignens, omnia constituens, te non formavit ut semine vipereo esses; * culpa genitrice crearis, et venia regnante peris.

Consurgit Christus tumulo;
Victor redit de barathro;
Tyrannum trudens vinculo,
Et Paradisum reserans.

Luce nova rutilans, et Sole micantior ipso, * in vitam e mortis carcere Christe redis;

Ipsa vulnera, quibus lotus conscissus corpore; * et quae diro tulisti supplicii ludibrio, coelesti radiantia lumine gestas;

Vulnera equidem, queis hominum vita, salusque viget, * nostrae quae prodigunt sanctitatis pretium.

Non semper, viri fratres, vilis nostra putrescet caro in foetida urna; * non semper cibus vermium erit.

Cineres, et arida ossa, aetas sit quaecumque licet, * vigore animata novo, iuveniles Christi immortalis surgent in annos;

Ipse redivivus, morte triumphata, mortem peremit ipsam; * sic tandem edidicit improba potuisse mori.

Erebo subacto, spoliis onustus opimis * non sinit ipsam amplius imperium ingens exercere suum.

Sed noscamus etiam viri fratres; * quia Jesus Christus mitis nunc, humilis, gloriosus mortis triumphator;

Praestabilis adhuc in patientia et longanimitate super malitia hominum; * tandem manifestus apparebit Judex.

Non ergo semper silebit, * in conspectu eius ignis exardescet, quando valida ingruet tempestas.

Advocabit Coelum desuper in resurrectione mortuorum omnium, et Terram; * discernens, et innumeros iudicans populos;

Iniquitates nudabit nostras; * non solum actus, sed locutiones, et intimas cogitationes.

Tot iudicibus inopes adstabimus, * quot in opere nos praecesserunt bono;

Tot arguentibus confundemur, * quot nobis bene viventes praebuerunt exempla;

Tot convincemur testibus, quot nos proficuis monuerunt sermonibus; * seque nobis imitandos iustis dederunt exemplis.

Et cum iam in illo metuendo imaginamur nos versari discrimine, * torquet an non conscientia et cordis cruciant ne arcana? . . .

Omnes revera resurgemus, * sed non omnes immutabimur cum Christo Jesu.

O Maria filia, sponsa, et Dei mei mater, ad tuum aeternum gaudium die clamamus ac nocte; * ut rebelles nostras compelias voluntates.

Si tu nos abiicis, * ubi est, qui in die resurrectionis universae carnis nobis opitulabitur?

Si tu nos non exaudis, ubi est, qui nos *Rosaria* canentes tua * almae Sionis glutinet cohorti?

Ubi, qui nos redimat, * quando Filii tui iustitia ardentes sagittas effecerit suas?

Admodum pauci et valde felices sunt, qui mundi huius familiaritatem recusant; * et perfunctoria spernunt gaudia,

Taedeat nos vitae saeculi huius, miseriis plenae et erroribus; * dominae malorum, et superborum reginae.

Quam iuventus extollit; senectus incurvat; infirmitas frangit; * et tristitiae obruunt;

Quam multos suis capit illecebris; * et suis falsis decipit promissionibus;

Et cui furibunda succedit mors; * et post hanc Judicium.

O cordium duritia! * o coecitas mentium!

Statue ergo, Domina Maria, Sapientiae legem et luminis tui; * ut mortem pertimescamus et Judicium;

Ut Hostiam immolemus laudis; * Coronam canentes tuam in tabernaculo Filii tui.

Et ut post mortem pulchritudinem videamus et venustatem; * et suavitatem etiam gloriae immensae sentiamus tuae.

Ita secura fiet mens nostra, et immaculatum cor nostrum. * Si conscientia non deprehenderit nos, fiduciam in Deo habebimus nostro.

Et si accedere non audebimus ad tremendam maiestatem suam; * ad te accurrentes nos expectantem te ad Coeli inveniemus ianuas.

Ave gratia plena quicquid Sancti possunt omnes, * tibi soli sine illis abundantius possibile est.

Benedicat nos Deus Pater Creator; * Deus Filius Redemptor; * Deus Spiritus sanctus Sanctificator.

Et Maria gratia benedicat plena, * propter benedictum filium, fructum ventris sui, Jesum.

CANTICUM XXXVIII.

Psal. 3. Resurrectionis D. N. Jesu Christi

Sat funeri; sat lacrymis; sat datum est doloribus; * « surrexit extinctor necis » clamat coruscans Angelus.

De sepulchro surrexit Dominus Jesus, * qui pro nobis e ligno pependit crucis.

Terraemotus factus est magnus; Angelus Domini descendit de Coelis; et accedens lapidem revolvit sepulchri; * et sedebat super ipsum.

Erat autem flammeus aspectus eius; * et praeclarum, sicut nix, vestimentum eius.

Creatrix Sapientia, quae montes in potentia librasti et colles; * et tribus digitis molem in statera appendisti terrae;

Molem quam ego gero humanitatis huius, * tribus quaeso tuis digitis ad te suspende;

Videam, et coecitas cognoscat mea * quam admirabilis sis in Redemptionis opere, et quam amabilis.

Lux antiquissima, quae ante omnem lucebas lucem in montibus sanctis aeternitatis antiquae; * et cui nuda et aperta antequam fierent, erant omnia;

Lux quae utpote mundissima et immaculatissima, omnem habes odio maculam, * quae tibi deliciae cum filiis hominum, ut tanta sustineres?

Ut sceleri Sanguinem fundendo tuum sponte occurreres? * et aulam diu nobis clausam reserares aeternae lucis?

Estne in nobis dignum maiestatis tuae praeparatum sanctuarium? * ad quod introiens dulcedinem invenias dilectionis tuae?

Mundum enim coenaculum decet te, munda virtus; * nam non nisi a mundis potes videri cordibus, et multo magis haberi.

Omnes nos de massa eximus corrupta et immunda; * et maculam, quam te, qui omnia vides, celare non possumus, in frontibus portamus.

Quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut oculorum elatio * aut vitae superbia

Hi sunt laquei, * quos pedibus paraverunt meis:

Et hae sunt tenebrarum umbrae, * quibus operior in abysso caliginosa carceris huius.

Adiuva me, Redemptor meus, * per sanctam resurrectionem tuam;

Ne corruam in conspectu adversariorum tuorum captus laqueis eorum; * et animam incurvent meam;

Quomodo perfringam eos? * et quomodo inter arcta illaesus pertransibo?

Erue me virtus salutis meae ; ne me risu excipiant qui pietatis tuae blasphemant Sacramentum ; * et sacratissimi *Rosarii* tui munus.

Ne elongeris a me, quia variae, dum illud recino, insurgunt cogitationes in me; * et magnae affligunt animam meam commotiones et angores.

Nemo mundum de immundo conceptum semine facere potest; * nisi tu mundaveris, qui solus mundus es;

Sanctus etiam, et iustus in omnibus operibus tuis; * et prope semper invocantibus te.

Exultabo in te Deus, tu resurrectio mea; * si e limo corruptionis me dextera suscipiat tua.

Confitebor tibi, Deus meus; * et *Rosarium* in aeternum recinam tuum.

Ave Virgo Dei digna; ave Lilium suave spirans; * exaudi nos, et servos salva tuos.

De vertice collium aeternorum filios de laqueo libera tuos; * quem inimici tui nominis absconderunt eis.

Luna et Sole clarior, luce faciei tuae, et vultus tui splendore * impietatis tolle abominationem.

Bonorum corrobora pietatem, * nobisque et omnibus optabile, in domibus eburneis tuis, hospitium para.

Eia ergo dulcis Patrona, in adiutorium exurge nostrum; * ut nos de Filii tui gaudeamus reparatione.

Ipse, completa Passione, * animam proprio dimisit corpore sanctam;

Ipse iterum sumpturus eam; * qui mortuus idem, idem qui Deus vivus erat;

Cuius virtute Infernae paluere viae; * ruptaeque fatiscunt divisa compage petrae;

Rediviva iacentium corpora Sanctorum, fractis abiere sepulcbris; * in cineribus animata suis;

Et ipse redivivus ad matrem festinus venit; * oh! quantum immutatus ab illo, qui nuper in Golgotha turpi succubuit supplicio.

Tu, o Maria, tantae passionis consors, * laeta et mirabilia resurrectionis gaudia prior omnium dignissima libasti;

Prima crucis consors; comes et suprema sepulchri, * prima capis reducis munera laetitiae;

O perfunde tua mater de aspergine pectus; * per tua sit nobis gaudia festa dies;

Cum Rex ille fortissimus, * mortis confractis viribus, pede conculcans Tartara, solvit a poenis miseros.

O crux da quoque nobis virtutem de infirmitate; gloriam de opprobriis; * vitam de morte.

O Jesu Christi gloriosa crux, nostrum refugium; et resurrectio nostra in die magni iudicii, * si compatimur et conglorificabimur.

Gloria tibi sit Domine,
Qui surrexisti a mortuis;
Et fortes in certamine
Sertis ornas perpetuis.

CANTICUM XXXIX.

Ascensio D. N. Jesu Christi in Coelum.

Psal. 1 mysterii huius.

Pater. etc; Ave. etc; Gloria. etc.

Cordis Patris genita Sapientia est; * Filius ipse est.

Sapientia melior est cunctis pretiosissimis; * et omne desiderabile ei comparari non potest.

Communica nobis, Domine, Sapientiae tuae thesauros; * per Evangelicae praedicationis officium.

O Sapientia, quae os aperis mutorum, * Verbum, per quod omnia facta sunt, os aperi meum;

Et mihi vocem laudis dona * ut *Rosaria* canam tua.

Sanctus ab aeterno subsistit Spiritus ore; * tempore nec senior Patre, nec Numine maior;

Nam Sapiens retro semper Deus edidit ex se, * per quod gignenda erant saecula, Verbum;

Edere sed Verbum Patris est, et caetera Verbi; * adsumptum gestare hominem; reparare peremptum;

Conciliare Patri; * dextera in sede locari.

Spiritus ista Dei complet; * Deus ipse fideles in Populos charisma suum diffundere promptus;

Et Patris et Christi * virtutem in corpore transfert.

Christus, Verbum Patris, et mundi Spes, * hodie conscendit ad Coelos;

Post sputa et flagra; * post crucem nobis aperuit Paradisum, quem Protoplastus clauserat;

Paternae iungitur sedi; * Patri praesentans victricis carnis gloriam;

Grande est cunctis gaudium hominibus; * quia omnibus facit credentibus Spem aeternae vitae;

Et gavisa est magnopere sublimis Coeli Regia, * reditu Unigeniti.

Sit nobis cum Coelestibus commune manens gaudium; * illis, quod se praesentavit; nobis, quod se non abstulit.

Credimus ita, quod omnes, qui in Domino moriuntur, per Jesum salvi fiant; * et in die Judicii resurrecturi sint.

Et quod revelata facie gloriam speculantes eius, * in eamdem trasformandi sint imaginem:

Et a claritate in claritatem, tanquam a Spiritu Domini, * in perpetuas splendebunt aeternitates.

Satagamus igitur viri Fratres, * ut per bona opera certam nostram faciamus salutem;

Et nos vocando, nosque post se trahendo; consortes Dominus beatorum reddat, * in resurrectione mortuorum.

Amor facit unum spiritum de duobus; * idem facit velle, idem et nolle;

* Ita actuosus amor animam Deo per voluntatem reddit similem; * cui facta est similis per naturam.

Per amorem ergo, per voluntatem animam Deo reddit similem, * cui facta est similis per naturam.

Per amorem ergo Deo in hac coniungimur vita, in nos ante aeternitatis diem, traducentes eum; * et ei affectus omnes captivantes nostros;

Et amore eius prius nostros componentes mores; * postmodum omnia quae sunt in misera hac vita, tanquam non adessent, considerantes.

Pax Christi hoc modo pax laeta, quae omnem exsuperat sensum; * et cuncta in unitate continet mentium;

Pax ista nostras custodiat intelligentias; * in unitate cordium.

Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est; * tu Domine dignus es accipere honorem et virtutem huius *Rosarii* tui.

Magnus es, excelsus es, immensus es, * magnitudinis tuae non est finis.

Sanctus, sanctus, sanctus, * memento quod sumus tui, licet caduci plasmatis.

Afferent omnes patriae Gentium gloriam nomini tuo debitam, * sancta Trinitas, Una Deitas.

Misericors in muneribus gratiae tuae, * miseratricem Coelorum Reginam, advocatam constituisti nostram;

Quae totum, iure Filii tui, Deus Pater, * possidet regnum.

Si criminis, viri fratres, immanitate turbati sumus; conscientiae foeditate confusi; Judicis horrore perterriti, * Mariam invocemus;

Si diffidentiae, et desperationis nos obruat tristitia; * Mariae *Coronam* necesse est canamus.

Etiamsi interminabilis nostris sub pedibus aperiatur abyssus, et barathrum iam iam nos absorbeat; * nobis restat ut confugiamus ad Mariam.

Ipsa iuvante, * arduos conscendemus Coelos.

Nunc, provocatis actibus, Christum expectare nos decet; * vitaque tali vivere, quae possit Coelos scandere.

Benedicamus unanimiter Patrem, * Filium cum sancto Spiritu;

Laudemus etiam et superexaltemus Mariam, * sanctissimae Trinitatis tabernaculum.

CANTICUM XL.

Psal. 2. Ascensionis D. N. Jesu Christi in Coelum.

Deus meus, lege delector tua, * secundum interiorem hominem;

Sciens mandatum tuum bonum, iustum, et sanctum; * et arguens fugiendum omne malum.

Sed tamen velle bonum et perficere in meis non invenio viribus; * sed tua in me operatur gratia.

Propriae corruptionis pondere pressus * ad perfectiora non assurgo.

Sentio enim in carne mea legem contradicentem legi mentis meae; * et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati.

Multi et magni quidem, Domine Deus, languores mei sunt; * sed amplior medicina tua est.

Sic homo infelix intus pugno et extra; * et factus sum mihimetipsi gravis.

Sed merito mihi in te valida est spes, * quod sanabis me per eum, qui ad dexteram sedet tuam, et pro nobis interpellat.

Certe advocatum habeo ante thronum tuum Jesum Mariae Filium;* alioquin desperarem.

Et advocatam insuper apud Emmanuelem tuum, Virginem Mariam; * ut me doceat reprobare malum, et eligere bonum.

Ipsa quasi vitis fructifera suavitatem fructificavit odoris; * et flos suus est honoris fructus et honestatis.

Tota pura et pulchra, speculum sine macula et aeternae lucis candor, est mater Domini nostri * et simul tota ratio spei meae.

Tu mea fortitudo, o Maria; o cunctis potentior hostibus et sapientior universis; * auxilium confer et consilium.

Doctrix disciplinae; cordium lumen;* solamen pressurae;

Tristitiae fugatrix; lacrymarum amolitio, * calamitatum eversio;

Laetitiae et devotionis effectrix * mihi praesta, ut optimis intentus sim operibus;

Unigenitum adoramus tuum, mater veri nostri gaudii, sedentem ad dexteram Dei Patris; * ubi o clarissima Coeli stella potestas est tua.

Hierusalem patriam meam; Hierusalem matrem meam; * teque, Jesu, regnantem super eam anima concupiscit mea.

Concupiscit videre Patrem et Redemptorem meum, * mortis triumphatorem et Inferorum;

Qui perrupit Infernum chaos; vinctos catena detraxit; * victor triumpho nobili, et ad dexteram Patris sedet.

Et tanquam pupillus benignissimae matris suae praesentia orbatus; * flens et incessanter eiulans ad dilectam visionem tota anhelo anima.

Oculum non avertam a te Hierusalem, nec desiderium, * donec dormiam, et in te requiescam.

Coelorum vigiles pandite limina,
Ac tota Aligerum prodeat obvia,
Acclamans reduci Curia Principi,
Vires qui domuit Stygis.

Sedes ille potens sidereas subit:
Terrarum memor dat Mariae vices,
Ut nostris alacris pospiciat malis,
Et solatia suggerat.

Illa et Discipulis exilium levat
Tristantesque monet, sedula provocat,
Urgetque impositis corda laboribus,
Lucem ut Gentibus Inferant.

Illa dulce fuit sub Duce congredi,
Christique in Maria cernere imaginem,
Matrisque eloquio carpere gaudia,
Quae astris Filius intulit.

Te nobis etenim liquit matremque ducemque; * tristia quae terris damna levare potes.

Bone Jesu, tu qui captivam duxisti captivitatem, * qua nos antiquus humani generis premebat hostis;

Tu nostri spiritus collige primitias; * corrigens in bonitate tua deformitatem nostram.

Introduxisti nos in terram lacte fluentem et melle per passionem et mortem tuam;* aqua Sapientiae potasti nos, ut in aeternum canamus *Alleluia*;

Et omnes, ad quos aqua pervenit ista, a perpetuae mortis erepti sunt casibus; * salvi fiunt; laetantes *Rosarium* conciunt, et *Alleluia*.

Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias;
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu dux ad astra, et semita,
Sis meta nostris cordibus;
Sis lacrymarum gaudium
Sis dulce vitae praemium.

Virgo Maria, vas aureum continens manna, et laetitiam; * vena dulcium aquarum;

Et vena veniae, * misericordias nobis Filii ostende tui.

Reminiscere piissima, quod ipse vulnera pro nobis suscepta abolere noluit, et Coelo inferre maluit; * ut nostrae libertatis pretia semper erogaret pro nobis.

Nostros per devia incertos corripe gressus; da clemens nocentes vitare lapsus; * et celeres fac nos tua vestigia sequi.

Infirmis tu porrige dexteram; * et tecum nos, utpote tui nobilis triumphi particulam, ad beatas fac scandere sedes.

Templum pudoris, honestatis, et pietatis, o Maria; * universae creaturae decus, salus et *Corona*, intercede pro nobis ad Dominum.

Potentia, qua emines, Regem fac salvum nostrum, * consilium, virtutem, et fortitudinem ei dona.

Dies super dies, intellectum, pietatem et sapientiam; * gratias super gratias Filius ei adiiciat tuus.

Insuper omnes Terrae potestates in magna commotione positas * concordes redde, ut diuturnam acquirant pacem.

Gloria tibi Jesu, qui scandis super sidera; * Gloria Patri, et Sancto Spiritui, in saeculorum saecula.

CANTICUM XLI.

Psalmus 3. *Ascensionis D. N. Jesu Christi in Coelum.*

Omnis Jesu Christi pulchritudo * exaltata est super Firmamentum;

Species eius in nubibus Coeli, consors aeternae gloriae, * et nomen eius adoratur in Terris, sicut et in Coelis.

Sed quomodo explicem, qui fuerit Apostolorum Christum comitantium affectus gaudii cum dolore mixti? * quae preces, et valedicentium lacrymae?

Et ipsi diutius haesissent in monte Oliveti, * unde ascendit in Coelum;

Sed angelico obedientes mandato, vestigia osculantes et adorantes eius, * cum gaudio magno regressi sunt in Hierusalem:

Ascendit Deus, viri Fratres, in iubilatione; * et Dominus in voce tubae;

Fractis culpae vinculis, * Paradisi reclusit limina.

A summo Coelo egressio fuit eius; * et occursus eius usque ad summum eius.

A periculis nos liberavit omnibus; * et ab aerumnis, et infirmitatibus sanavit nos.

Animam pro Fratribus posuit suis; * et quotidie nos redimens nobiscum remanet usque ad saeculi consummationem.

Haec est vera dilectio! * propterea diligam te Domine, quoniam tu prior vehementer dilexisti nos.

Dilectio Dei, viri fratres, et proximi, * licet duo sint praecepta, unus tamen ea complectitur amor.

Non est dissimilis amor, quo quis proximum diligit, et quo Deum; * alioquin non esset propter Deum.

Nec quispiam potest diligere Deum, * qui in proximi dilectione noscitur aberrare.

Qui proximum diligit, legem implet; * et per hunc amorem amor cognoscitur Dei, nutritur, conservatur.

Ideoque eadem est virtus; * eademque est dilectio;

Utpote idem est radius, quo quis solem ipsum et terram intuetur; * Deum in summo et Proximum in imo dilectionis diligens radio.

Domine Deus, totius dilectionis auctor, diligentes te utpote amicos protegis; * dulciter exerces, defendis, et a malo praeservas.

Dominus Sanctorum custodit animas; * et de manu liberat peccatorum.

Ad poenitentiam peccatores suscipit; * eisdemque offensas remittit;

Et inaestimabili largitate * gratiam misericordiae donat et tribuit.

Ista dilectio est nuptialis vestis; * quam ad Coelestes qui invitatus est nuptias deferre debet et valet.

Designatur pro inconsutili Domini nostri Jesu Christi tunica, quae nec scissa, nec divisa fuit; * quia, suis contexta beneficiis, subtili est decorata magisterio;

Nam a frigore defendit cupiditatis; * et ab aestu concupiscentiae;

Ad coelestem nos inflammat amorem * et multitudinem operit peccatorum.

Et quia fortis ut mors est divina dilectio, * qui istam induunt vestem, muniuntur et ditantur, ut in aeternum vivant.

Induamus et nos, viri fratres, sicut Electi Dei, viscera misericordiae; * benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, nos ad invicem amantes et supportantes.

Et quaecumque volumus ut in bonitate faciant nobis homines, * faciamus et illis.

Succurre nobis, Pater omnipotens, * de sede sancta requiei tuae;

Succurre aeterni nobis nuptialis convivii largissime dispensator; * nos expertes sumus amoris tui, et proximi nostri.

Et tua benignitate hanc gloriosissimam dilectionis vestem da nobis; * ut invitati ad Agni nuptias, illuc introeuntes, perpetuo fruamur amore.

Ecquid te non invocabimus, Mater pulchrae dilectionis, amoris, et sanctae Spei * *Coronam Rosarii* canentes tui.

Ave singulare Ecclesiae Dei decus; * *Sertum* venustatis, et porta Coeli.

Regina cordis nostri, o Maria, * doce quomodo formare possimus Jesum in mente, in voluntate, et in operibus nostris.

Divinae pietatis consilium ineffabile, et abyssus misericordiarum, * Filii tui aures ad nostras inclina preces;

Ne nos in tempore despiciat senectutis; et si robur defecerit nostrum nos non derelinquat, * et usque ad senectam auxilium praebeat suum.

Nonne sine comparatione nos divina nostra mater Maria plus diligit, * et bona nobis procurat plus quam carnalis mater?

Salve ornamentum, et eximium humanae naturae decus; * salve complementum dispensationis Conditoris;

Salve totius Coeli eminentia, et coelestis receptaculum gaudii * salve pugnantium fortitudo, et *Corona* morientium.

Naufragis portus, in horridis cynosura periclis; * aegris certa salus, Virgo benigna fave.

Quaeque audis humiles, famulos nec deseris unquam, * languenti et trepido confer amoris opem.

Quam optime nobis est in egestatibus, in periculis, in mortis agone, sub tantae matris praesidio! * quis nos de sinu audebit detrahere suo?

Ad beatos ideo, viri fratres, illius curramus pedes, * teneamus eam, et conquaerentes non dimittamus, donec benedixerit nobis.

Tua nos fac intercessione, redemptionis fructus adornari in vita per gratiam; * ut tandem tuis gaudiis, in coelesti patria, fruamur per gloriam.

Tu Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quae regis,
Attende laudis canticum,
Quod exultantes psallimus.

Te terra adoret. Trinitas
Beata, quae clementia
Summa nutris nos, dirigis
Aeterna Providentia.

CANTICUM XLII.

TERTIUM MYSTERIUM GLORIOSUM

PENTECOSTES

Psal. 1. mysterii hujus.

Pater etc, Ave etc; et Gloria etc.

Dominus Jesus, virtus salvationis nostrae est; libertatis nostrae causa, * et nostrae redemptionis pretium.

Captiva eras, anima mea, et hoc es liberata modo; ancilla, et sic rude donata; * exul reducta; perdita in paternam restituta domum;

Mortua tandem; * et sic cum Christo Jesu resuscitata.

Jesus, viri fratres, mortuus est, et resurrexit; * ita eos Deus, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.

Requiem, Domine, aeternam dona omni, quae ad te venit, carni; * corpus corruptibile incorruptionem induat;

Mortalis immortalitatem; * quia absorpta est mors in victoria sua;

Confundantur gehennae ianitores; et ministri erubescant nequitiae * resurgant ad indulgentiam, et Paradiso liberos redde tuo.

Congrega me quoque, Domine, cum Filiis Dei; * qui vocabuntur haeredes quidem Dei, et Christi cohaeredes;

Redemptorem et ego videam meum facie ad faciem; * et praesens semper adsistens manifestissimam beatis oculis aspiciam veritatem.

Jam sicut foenum dies evanuerunt mei; * et brevi fluxerunt tanquam flos agri;

Spiritus non semper in me subsistet; * pertransibit, nec amplius cognoscet locum in quo floruit.

Miserere mei, Domine, quoniam prae lassitudine consenui fretus viribus; * sana animam meam pene agonizantem.

Clamamus ad te etiam o Maria, Dei nostri pulcherrima mater; * ut flagellum stultitiae et incredulitatis saeculi huius a finibus arceas nostris;

Et ista delirantium obsessio seductorum * nunquam tabernaculo appropinquet nostro.

Chirographum damnationis nostrae Filius tulit tuus; * et cruci illud affigens peccatum confixit et mortem.

In hoc salutis ligno legem plantavit, et arrham nobis verae dilectionis dedit, * obedientiae, et fidei;

Dedit et securae quietis, summae pacis, * et aeternae iubilationis.

Et praebuit fraternitatis exemplum et obedientiae * quod est unicum universalis amoris vinculum;

Quia animam pro fratribus suis posuit suam; * praedicans praeceptum Domini, et Testamentum statuens pacis.

Ipse magister, et ipse frater semper nos docens; assidue nos amans; * et pro nobis interpellans.

Rex Regum, et Dominantium Princeps, * obediens fuisti Patri;

Obediens terrae Regibus; Parentibus; Doctoribus mosaicae legis; * et inimicis etiam tuis!

Et ita nos docuisti nostris obedire Praepositis; * etiam iniustis, etiam discolis;

Addidisti in sanctis scripturis tuis; « Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit » vir obediens loquetur victorias.

Adeo nunc doce nos tibi subiectos esse; * ut non quod volumus, sed quod tibi placitum scimus, eligamus.

Ego tuae, Domine, voluntati obedientiam, * ex toto corde, et ex tota men-

te et anima polliceor sempiternam.

Fac ut deinceps legi obediam tuae ad mortem usque; * omni voluntatis meae submissione, et mei intellectus.

Placebo tibi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus; * in persecutionibus et in angustiis;

Ignosce adhuc, * quicquid contra tuam deliquerim voluntatem;

Accipe modo, quod tibi ex corde promitto; * et promissiones gratia tua confirma meas.

Apostoli, post Jesu Christi *Ascensionem*, sese e commercio abstraxerunt hominum; * et intraverunt in Coenaculum;

Ibique manebant expectaturi, * quem ipse promiserat Spiritum sanctum.

Spiritus sanctus amor est essentialis Patris et Filii; * et charitatis vinculum;

Datur petentibus in Fide; * et per bona merentibus opera:

Idcirco Discipuli Domini unanimiter erant perseverantes in orationibus, * adventum praestolantes eius;

Ita ascendens ad Coelum, regressus unde ad nos venerat, * promissum sanctum Spiritum de Patris sui lumine nobis misit.

Decorus ignis, qui calore amoris sui omnem nos docuit Sapientiam; * et pectora gratia inflammavit sua.

In igne apparuit Discipulis in Coenaculo, * tribuens eis charismatum dona;

Spiritus sanctus, ignis vibrante lumine, * linguae figuram detulit;

Seditque super singulos eorum; * et in universum misit eos praedicare mundum;

Disciplinam et Sapientiam docuit eos Dominus; * et Intellectu corda implevit eorum.

Emitte, Domine, Spiritum tuum, et creabuntur, * et faciem renovabis terrae;

Spiritus alme veni, et mentes perfunde tuorum; * imple muneribus corda creata tuis;

Fons vivus; donumque Dei; digitusque superni Patris, * cum sancto Spiritus igne veni.

Tuque, o Christiadum mater dulcissima, votis accurre; * et precibus dextera mater ades.

Per te coelestis pia pectora flamma perurat; * quique tuum pectus dulcis adussit amor.

Tu Domine iussisti, * ut omnia haec haberemus per Mariam;

Attamen *Corona* et honor, quam in famulatu Reginae et matris deferimus nostrae; * in te Regem transfunditur nostrum.

Si Filius prodigus viventem, viri fratres, habuisset matrem; * vel a paterna nunquam aufugisset domo; vel forte citius rediisset.

Et tu Christianorum omnium mater, et magistra Apostolorum, * cum illis in Coenaculo eras.

Et illi tecum erant: mater cum filiis, et Filii cum matre, cor unum et anima una. * Tu tuis accelerasti precibus ardentissimam Paraclyti descensionem.

Salve igitur o Maria, * salve lampas splendidissima in nostrae dubitationis nocte, confusionis et tenebrarum;

Ab ore processisti Altissimi, fulgens sicut Sol; * et formosa tanquam coelestis Hierusalem;

Intellectus bonus omnibus honorantibus te; * et sors illorum inter Angelos pacis.

Salve iterum fidissima illuminatio et directio nostra; * et mendicitatis nostrae divitiarum thesaurus;

Salve liber animatus, incomprehensus, Spiritu sancto obsignatus; * et quae Verbum Patris legendum exhibuisti Mundo.

Sancta mater, dulcissimus Filius tuus sitienti populo * fontem viventis aquae de petra produxit;

Te intercedente, * de cordis nostri duritia lacrymas compunctionis educat.

Nobis pauperibus, Domina et mater

nostra, * Spiritus sancti dispertire dona.

Esurientes refove filios tuos et egenos; * a rugitu terribilis hostis non trepidabit in morte cor nostrum.

Non fuit, et non est in mundo similis tibi, * florens inter mulieres per *Rosariorum Serta*, et fragrans, ut lilia et balsama.

Lapsos erige; errantes collige; trementes corrobora; * pusillanimes conforta; incredulos et rebelles converte.

Pectoribus nostris amorem infunde donorum coelestium, insere et desiderium virtutis; * et omne fraenare vitium doce.

Tribulationes memora, quibus nos premimur; tantis subveni ruinis; * et populum tuum a perditione libera vertiginosi saeculi huius.

Pacem insperatam quam citissime inter gentes fratricidas * concilia diuturnam.

Praeclara custos virginum; intacta mater luminis; * coelestis aulae ianua; spes nostra, Coeli gaudium;

Inter rubeta lilium; columba formosissima; * virga e radice germinans nostro medelam vulneri.

Turris draconi impervia; unica stella naufragis; * tuere nos a fraudibus, tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute; syrtes dolosas amove, * fluctus tot inter, deviis tutam reclude semitam.

Honor, et gloria tibi Trinitas aequalis, Una Deitas ante omnia saecula; * et laus a nobis, nunc et in perpetuum, sit et Mariae.

CANTICUM XLIII.

Psalm. 2. Pentecostes.

Iam nos non sumus, viri fratres, hospites in terra, et advenae, * sed sanctorum cives et domestici Dei.

Superaedificati sumus super fundamentum Patriarcharum, * Prophetarum et Apostolorum;

Spiritus sancti igne repleti; * ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Ergo non ultra moremur converti ad Dominum, nec de die differamus in diem; * nescimus enim, quid cras futurum sit.

Periculum et metus est in differendo; * salus vero certa et secura, si nulla sit dilatio.

Multi dum male et vitiose viverent, subito perierunt; * et in manifestam abierunt damnationem.

Stulto peccatum illudet; * sed inter iustos tantum morabitur gratia.

In corpore et in spiritu meo solummodo misericordia perdurabit tua Domine; * quia inexterminabilem me constituisti.

Attamen non in terra, in qua omnia mutationi subiacent, parasti sedem meam; * sed ubi te benedicunt omnes potentes virtute, verbum facientes tuum.

Paucos post dies, vel menses, vel annos; * expleto exilio isto, simul cum mortuis tuis rapiar in nubibus, obviam Christo meo, in aëra.

Pellite corde mea membra metum; * et credite vosmet cum Christo reditura Deo;

Vos gerit ille, * et secum revocat;

Morbos ridete minaces; inflictos contemnite casus; et atra despicite sepulcra; * exsurgentes, quo Christus provocat, ite.

Qui me refecit, manna cibavit Patrum; * et potu immortalitatis potavit;

Et ipse misericors et miserator * locum inter oves etiam praestabit mihi.

O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus, * quam magnae sunt promissiones misericordiae tuae.

Ave Iesu, solatium laboris mei; * meae afflictionis refugium;

Ave Iesu, peregrinationis meae viaticum, * et meae expectationis praemium;

Redemisti nos, Domine, in Sanguine

tuo, ex omnibus Linguis et Nationibus;* et fecisti nos Deo nostro regnum.

Reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsisti humani; * ut inventor mortis Diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur.

O divina abscondita vis, * homo in cruce pendens aeternam suspendit mortem genus prementem humanum;

O celata potestas, * homo cum latronibus damnatus homines salvavit cum Daemonibus iam perditos!

Et omnia ad Seipsum traxit, * et reviviscere fecit.

Benedictio, claritas, sapientia et gratiarum actio; * honor, virtus, fortitudo Deo Patri, Deo Filio, et Deo Spiritui sancto.

Jesus, viri fratres, hanc relinquens lacrymarum vallem, * elevatis manibus benedixit omnibus, qui sequuti erant eum;

Et videntibus illis * sublimatus est in Coelum.

Ascendens captivam duxit captivitatem nostram, * seditque ad dexteram Patris;

Apostoli, et Discipuli regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno; * adventum expectantes Spiritus sancti;

Omnes gentes plaudite manibus; * iubilate Deo in voce exultationis in adventu Spiritus Domini.

Praestolare amor Patris omnipotentis; * Prolisque beatissima Communicatio.

Moerentium adveni consolator Paraclyte Spiritus * cordis mei penetralibus potenti illabere virtute.

Cum complerentur dies Pentecostes,* erant omnes Discipuli pariter in eodem loco;

Et factus est repente de Coelo sonus advenientis Spiritus vehementis; * et totam replevit domum, ubi erant sedentes;

Sonoro Flamine fundamenta tremuere Coenaculi; * et plurima flamma dissectis emicuit linguis, rutiloque nitore coruscis.

In charitate ardens * cunctorum superius edit capita;

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto;* et coeperunt loqui variis linguis.

Petrus exiens de Coenaculo locutus est Judaeis, * qui compuncti sunt corde;

Et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia; et iterum quinque millia; * aqua sapientiae potabat eos;

Imponebat manus super audientes verbum Dei, * et Spiritum accipiebant sanctum.

Ita et Apostoli * mirifice operabantur omnes.

Dum Cornelius Centurio, et qui cum eo erant, Petrum audiunt loquentem * cecidit Spiritus sanctus super eos.

Et obstupuerunt ex *Circumcisione* fideles; * et glorificabant Deum dicentes:* » ergo et Gentibus etiam dedit poenitentiam Deus ad vitam ».

Nos poeniteat ergo viri fratres; * et convertamur ad Deum, ut nostra deleantur peccata omnia;

Dextera Domini fecit virtutem;* dextera Domini exaltavit nos.

Victricem manum suam laudemus pariter; * quia Sapientia aperuit os mutum, et infantium linguas fecit disertas.

Confitemini Domino; et nomen invocate sanctum eius; * annuntiate inter Gentes opera eius;

In Christo baptizati sumus, * ut Christum induamus;

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, * per Spiritum sanctum eius.

Salve igitur iterum atque iterum Patris amor, * Prolisque beatissima communicatio;

Et tenebrosa quaeque neglectae domus latibula * corusci luminis fulgore laetifica;

Tuique roris abundantia, * longo ariditatis marcescentia languore, visitando foecunda.

Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo; * et tepentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende;

Sancti fervoris igne illustrando * intima depasce mentis et corporis universa.

Magnificantes Deum Patrem, Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum Mariae sponsum; * nomen ipsius Mariae nostrae matris in idipsum exaltemus Deum.

In ipso, et in ipsa anima laetabitur nostra, * ob acceptam Redemptionem;

Audiant hoc poenitentes; * et eius recinentes sacratissimum *Rosarium* congaudeant cum mansuetis.

O benedicta filia Hierusalem, agnovit te Dominus in benedictionibus suis; * et benedictionem omnium populorum *Coronae* addidit charitatis tuae;

Magnificavit te; assumpsit te; * et te super choros glorificavit Angelorum;

Propitia nobis sis et clemens; * curam nostrae assumens peregrinationis.

Te sequentes nunquam deviabimus; * et magna est multitudo dulcedinis tuae, quam revelasti diligentibus te;

Gloria et laus tua ubique nobis adsit *Rosaria* recinentibus; * quae semper ab ore resonent nostro.

Fac, Deus simplex, pariterque Trino
Hic sequi vocem Genitricis almae,
Ut tibi laudis modulemur hymnum
Omne per aevum. Amen.

CANTICUM XLIV.

Psalmus 3. *Pentecostes.*

In te, Domine, Patres speraverunt nostri, * speraverunt, et liberasti eos.

Deus meus, respice etiam in me; * ne omnes me videntes irrideant me;

Miserere, quoniam extraxisti me de nihilo; * et es spes mea ab uberibus matris meae;

Adiuva creaturam tuam; * ne illa, quam benignitas operata est tua, in sua pereat malitia.

Quae utilitas in creatione mea, si me non regis? * et si vivens in corruptionem descendam meam?

Non mea te coëgerunt merita, neque virtutes ullae ut me creares; * sed iam sum clementia solummodo tua; et si me non regis, iam non subsistam:

Ideo, ne derelinquas me in cogitatu maligno meo; * neve dederis me in effraenationem oculorum meorum.

Aufer a me concupiscentias; * et animo infrunito et irreverenti ne tradas me.

Sed in lenitate posside tua; * ut de te semper cogitem.

Exurge Domine Deus meus; * et inimici dissipentur tui.

Fugiant a facie tua, sicut fluit cera a facie ignis, * qui animam oderunt meam;

Leo rapax et rugiens aperuit super me os suum; * me a framea erue eius.

Animam salva meam; * et cum fratribus excelsum canam in Ecclesia magna *Rosarium tuum.*

Recipe me in abscondito tabernaculi tui; * ut cum Filiis gaudeam tuis, bonis satiatus domus tuae.

Domine Iesu, tu protector es noster; tu qui reddis gratiam et facis misericordiam, recordaberis nostri; * et in tempore casus nostri tu eris firmamentum nostrum.

Qui destruxisti mortem, et vitam illuminasti in incorruptione, * emitte Spiritum super nos sanctum tuum:

Ipse nos adducet ad montem sanctum tuum, * in tabernacula tua:

Ipso duce et rectore sic per temporalia transeamus, * ut aeterna non amittamus;

Non nobis, Domine, sed nomini sancto gloriam da tuo, * nos spiritu oris tui inflammando ad fidem nobis datam;

Et constantia et labore * operibus exornandam.

Sacerdotes, et Templi magistratus, et seniores dolentes, quod Apostoli tui docerent Populum gloriosam resurrectionem tuam, * eos denuntia-

verunt, ne omnino in nomine loquerentur tuo.

Et illi ibant gaudentes a conspectu Concilii; * quoniam digni habiti sunt pro tuo nomine contumeliam pati.

Saulus, spirans minarum et caedis in Discipulos tuos; * cum appropinquaret Damasco, circumfulsit eum lux de Coelo;

Et cadens in terram, audivit vocem dicentem: * « Saule, Saule, quid » me persequeris? »

Et ipse, antea lupus rapax, molli nunc vestitur vellere agni; * et adempto lumine, qui fuerat Saulus, fit Paulus;

Mox recepit visum; * et per Dei gratiae prodigium, conversus est in Apostolum, et populorum Doctorem.

Praedicavit ubique, Domino cooperante, * et sermonem confirmante sequentibus signis.

Insignis Apostole Gentium, * ter virgis caesus fuisti; semel lapidatus;

Ter naufragium pertulisti; * et ad mortem usque, pro Dei gloria, dimicasti.

Egregie Doctor Paule, mores instrue * et nostra tecum pectora in Coelum trahe;

Velata dum meridiem cernet fides; * et, solis instar, sola regnet charitas.

Inflamma nos quoque, Domine; Spiritu oris tui, * ad fidem sanctam tuam operibus probandam.

Veni sancte Spiritus; pota nos torrente voluptatis tuae; * ut nihil de mundanorum degustare amplius libeat venenata dulcedine.

Veni dolentis animae consolator; * mundator sceleris; vulneris curator; fortitudo fragilium * labentium levamen;

Navigantium veni sidus; portus naufragantium; * omnium viventium singulare gaudium; et morientium consolatio et refugium.

Qui procedis ab utroque
Genitore Genitoque
Spiritus Paraclyte,

Redde linguas eloquentes,
Sed accende primum mentes
Charitatis fomite.

Tu procedens a duobus,
Coaequalis es ambobus,
In nullo disparitas,

Par maiestas personarum,
Par potestas singularum;
Et communis Deitas.

Amor Patris, Filiique,
Par amborum, et utrique
Gloria consimilis.

Coelos imples, terras foves,
Mare domas, cuncta moves
Permanens immobilis.

Tu commutas elementa,
Per te suam Sacramenta
Praestant efficaciam.

Tu malignam vim repellis,
Tu subvertis, et refellis
Hostium nequitiam.

Te docente nil obscurum,
Te praesente nil impurum;
Cuncta sunt splendentia.

Gloriatur mens iucunda;
Per te sana, per te munda
Gaudet conscientia.

Quando venis corda lenis;
Quando subis, atrae nubis
Effugit obscuritas.

Sacer ignis pectus uris,
Non comburis, sed a curis
Eruis, dum visitas:

Mentes prius imperitas,
Et sopitas, et oblitas
Erudis et excitas.

Cor ad fidem facit pronum,
Ori muto reddit sonum
Manans a te claritas.

O quam felix, quam festiva
Dies, in qua primitiva
Conditur Ecclesia!

Vivae sunt primitiae
Nascentis Ecclesiae
Tria plebis millia.

Pares Legis primitivi
Una fiunt adoptivi
Fide duo populi.

Namque duos unum fecit,
Cum duobus se praefecit
Lapis caput anguli.

Tu perversos corde vitas,
Sed sinceros mente ditas
Dono Sapientiae.

Veritatem notam facis,
Et ostendis viam pacis,
Semitas iustitiae.

Dat liquorem Helisaeus,
Largum fundit rorem Deus,
Ubi vasa vacua.

Utres novi non vetusti,
Sunt capaces novi musti,
Tu fac corda congrua.

Non hoc musto, vel liquore,
Non hoc sumus digni rore,
Si discordes moribus.

In obscuris, vel divisis
Sancta nequit paraclisis
Habitare cordibus.

Consolator alme veni:
Linguas rege, corda leni
Nihil fellis vel veneni
Tua fert praesentia.

Nil iucundum, nil amoenum,
Nil salubre, nil serenum,
Nihil dulce, nihil plenum
Sine tua gratia.

Tu coeleste condimentum,
Medicamen, et unguentum
Aquae ditans elementum,
Virtute mysterii.

Nova facti creatura
Te laudamus mente pura:
Irae prius ex natura,
Gratiae nunc filii.

O qui dator es et donum,
Tu qui condis omne bonum
Mentis dona gaudium.

Terge corda, terge sordes,
Vincio pacis fac concordes;
Adsis ad praesidium.

Sicut post ascensum Christi
Rudes linguis imbuisti
Variis Discipulos,

Sic nos vise, sic dignare
Dissidentes congregare
Una fide populos.

Demum mortis ab hac valle
Duc ad vitam recto calle
Laetos de victoria.

Ubi Patri, ubi tui
Et aeterni Verbi frui
Mereamur gloria. Amen.

Te quoque beatissima invocamu
Virgo virginum Maria; * Spiritus san
cti Sponsa;

Per sanctam et immaculatam ani
mam tuam, * cor et animam emun
da nostram, et inflamma;

Infunde quaesumus, et utrumqu
in nos coniunge affectum, timorei
et amorem; * ut coram Dei nostr
maiestate sistere valeamus.

Ave rerum potens Diva, human
auxiliatrix generis; * tu es magne
ferream attrahens cordis nostri duri
tiem;

Tu esca dulcissima ad alliciendo
et capiendos peccatores sicut pisces,
in poenitentiae retibus.

Ave virgo, vena munda, per te viv
fontis unda nobis semper irroretur,
quo cor nostrum inebrietur.

Ave decus puellarum, virgo Juda
semen clarum; * Patris Parens, nat
Prolis, Dei Sponsa, aula Solis.

Rogantes audi servulos; * et impe
tratam plenam coelitus nobis defer in
dulgentiam.

In te confidentes, piissima, paren
tes etiam commendamus nostros; * qu
in Purgatorii detinentur igneo carcere

Eiulatum omnium filiorum audi tuo
rum; * et super omnes Spiritum ad
voca Sponsi tui.

Salve iterum amor Patris omnipo
tentis; * atque centies salve et millie
Prolis beatissima communicatio.

Salve moerentium consolator Para

clyte Spiritus; * cordis nostri penetralibus potenti illabere virtute.

O Lux beatissima, quae in labore es requies, in aestu temperies; * et in perturbatione mentis serenitatis Coelum.

Veni humilium Doctor; superborum destructor; orphanorum Pater; * viduarum praesidium; virginum et infantium tutela;

Lava, quod est sordidum; riga, quod est aridum; * sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum; fove quod est frigidum; * rege quod est devium;

Da virtutis meritum; * da salutis exitum, da perenne gaudium.

Veni, sancte Spiritus, propitius condescende; * veni et apta nos tibi.

Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernui,
Illapsa nobis coelitus
Largire bona Spiritus.

CANTICUM XLV.

QUARTUM MYSTERIUM GLORIOSUM.

ASSUMPTIO IN COELUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Psalmus 1. Mysterii huius.

Pater, etc; Ave, etc, et Gloria, etc.

Novum, viri fratres, agite *Rosarium* laudis; * inaestimabilis est Matris nostrae gloria et splendor.

Illam comitemur in cymbalis iubilationis, * coelestem ingressuram Regiam.

Sicut irriguus somnus, * sic tranquilla quies puris morientis illabitur membris;

Et corpus iacuit eius, * tanquam placido correptum sopore.

Soluta carnis pondere, ad astra Virgo tollitur; * accepta Coeli iubilo, et Angelorum canticis.

Sedes facta es, o Maria, Sapientiae; sceptrum orthodoxae Fidei; * quia singulari tuo assensu mundum sublevasti lapsum.

Et Templum Dei uterus factus est tuus, nesciens virum, * non est pollutus, carnem ex te acciplens.

Sic Deus dilexit nos, ut suum nobis Unigenitum daret; * et sic pariter Maria nos dilexit, ut Filium nobis daret suum.

Nulla post eam creatura ita pro nobis exardescit amore; * quae Unigenitum suum, quem multo plus quam se amavit, pro nobis obtulit.

Summus Artifex omnium
Te providit vas nobile,
Vas dignum, vas egregium,
Vas gratum, vas laudabile
Vas cunctis venerabile;
Famulis ut edulium
Ministres delectabile,
Panemque Coeli civium

Tu supra Coeli solium
Ad dexteram Dei resides
Juxta proprium Filium
Coeli Regina praesides;
Confirmas mentes desides,
Praestans eis auxilium;
Et tuis servis provides
Impetrando auxilium.

Vernaculus tuus sum ego; * et minimus in familia servorum tuorum.

In tua tamen permanens sancta custodia, * nunquam a charitate Dei declinare potero.

Ineffabilis est pietatis tuae suavitas, * adoramus te cum Angelis et Sanctorum agminibus in Coelum assumptam.

Jaculis tuis cor vulnerasti nostrum; * et nos desiderio amoris tui vehementer flagramus.

Et oculi nostri defixi sunt, sicut oculi Elisaei ad Eliae currum, * ad ascendentem gloriae tuae magnum comitatum.

Benedicta es Coelorum Regina ex ima ista transiens valle; * et benedicenda in saecula;

Decus maternitatis tuae; virtus, magnificentia, et plenitudo; * maiestas et charitas tua omnem excedit sensum.

Salve vitae principium, et currus eburnee, * e terra miseriarum ad Coelum tecum traiiciens populos;

Illuminatrix mentium; cordium inflammatrix, * maternitatem monstra tuam, nos erga te reddendo piissimos.

Singulare decus; gloria Israel; dextera JesuChristi ad lapsos extensa erigendos omnes; * nobilitas Electorum omnium;

Tua nos sapientia dirige; charitate contine; * clementia solare; et potentia protege.

Draconem contrivisti; * nostrorum contere Mater, et solve vitiorum vincula.

Te, mater alma Numinis,
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut Daemonis,
Tua sub umbra protegas.

Ob perditum nostrum genus,
Primi Parentis crimine,
Ad inclytum matris decus
Te Rex supremus extulit.

Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris;
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.

Audi Filiorum tuorum planctum amarum; * ne dormias custodiens incolumitatem nostram;

Quia non dormit, neque dormitabit hostis, * qui nos impugnat.

Tu mater gratiae*Sertum*, et honoris; tu Stella procellosi propitia maris, * impera ventis et tempestatibus, et in nobis tranquillitas erit magna.

Facta es nobis in refugium; * quia filius tuus factus est nobis in auxilium spei nostrae.

Intacta Virgo es tu, et mundi mater; * idest gestatrix pro omnibus vitae et laetitiae.

Per te venit ad nos Deus, pro pietate et bonitate sua, in similitudinem carnis peccati; * venit quaerere, et sua morte salvum facere quod perierat;

Quaesivit oves perditas et invenit; * humeris ad caulas gregis eas reportavit, vere multum mitis Pastor.

Manifesta nobis adhuc, et semper e summa sede gloriae tuae, hoc amoris mysterium; * et fidem nobis impetra perfectam.

Impetra, ut praeteritas defleamus iniquitates; * et futuras repellamus tentationes;

Vitiosas corrigamus propensiones; devias dirigamus inclinationes; * et idoneas excolamus virtutes;

Indulgentiam peccatorum obtine; vitae consolationem, * gubernationemque perpetuam;

Omne delictum ablue; piam medelam tribue; * sub sceptro tuo inclyto tuum defende Populum.

Laus et perennis honor Deo Patri et Filio, * sancto simul Paraclyto, in saeculorum saecula. Amen.

CANTICUM XLVI.

Ps. 2. Assumptionis B. Mariae V.

Nos creaturae animatae, et Dei redemptae Sanguine, * altera pars Coeli sumus, altera Terrae.

Corpus, viri fratres, quod corrumpitur, * aggravat animam.

Anima mea, socia et amica mea, de via veniens languet et iacet, * discissa et lacerata ab eis, per quas transierat, vanitatibus;

Esurit, et valde sitit, et non habeo, quod ponam ante illam refrigerium, * pauper enim sum, et in aere mendicus meo.

Tu Domina Maria ad dexteram Dei residens * omnium dives es bonorum;

Dapum etiam supernae societatis * opulentissima dispensatrix;

Collige ergo dispersam; scissam redintegra, * famelicam istam satia animam meam.

In mari vitae huius hostes, lites, bella foris, et pugnae, * timores intus; nusquam secura pax, nusquam secura quies;

Circum flantibus agitor procellis, et fidam non invenio stationem, * vel locum eminentiorem, ubi pes meus consistere aliquatenus valeat.

Sed laetatus sum cogitans, quod tu fidissima stella nostra, * data es ut illuceres omnibus;

Filia, Sponsa, et Mater Dei nostri, * Lucem generasti, quae nostras dissipat tenebras.

Benedictus Dominus in donis suis, * et sanctus in omnibus operibus eius;

Amodo non aestus, et sol percutiet nos; * quia ipsa umbraculo pietatis suae nos tegit;

Et ad fontes dulcium Filii sui aquarum sitim restinguit nostram; * et nos refrigerat.

Laudent propterea Dominationes et Principatus * matrem nostram in Coelum assumptam.

Simul et iubilate terrestrium mentes, * *Coronam* recinentes suam;

Quia ipsa consolata est populum suum; * et animarum miserta est nostrarum;

Transimus per ignem et aquam; * sed tandem educet nos in refrigerium.

Tota ista nostra mortalis vita * crucibus est circumsignata.

Erramus, viri fratres, si expectamus requiem et gaudium, * potius quam tribulationem et laborem;

Sed postea, re placata, in consolationem vertetur tribulatio nostra in Coelis, * ubi imperat Maria.

Refrigerium nostrum tibi, o benignissima, committimus; * et a te expectamus;

Conscinde saccum mortalitatis nostrae; * et laetitia circumda nos transitus et assumptionis tuae.

Omnes fere Apostoli, momento temporis, in sublime elati, * convenerunt Hierosolymam ex universo mundo;

Et astantes decedenti Virgini Mariae audierunt eam dicentem, * « adiuro vos filiae Hierusalem, ut dilecto nuntietis meo, quia amore langueo. »

Mitis, atque hilaris Christi Jesu aspectus Matri apparuit suae; * et in manu Dei sanctam tradidit animam.

Post tertium diem Apostoli tumulum aperuerunt; * et sacrum nequaquam potuerunt invenire corpus;

Hoc solum cogitare potuerunt, * quod Filio placuisset eam translatione honorare ante universalem resurrectionem.

Cum honore obvius ingenti * plaudens venit chorus Angelorum;

Canentes te ducunt, o Maria, laude frequenti; * decoratam astris ad amoena regna beatorum.

O pia, o dulcis virgo Maria, * ita in beatitudinis promeritae solio, sublimatam post Christum, gloriosam residere te credimus, et profitemur.

Ecce, quod bone et pie Jesu concupiscimus; * ecce, quod speramus.

Ecce, quod iunctis manibus et flexis genibus a tua imploramus fraternitate, * et a clementia beatae Mariae virginis.

Tu, qui superna gaudia, plusquam omnes Sancti, haustu perenni bibis, * nostras ne sperne preces;

Armatura esto insuperabilis; * spiritualium hostes phalanges scuto *Rosarii* tui a nobis repellens;

Refugium et solamen in angustiis; * et tribulationibus, quibus circumdamur, te praesta.

Tu nostra mater et patrona; * potentia seda tua animarum nostrarum passionum impetum.

Et mortiferarum affectionum simulacra amove, * o casta, o pia.

O splendor mystici inoccidui sideris, * o nostra matutina stella;

Nobis solem lucidissimum, qui ab utero processit tuo, * clementer de Coelo ostende gloriae tuae.

A te salutem speramus; * nec multitudo peccatorum cogere nos potest veniam desperare.

Superadde cor firmum nobis, * quod nulla abducat a Deo pusillanimis cogitatio;

Pariterque invictum cor impetra, * quod nulla frangat tribulatio et angustia.

Etiam et liberum; * quod nulla sibi vindicet perversa ac violenta affectio.

Ecce ergo Domina salvatrix nostra, * aquam in gaudio hauriemus Filii tui.

Nomen invocantes sanctum eius; * et *Coronam* canentes sacratissimi *Rosarii* tui.

Patri, Filio, et Spiritui sancto, qui Unus Deus, ex quo omnia; per quem omnia; in quo omnia, * laus, virtus, honor, in iubilatione cordis ab omnibus tribuatur. Amen.

CANTICUM XLVII.

Psal. 3. Assumptionis B. Mariae V. in Coelum.

Dominus possideat nos, et nos regat usque in finem; * Ipse nostra imperturbabilis via, veritas, et vita; et rectorum delectatio.

Descendat, Jesu pie, in cor nostrum odor tui suavissimus, * amor tuus dulcissimus in animam ingrediatur nostram.

Charitas, Deus noster, amor dulcedinis, et pietatis dulcedo; * amor tuus sincere casteque permanet in saeculum saeculi.

Vincenti Mundi huius amores manna praebes absconditum, * tui cordis charismata, et nomen novum.

Domine Jesu, amor tuus lucerna fulgoris est, * ardens in mente per desiderium, et in facie splendens per exemplum.

Ab intellectu iste dulcissimus oritur amor; * et per Fidem cadit in cor.

Provenit a gratia Dei Patris; * tu dixisti « nemo potest ad me venire, « nisi Pater meus traxerit illum. »

Amor praeceps; amor Jesu flagrans, vehemens, * ego te intra me cohibere non valeo; tu praeter te aliud cogitare non sinis.

Dulciter nos capis; * contemnere facis et fastidire omnia.

Strenue stringis; sapienter erudis; * gloriose illaqueas.

Delectabiliter oneras; feliciter uris; * beateque consumis;

Affectu es desiderabilis; experientia dulcis; * iucunditate plenus; fruitione aeternus.

Tu Christe es Rex meus; * Tu Deus meus, qui mandas salutem Jacob.

Tibi serviam soli; * et te solum casto timeam affectu.

Per te, quae agenda sunt, * videam et amem.

Et ne circumferar ab hominum nequitia, et astutia, * ut ad agendum quae praecepisti convalescam.

Ita ut desiderio, opere, firmoque proposito, * nil tibi contrarium cupiam, nil anteponam, aut aequem.

Et sanctissimum honorem tuum, * tanquam fideiis subditus, ad animae effusionem defendam usque.

In te exaltabor, * si nunc modicum oportet contristari in variis tentationibus.

Probatio, viri fratres, Fidei nostrae, * multo pretiosior est auro, quod per ignem probatur.

Invenietur in laudem, et gloriam, et honorem; * in revelatione Jesu Christi Domini nostri.

Desiderium pauperis exaudisti, Domine, * praeparationem cordis mei auris audivit tua.

Gratias tibi Deus, qui ab insanabili vulnere pectus curasti meum; * et pedes eripuisti meos a lapsu in deceptionem.

Gratias, tibi Deus, Una et sancta Trinitas, quia oculos a lacrymis abstersisti meos; * et animam a morte liberasti aeterna.

Deduxisti me super iustitiae semitas; * ideo, etiamsi in medio ambulavero umbrae mortis, non timebo mala, curam in te iactans et spem meam.

Ecquis similis tibi in mirabilibus?* imple adhuc faciem inimicorum nostrorum ignominia, ut nomen timeant tuum.

Eripe, Domine, ab oppressione potentis egenum; * humilem, et pauperem; pupillum et viduam;

Eripe piissime, et ad vitam revoca omnes, qui in morte peccati sedent; * iudicium tuum iustum est, misericordia et veritas.

Exurge Deus, et terram iudica tumultuantem; * sed nusquam nobiscum irascaris.

Nusquam amplius accendatur; * et contra nos, veint ignis devorans, zelus exardescat tuus.

Ad Matrem respice tuam, propter gloriam nominis tui; * ipsa in Coelum assumpta *Rosarium* est et *Corona* Sanctorum omnium.

Regina, solis lumine
Amicta, terras deserit;
Coeloque et Orbi praesidet,
Plaudente turba Coelitum.

Aurora solt proxima
Mundi tenebras dissipat;
Et nos benigno Sidere
Coelesti ab arce prospicit.

Primaeva si mortalium
Te cura pergit tangere,
Oblita nec languentium
Dici Parentem respicis.

Converte Natis lumina,
Tuere, quos certamina,
Inter cruenta iugiter
Pugnare cernis filios:

Certantibus da frangere
Hostis superbi robora,
Et redde post victoriam
Tecum triumphi compotes.

Magna es, o Maria, * et laudabilis valde in Ecclesia Electorum.

Multa et mirabilia dona sunt *Rosariorum* tuorum; incomparabilia super munera terrae divitiarum; * quia *Coronam* nobis constituunt perpetuae immortalitatis.

Non dormit pupilla oculi tui; * quia mater es illuminationum mentium nostrarum, et nutrix, dulcem refovens pietatem.

Cor tuum amantissimum commune est etiam propitiatorium nostrum; * quia per te amor Jesu de excelso loquitur ad animam nostram.

Per te benignitatis et veniae *Rosarii mysteriorum* suorum thesauros nobis reserat; * unde munera, et omnia largitur spiritualia bona.

Innocentibus reverendum tu es alabastrum spiritualis gratiae unguenti; * et firmissima Arx, quae inimicorum retundit superbiam.

Per tuas ergo preces, * nos poenitentes Deo placebimus nostro in lumine viventium.

Ave palmes vitis verae; bona Sion me videre, * cunctis Virgo fac diebus, ut abundem laetis rebus.

Ave Virgo lux astrorum; educ quaeso vitiorum lutulenta me de faece, * pro me Deo fusa prece.

O beata sicut Cinnamomum aromatizans et Balsamum; * et suavem in terris spirans, sicut in Coelis, odorem.

Gloriosa et felix, * excedens omnes coelestis Curiae ordines, ad aethereum pervenisti thalamum.

In quo, pia et benigna, * tui memorum nunquam existis immemor.

Praeclara, viri fratres, est festivitas ista, * concinite tubis, dicite *Rosarium*.

Et quia inaestimabilis est nostrae matris gloriae splendor; * incomparabiliter omnium Sanctorum festivitates excellit.

Sic illa sedes coelitum, semper resultat laudibus; * ingesque canori praedicant Deum Unum et Trinum.

Nos illis iungamur aemuli almae Sionis coetibus; * assumptae matris Mariae laeti canentes laudes.

—

CANTICUM XLVIII.

QUINTUM, AC POSTREMUM MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA, FILIA, SPONSA, ET DEI MATER, TERGEMINA IN COELIS REGIA REDIMITA CORONA.

Ps. I. Mysterii huius.

Pater, etc, Ave, etc, Gloria, etc.

Diligam te, Domine, fortitudo mea; * quoniam tu prior dilexisti me;

Grates ex toto corde et anima tibi cano; * propter innumera beneficia, quibus ab initio educasti me.

Discrevisti me ab insensibilibus; * pariter ac a sensibilibus creaturis;

Insuper honorificasti et exaltasti; * et paulo minus me minuisti ab Angelis.

Quotidianis et singularibus beneficiorum tuorum donarlis me nutrivisti; * et quasi filium teneltum uberibus consolationis tuae laetificasti, et corroborasti.

A periculis me liberasti omnibus; * et in aerumnis et infirmitatibus me sanasti.

Amo te, Deus cordis mei, * omni qui es melle dulcior, et omni luce clarior.

Tu *Corona* spei meae, qua gloriam ornasti vincentibus praeparatam; * et tu *Rosariorum* nobilissimum *Sertum*.

Animam istam meam, tuo emptam Sanguine, quam toties tibi consecravi votis, * tibi in regno gloriae tuae coniunctam flagito.

O Maria, quia tibi super astra residenti, huius regni claves et thesauri commissi sunt, * te *ianuam* salutamus Coeli.

Et Coeli te *scalam* in nostris salutamus etiam *Rosariis*; * quia per te Jesus voluptas cordium, et casta Lux amantium ad nos descendit.

Tui nos sumus, utpote filii tui; * per te recuperare salutem, et ubi tu es, ascendere confidimus.

Deiparens sancta, veneranda, omnibus laudanda laudibus; * aeterna Coeli gloria, et beata spes mortalium;

Vellus animatum, Veritatis columna, *Corona* virginitatis; * et sanctissimae Trinitatis deliciae;

Beati sunt Populi, qui te honorant; * gaudio reples eos, largiens bona domus Filii tui;

Cui placuit ex te carnem suscipere; hominem fieri, et nasci; * cum esset Deus Verbum, et gloriae Dominus;

Quique post partum * incorruptam tibi servavit virginitatem;

Eidem etiam placuit tempore gloriosae dormitionis tuae sanctam tuam accipere animam, * psallentibus Potestatibus;

Et tuum immaculatum corpus, incorruptum servatum, * ante communem universalem resurrectionem, mirifica glorificare translatione.

O beata mellifera, incarnati Verbi mater, * ascendens de deserto vitae huius speciosa facta es, et suavis in Rosarii tui melodia.

Ecce viri fratres, quae in aeternum beatissima, deliciis affluens, * ascendens super Coelos in odorem nos attrahit unguentorum suorum.

Ascendisti, mater divini gaudii* alternantibus hymnodicis Angelicis choris;

Archangelorum constipata choreis;* *Rosis coronata*, et liliis.

Decus virginitatis cum munere foecunditatis, * favum Scientiae et Sapientiae Dei;

Misericordiae viscera; gratiae plenitudinem et gloriae; * singularesque praerogativas omnes pro nobis in Coelum attulisti.

Ubi sunt inscrutabilia, et sine mensura vel numero* mirabilia in visione Dei nostri;

Ubi summa securitas, et secura tranquillitas; * gaudium sine tristitia, quod aeternam continet laetitiam.

Sancta mater excelsae beatitudinis, * oculos pietatis ab alto maiestatis et misericordiae tuae throno ne avertas a nobis miseris.

Virgo virginum sub tuo in vita dimicantes praesidio; * triumphi tui valeamus esse in morte consortes.

Mater agonizantium; * in tuas manus ex nunc nostras commendamus animas.

Expedit moriatur anima nostra morte iustorum, quia in perpetuas fulgebimus aeternitates; * in arundineto tanquam scintillae discurrentes.

Donum et pax Dei nostri est in Electis suis; * in amoris plenitudine agunt laetitiae diem; et in pleno illo confitentur gaudio.

Qualem viri fratres, et quantam credimus esse istam Sanctorum refectionem nullatenus defuturam, * atque hoc Dei coniugium cum suo figmento?

O coelestes cum agno, et aeternae nuptiae; o fortitudo morientium in pace; * o exaltatio in terra viventium!

In magnis huius mundi tempestatibus, * ad tua semper, o Maria, confugimus praesidia.

Suffragia pietatis imploramus tuae et auxilii, * ut sit nobis tecum commune manens gaudium.

Melodia dulcis et sonora; perpetuae lucis Aurora; * coelestis Curiae pincerna;

Deliciarum Dei dapifera; mamilla parvulorum; * materque orphanorum;

Rosa recens, et foecunda; *Rosa* decens, *Rosa* munda, * facta Coelorum Regina, non est, nec erit secunda.

Ibi mater cum Filio
Gaudentes Coeli patria,
Trinitatis consortio,
Creata super omnia,
Sua benigna Gratia,
Felicitatis gaudio,
Nos coronat et gloria,
Beatorumque praemio.

CANTICUM XLIX.

Psalmus 2. Coronationis B. Mariae V. in Coelo.

Defecerunt in vanitate dies mei; * et anni cum festinatione in gemitibus traducuntur mei.

Spiritus meus vadens est, velut in lenitate venti transeuntis; * et non idem amplius ad eamdem rediens viam;

Tu Domine qui exaltas et humilias, * vide et considera afflictionem meam;

Repleta est despectione anima mea; * dextera virtutis tuae ab opprobrio eripiat eam;

Propter verba labiorum tuorum vias custodivi duras; * perfice gressus meos, ne commoveantur vestigia pedum meorum.

Sic oculi mei ad te figantur Dominum Deum; * qui me in exilio flagellari permittis, donec miserearis.

Temporalis vita aeternae comparata, * mors dicenda est potius quam vita;

Vel potius quotidianus corruptionis defectus; * et quaedam mortis prolixitas.

Delectet mentem nostram praemiorum magnitudo; * et simul ne nos certaminis deterreat labor.

Sic dimicarunt adversus naturae fragilitates Sancti omnes; * et laborando fortiores, et moriendo victores effecti sunt.

Nullus athleta sine certamine fortior dici potest; * nullus sine victoria potitur *Corona*.

Vita nostra est tanquam pulvis, * quam tempestas aeris a facie proiicit terrae;

Spem ideo nostram in fidelitate reponere debemus suffragii virtutis; * et benignitatis Dei nostri.

Poenitentes et mansuetos, requirentes testamentum, et Testimonia tua, Domine, * in misericordi dirige iudicio.

Tu Domine loqueris pacem super

sanctos cultores tuos;* et in eis, qui sincere convertuntur ad tui cordis mansuetudinem et pietatem.

Beatus cuius Deus Jacob adiutor eius; * spes eius in Deo ipsius, qui coelum fecit et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.

Diligentibus eum omnia cooperantur in bonum; * iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Sed non possumus nos propter hunc beneficiorum cumulum, ex merito voluntatis et actionis nostrae, * gratiarum tibi Domine impendere actiones;

Multo minus et gratias impetrare, etiamsi per totam nos uteremur vitam; * nisi tu sponte, pro gratia, et amore, gratias super gratias nobis adiicias miseris.

Sic et non aliter anima in bonis demorabitur nostra;* et sic angorem repraesentare nostrum audemus tibi.

Fratrum sic etiam et propinquorum aerumnas exponimus, oculisque subiicimus tuis, * et benefactorum nostrorum.

Tu plebis tuae fortitudo et salvationum protector Christi tui, * ne derelinquas nos cum operantibus iniquitatem.

Benedic haereditati tuae;*et extolle nos usque in aeternum.

Domine Jesu; illa, cuius ubera pietatis sunt turris fortitudinis, cuius culmen Coelum pertingit; * illa coram te nobis reperiat pacem.

Debitores tui sumus omnes; * tu vero debitor es ei;

Ita quasi exolvens debitum, * petitiones pro nobis imple suas.

Roganda es, mater nostra, ut velis,* sed si vis necesse est ut fiat.

Beatus, cuius Deus Jacob adiutor eius; * et cuius protectrix est Maria, Dei mater, et Coeli regina.

Ideo nos, mater piissima nostra Assumptionis tuae *Rosarium* recinentes et *Coronationis*, * te suppliciter audemus rogare;

Et petere, ut in viam salutis nostros dirigas gressus;* ita fructum iubilationis dabimus tibi in tempore opportuno.

Rosa veris speciosa; vitis frondens generosa; * ave dulcis et gratiosa;

Ave virgo terra bona; * tu petentibus nobis dona panem de te procreatum, vinum vera vite natum.

Ave virgo, quem Salvator, renum testis et scrutator; * quem non fallit nox erroris, laudat intus atque foris.

Ave virgo plena bonis; gratiarum dives donis;* opus Dei digitorum grande nimis et decorum.

Ave virgo post et ante, pro me semper te pugnante; * vertit hostis mihi dorsum; et conversus stet retrorsum.

O Maria in angustiis adiuva nos; * ab omni periculo *Corona* benignitatis tuae libera nos;

Quot per te continentiae accepere donum; * quot passionum victoriam; quot coelestis gloriae *Coronam*!

Mater mundo desiderabilis; inferis terribilis; * et fons irrigantis gratiae.

Virginalis emanatio tua animas sanctificat castas; * et perditas redintegrat.

Propitia nobis et clemens, * curam assume conquerentis peregrinationis nostrae.

Absconde nos in penetralibus Tabernaculi tui; * nam qui bene apud te latitat, is bene vivit, beateque e vita decedit.

Signifera, Virgo virginum, Radix Jesse, virgo Christifera; vitae arbor fructifera,* innocentiae et prudentiae nobis ostende vias; et laude os nostrum repleatur tua.

Te tribus honorant et populi serviunt tibi omnes, * et tota die *Rosariis* magnificentiam decantant tuam.

O benedicta Hierusalem Filia; * agnovit te Dominus in benedictionibus Regni sui.

Et omnium Gentium benedictiones* addiderunt *Coronae* tuae *Sertum Rosarum.*

Benedicta sit ab anima nostra misericordia manuum tuarum ; * et benedicta emanatio tergeminae *Coronae* tuae, et nectaris gratiarum tuarum ad nos.

Qui pontum nutu, terram, coelumque gubernat * Trinus in eximia simplicitate Deus;

Te matrem,natamque sibi,sponsamque *coronat*, * quae potes una *triplex* commeruisse decus.

Summa laus Patri; simul aeque Nato; * et tibi compar o utriusque vinclum, Spiritus custos;

Et origo sancti fons et amoris; * qui tot donis *coronasti* virginem Mariam.

CANTICUM L. AC POSTREMUM

Psal. 3. Coronationis B. Mariae V. in Coelo.

Dominus noster, Dominus stabilis est; immensus; infinitus; interminus; inscrutabilis;* et cuius Sapientiae et patientiae non est numerus.

Venerandus,atque reverendus * amabilis, atque amandus.

Benedicat anima mea Domino; * et omnia, quae intra me sunt, *Rosaria* canant infinitati bonitatis illius.

Et tamen iste terribilis et metuendus Dominus, * sese humilians, suavissimis gratiae suae dapibus,et coelesti suae carnis pabulo nos quotidie satiat.

Benedic anima mea Domino; * et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Benedicamus Domino humiliato nostro; * qui nos, viri fratres, visitare dignatus est oriens ex alto;

Et nobiscum adstare * usque ad consummationem saeculi.

Nos Filii tui, Pater omnipotens, refecti sumus et potati carne et Sanguine Unigeniti tui; * et per hoc placabilem tuam reddimus Iustitiam.

Divinae facti naturae consortes, * prohibe nunc, Domine, ne in veterem vilitatem degeneri redeamus vitae conversatione.

Tu custodis omnia ossa timentium te; * nec unum ex his miseris sinis conteri.

Divites egurgites in superbia sua esuriunt:* inquirentes autem te humilitate spiritus non minuentur omni bono.

Clamamus ad te, et tu exaudis * et ab omnibus liberas tribulationibus;

Domine Deus, qui Filium nobis dedisti tuum, ut nos a sordibus in suo lavaret Sanguine, * cor non despicias contritum.

Confitentium tibi peccata relaxa; * ut quod in flammis stridet, et in tormentis cruciat, a nobis arceas.

Ab omni nos libera peccato, et a mala morte; * num habitare poterimus cum ardoribus sempiternis?

O Maria, *corona* iuventutem nostram; * et gratia recinge tua senectutem; sic iudicium mereamur evadere ultionis.

Postremum tibi, pia Virgo, canentes *Rosarium*; * e *roseis* nobis praebe tuis munera *Sertis*.

In umbra alarum requiescimus tuarum; * ubi delectabile nobis valde est refrigerium *Coronae* iucunditatis tuae.

Manus tuae distillant pretiosam myrrham primam; * et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmentum mali punici est guttur tuum, * splendens in gloria Dei tui;

Spiramenque oris tui suave compositum thymiama, * ad Altissimi thronum.

Tota pulchra es in Coelo et in terra, tergemina *coronata Corona*; * et iubilatio Sanctorum omnium.

Clarus ut luna plenissima est aspectus decorus tuus; * et tanquam sol refulget.

Tu Regina Angelorum, Patriarcharum et Virginum; * tu omnium dulcissima Patrona.

Ascendis per desertum sicut virgula fumi; * ex aromatibus myrrhae; et cassiae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii.

Virtutibus circumdata universis a mortis nexibus depressa non fuisti; * ideoque mortem quasi non gustasti.

Sed legi latae ab eo, quem genuisti, * tua temporalis vita dulciter cessit.

Digno et singulari modo ablata de hoc fuisti mundo; * assumpta in coelum; * et super omnes exaltata Spirituum ordines.

Creator omnium propter veritatem et mansuetudinem tuam, * in tuo requieverat tabernaculo;

Ipse idem dixit tibi; * « veni filia, sponsa, et mater mea; veni, et in electis meis mitte radices ».

Indeque traxit te * et de hoc mundo in Coelum assumpsit;

Alto excepta throno, * e conspectu divini vultus, ad dexteram sedentis Filii excelsa resides;

Super Agmina Angelorum, novenis distributa cohortibus, quae summis ignibus ardent, et immensa charitate flagrant, * post Filium sola emines.

Et Prophetarum, Apostolorum, et Martyrum Domina, * speciosa sicut columba, volitas super rivos dulcium Paradisi aquarum; inter amoena Sponsi tui vireta.

Decora et fortis, sicut Davidica turris, quae aedificata est cum propugnaculis, * pedibus Draconem calcas tuis;

Mille pendent ex te clypei, omnis armatura fortium; * dexteramque hyacinthis plenam habes.

Insuper monilibus collum ornatum est tuum, * triplexque texta in capite *Corona*.

Electa es inter electas Hierusalem filias, * quae Spiritus sancti obumbratione Verbum concepisti;

Et virginitatis gloria permamente, * Lumen aeternum mundo effudisti.

Ascendit, viri fratres, Christus prior, * ut suae castissimae matri locum praepararet immortalitatis supremum.

Bis sena cingunt sidera almae Parentis verticem * throno propinqua Filii cunctis creatis imperat.

Beatissima es Filia aeterni Patris; Spiritus sancti sponsa, et aeterni Filii mater, * super hierarchias exaltata Angelorum.

Nunc Paradisi portae per te nobis apertae sunt; * quia ex te omnis nobis vera manavit vita.

Et ex celsitudine tua peccatores, toti despectos mundo, materno complecteris affectu; * nec deseris quousque tecum in Coelum eos recipias.

Benedicti sunt oculi tui splendidissimi, * quos misericorditer dignaris super nos convertere;

Benedictum sit lumen, et faciei tuae splendor; * benedictus sit vultus tui gratia, requiescens in civitate sanctificata.

Quae triplicem Regina geris redimita *Coronam*, * aeterni Mater, Filia, Sponsa Dei;

A morbis corpus, mentem, animumque tuere; * ut Trino placeat mens animusque Deo.

CONCLUSIO

Pro Rosariorum sertis.

Ave Virgo Deo cara, pulchra valde, prudens, clara; * sola Dei salutare digna mundo generare.

Ave scala Coelum tangens; ad te Virgo cano plangens; * ut a malo stella maris me de Sion tuearis.

Ave digna omni laude, casta Dei mater; * et admitte vota precum, ut sim virgo semper tecum.

Purpurea Coeli aurora, solique concolor, * in plenitudine sanctorum, ubi detentio est tua, te coelites laudant, adorant omnes;

Cum quibus nos, et omnes familiae Gentium, * nostras humiles gratulantes coniungimus voces;

Mirabilem transitum, assumptionem, et coronationem commemorantes tuam * in integris *Rosariorum sertis, et Filii tui mysteriis*;

Et excelsae Trinitatis maiestatem a-

dorantes et gloriam recinentes, * semper, et ubique cantabimus: *Mater Ave, dulcissima Ave Mater.*

Ave redundans gaudio dum *concipis;* dum *visitas;* * dum paris, dum *offers* et *invenis* Mater beata Filium;

Ave dolens, quae intimo ex corde *agonem*, * *verbera, spinas*, *crucemque* filii perpessa es o Regina Martyrum.

Ave in *triumphis* Filii; in *ignibus* Paraclyti; * in *regni honore et lumine*, Regina fulgens gloria.

Venite Gentes, carpite ex his *Rosis mysteriorum* * et pulchri a moris inclytae Matri *Coronas* nectite.

Gloria, et honor Deo usquequaque Altissimo; una Patri Filioque; inclyto Paraclyto; * qui tot cumulavit donis Deiparam sanctissimam. Amen.

Supplices tibi offerimus
Tibi Virgo pia
Haec laudum praeconia;
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero:
Et in agonia
Tu nobis assiste
O dulcis Maria.

FINIS.



